# LIBER SAECULARIS

# HISTORIAE SOCIETATIS JESU

## AB ANNO 1814 AD ANNUM 1914

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
1914

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



PIVS PP. VII

V. D. 3

# LIBER SAECULARIS

# HISTORIAE SOCIETATIS JESU

AB ANNO 1814 AD ANNUM 1914

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
—
1914

**Imprimi potest:**

FRANCISCUS XAV. WERNZ,
*Praep. Gen. Soc. Jesu.*

---

IMPRIMATUR:
Fr. ALBERTUS LEPIDI, Ord. Praed., *S. P. A. Magister*

IMPRIMATUR:
FRANCISCUS Can. FABERJ, *Vicariatus Urbis Adsessor.*

# PRAEFATIO

« Quum laeta semper nobis redeat septima Augusti dies, quae secum fert faustissimas Societati nostrae recordationes, his temporibus haec dies multo laetior nobis revolvitur. Monet enim, haud ita multo post, idest die 7 Augusti anni 1914, centesimum adventurum, quo Societas, per totum pene terrarum orbem deleta, e suis veluti cineribus, Deo bene favente, excitata est. Si igitur quotannis septimam Augusti diem laeti nanciscimur, summasque imo ex animo gratias Deo solvimus; multo magis decet haud imparatos nos illi tempori occurrere, quo centesimus restitutae Societatis annus absolvetur. Si enim magnus fuit antiquorum Patrum ardor in centesimi conditae Societatis solemniis celebrandis; eodem, ne dicam majore, nos officio devincimur. Si enim prima Societatis nostrae institutio fuit maximum Dei et Sanctae Sedis beneficium, non infra saltem connumeranda est ejusdem Societatis restitutio. Ut gratum igitur animum impensamque voluntatem nostram Deo Summoque Pontifici testemur, ad tantum eventum ut par est celebrandum, decet illum ita opperiri, ut eorum voluntati optatisque in revocanda ad vitam Societate aptius in dies et fidelius obsequamur ».

13,124

His verbis Adm. Rev. Pater Noster, Franciscus Xaverius Wernz, epistolam suam orditur encyclicam, qua Annum Saecularem celebrandum universae Societati pronuntiat. Dein Socios omnes hortatur ut beneficii magnitudinem probe cognoscant, ut grato cum animo generosoque, atque renovato S. Ignatii spiritu, eventum illum obeant laetissimum; ut jam nunc, beneficio bene perpenso, novas sumant vires magnosque sensus « ad ea ministeria et opera quae desint alacriter suscipienda et strenue perficienda. Exempli gratia Tirocinii Domus, Collegia Maxima, Collegia Scriptorum, Missiones... Exercitiorum Domus, Congregationes Marianas et Bonae Mortis ... Missiones exteras, si iis Provincia careat, etc. ». Tum vero: « Nec parum, inquit, hujus temporis solemnitati conferret, si scriptores Societatis doctis gravibusque editis libris, varia pertractarent, quae tam laetum eventum illustriorem redderent ».

Quae omnia dum suis ille litteris fortiter tantum suadet, res tamen praeterea sunt duae, quas ita mandando inculcat ut exsecutioni eas mandari omnino necesse sit. Etenim:

« Ut beneficii, inquit, magnitudo, quod nobis Societatis instauratione collatum est, recte aestimetur, alteque defigatur animo, beneficium illud fuisse veluti fontem, ex quo innumera alia in nos promanarunt, praeter librum singularem, qui ad centenarium annum celebrandum vulgabitur, et Societatis restitutionem, progressum ac facta praecipua primi hujus saeculi summatim describet... decere existimo, unamquamque Provinciam et Missionem

parare Compendium historicum, quo prima sua origo a restituta Societate, incrementum et status praesens narretur ».

Ac de Compendiis quidem illis historicis non est cur plura dicamus nos; pauca vero praenotare juvat de « libro singulari ad centenarium annum celebrandum », qui Societatis filiis omnibus jam offertur.

Imprimis igitur hic liber neque est neque esse ullo modo aestimetur Societatis nostrae saeculo XIX historia. Rerum enim eo saeculo gestarum pars magna, nequaquam maturae sunt, ut certis sententiis describantur, neque earum causae satis ad eventum perductae sunt, ut constet qui sint inde effectus consecuturi. Quapropter saeculi pars altera enarrari non posset, nisi quo modo annalibus id solet fieri, facta tantum praecipua recensendo. At annales solemniis celebrandis parum sunt apti. Ideo viris, verissimum harum rerum judicium habentibus, optatius visum est ut distinctis quibusdam veluti tabulis descripta haec nostrae historiae aetas oculis animisque objiceretur. Quod quomodo perfecerimus, benevolus ipse lector judicabit.

Unum restat profitendum, sperare nos fore ut liber hic suo fructu ne careat, sed contra, miscendo utile dulci, exspectationem pro parte sua expleat, quam Adm. Rev. Pater Noster, Franciscus Xaverius Wernz, his verbis significavit:

« Haec, inquit, si diligenter exarentur et per universam Societatem vulgentur, primum facile et maximum consequetur bonum. Omnes enim Socii primo

statim conspectu intelligent, quaenam fuerit primo hoc saeculo nova Societas, et quantum ad Dei gloriam egerit. Sentient omnes, quanta ubique fuerit vitae sanctitas; quam impensum religiosae perfectionis studium, quot urbes sacris ministeriis excultae, quot homines a vitiis ad virtutis amorem traducti; quot populi ad Christi religionem vocati et ad Christianos mores excitati. Ex quo magnam concipient laetitiam, quod ad hanc Societatem et ipsi delecti fuerint, et in tantam bonorum operum partem vocati, et maximos grati erga Deum animi sensus, summumque erga Societatem studium concipient »[1].

Et hoc quidem pro historiam Societatis callentibus plane sufficiet. Pro iis vero, qui in rebus gestis Ordinis nostri minus versati sunt, pauca quaedam praemittenda putamus, ne praeteritorum ignoratio scientiam quoque rectam futurorum impediat[2].

E Collegio Trajectensi ad Mosam, Provinciae Neerlandicae, Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis, die 2 Februarii, anno 1914.

PETRUS ALBERS S. J.

[1] *Epist. Adm. R. P. N. Fr. Xav. Wernz ad Prov.*, 8 Sept. 1907.

[2] Asteriscis, hinc inde in notis libri positis, indicantur Mss., quae in Societate conservantur.

# PROOEMIUM

*Si mundus vos odit, scitote quia Me priorem vobis odio habuit* [1]. Quemadmodum Christum persecuti sunt omnes improbi, Pharisaei praesertim et Scribae, ita, ut praedixerat Christus, Apostolos quoque Judaei et gentes insectationibus ac morte affecerunt. Nec vero Ecclesia Sancta Catholica disparem ab Auctore Sponsoque suo Christo conditionem obtinuit, quippe quam a primordiis ad nostra usque tempora mundus impetiverit. Quapropter beati sunt praedicandi, quos, sicut Christum, et Apostolos, et Sanctam Ecclesiam, justitiae quidem eorumque in Christum et in Ecclesiam propensae voluntatis causa, homines impii persecuti fuerint. De illis enim valent, quae Christus pronuntiavit verba : *Si de mundo,* inquit, *fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis Mei, quem Ego dixi vobis: Non est servus major domino suo* [2]. Jamvero si Ecclesiae Matri nostrae, universaeque ejus genuinae proli, atque imprimis institutis ejus religiosis, supra quam enarrari potest, feliciter contigit, ut illa Christi Domini nostri verba de se esse dicta, ex ipsis rerum eventibus jure putaverint, nemo sane est qui negare velit, prae ceteris religiosorum Ordinibus, *Societati Jesu* obtigisse beatam illam sortem, ut homines ab ipsis ejus exordiis eam viderint ludibriorum quasi veste ornatam, spinea redimitam corona, sanctissima Christi cruce oneratam. Quae quidem omnia vera

[1] Jo. xv, 18.
[2] Jo. xv. 19-20.

esse argumentis ostendere, supervacaneum videtur, eo quod, quum historiae manifesto cursu tum earum, quae nunc obtinent, rerum eventu, sunt in aperto posita. Erat igitur in his filiorum suorum perpetuis insectationibus, exsiliis, aerumnis, cruciatibus, id maximum Societati Jesu verissimumque solatium, quod pro certo haberet se, quo modo a mundo tractaretur, Domini ac Magistri sui Jesu Christi vestitu honorari, praedicentis quippe : *Si Me,* inquit, *persecuti sunt et vos persequentur* [1]. Nec minus etiam inde Societas animo recreata confirmabatur, quod simul sibi videretur exaudita Domini sui precatio haec : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti Mihi, ut sint unum sicut et Nos* [2].

Omni enim aetate probissimus quisque spiritum Societatis comprobavit, laudavit indefessum studium salutis animarum laboresque ad majorem Dei gloriam promovendam continuos. Quo quidem loco in memoriam ducendum primum erit ipsum Tridentinum Concilium, quod, reformationem multiplicem instituens :

« Per haec tamen, inquit, sancta Synodus non intendit ali-« quid innovare aut prohibere, quin religio Clericorum Socie-« tatis Jesu, juxta pium eorum institutum a S. Sede Apostolica « approbatum, Domino et ejus Ecclesiae inservire possint » [3].

Quibus profecto verbis additi Sociis animi sunt in perpetuo, quod sustinebant certamen contra hostes Ecclesiae. In dies autem exardescente vehementius odio improborum, dumque probrosis undique calumniis in majorem semper invidiam vocabatur Societas, haud defuerunt laudes Summorum Pontificum, qui Bullis Brevibusque amplius quadraginta probarunt, confirmarunt, laudarunt Constitutiones, labores Sociorum. Exempli gratia juverit addidisse hoc loco testimonia Pontificum

[1] Jo. XV, 20.
[2] Jo. XVII, 11.
[3] Sess. XXV, cap. XVI, *de Regularibus.*

pauca quaedam, quae de Societate nondum suppressa ipsi tulerunt.

Nominandus igitur imprimis est Paulus III, qui, anno 1549, Societati approbatae a se confirmataeque plurima privilegia concedens :

« Licet debitum, inquit, pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis et laudabilibus institutis conserventur et augeantur, Nos reddat favorabiles et benignos; ad Societatem vero de Jesu per Nos institutam et approbatam, cujus specimen veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad Summi Regis laudem et fidei incrementum, attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo Christiano, dirigentes praecipue velut pius Pater oculos mentis nostrae : dignum censemus ut ipsam Societatem ejusque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quae Societas ipsa utiliter regi et prospere dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat » [1].

Omissis autem Pontificiis Julii III et Pii IV litteris, quibus Societatem laudantes exornaverunt, lubet grati animi potius gaudium profiteri, referendo verba amoris plena, quibus sanctus ille Pontifex Pius V, ex Ordine magni Dominici, anno 1568 laudat atque exaltat :

« Innumerabiles fructus, quos, benedicente Domino, Christiano orbi Societas Jesu, viros litterarum praecipue sacrarum scientia, religione, vita exemplari morumque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos praeceptores, ac verbi divini, etiam apud longinquas et barbaras illas nationes, quae Deum penitus non noverant, optimos praedicatores et interpretes producendo, felicissime hactenus attulit et adhuc sollicitis studiis afferre non desistit » [2].

[1] Const. *Licet debitum*, 18 Oct. 1549. *Instit. Soc. Jesu*, Florentiae 1892, vol. I, p. 13-14.

[2] Const. *Innumerabiles fructus*, ibid., p. 42.

Deiu vero magnus idem Pontifex, Constitutione altera (1571) profusius etiam significando nobis propensam benevoli animi voluntatem :

« Dum indefessae, inquit, considerationis intuitu perscrutamur quantam Christianae reipublicae utilitatem attulerint dilecti filii Presbyteri Societatis Jesu, ac plane conspicimus, eos vere mundi hujus relictis illecebris adeo Servatori suo se dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos aerugo et tinea comedit, lumbisque paupertate et humilitate praecinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad orientales et occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum Exercitia Spiritualia etiam regna ipsa fidem Christi agnoverint, ac tam inibi quam ubique terrarum charitatis et misericordiae opera exercere studeant, facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatem conjunctos, et benigne amplectamur, et ea sibi specialiter concedamus, quae et paupertatis per eos emissae voto et eorum Instituto ac commoditati credimus profutura » [1].

Praeterea e primo Societatis saeculo reticendum non est testimonium Gregorii XIII, qui, strenue eam defendens, beneficiis quoque Societatem cumulavit. Is enim non solum hostes Societatis repulit, sed viam viresque ei praebuit uberius operandi. Qui studia ejus in Dei gloriam animarumque salutem collata laudans (1576) :

« Sane, ut accepimus, inquit, licet dilecti filii Presbyteri venerabilis Societatis Jesu in vinea Domini, tanquam fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum Christi fidelibus, infirmis in fide consolidandis, aegrotisque sanandis, confractis alligandis, et abjectis reducendis, ovibusque dispersis, et lupis vespertinis leonumque famelicis catulis

[1] Const. *Dum indefessae*, ibid., p. 48.

in devorationem expositis, reclamandis et defendendis; quam etiam, quae extra ovile Christi sacrosanctique imperii Nostri tutelam, sub ignorantiae jugo in obscuris et tenebricosis locis ac desertis per montuosas ac difficiles vias aberrant, convertendis, et ad nationes Catholica religione imbutas et ad immanes barbarasque divini cultus politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius quam humano more viventes, sese extendentes, opimum et uberrimum fructum attulerint, et in dies majori cum sollicitudine afferre, zizania exstirpare, bonum semen renovare, plantare, terrasque incultas evangelico sulco ac ecclesiasticae disciplinae vomere eruderare non cessent, ac dudum propter ipsius Societatis tam utiles tamque necessarias functiones, quae tum in Domibus per frequentem Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum administrationem, et ad eorum frequentationem sectandam exhortationem, praedicationemque, et Spiritualia Exercitia ac alia verbi Dei ministeria, tum in Collegiis per lectiones tam bonarum litterarum quam Philosophiae etiam et Theologiae ad juventutem bonis moribus et litteris imbuendam, ex ipsius Societatis primaeva Instituti erectione ac divina vocatione, magno Dei beneficio et Ecclesiae spirituali emolumento exercet.... Nos igitur attendentes etc. »[1].

Ut autem saeculi XVII testimonia, v. g. Pauli V [2] et Clementis IX [3] omittamus, saeculo deinde XVIII doctissimus ille prae reliquis omnibus Benedictus Pontifex XIV haud semel Societatem laudavit bonoque esse animo jussit. Ex quo referemus unum hoc (1748) :

« Satis enim superque compertum est universis, atque exploratum, quibus per omne tempus religiosis viris, et Christiana pietate, et omnium disciplinarum splendore, et multiplici litterarum cognitione, aeternaeque Christi fidelium salutis zelo

[1] Const. *Salvatoris Domini*, ibid., p. 64.
[2] Const. *Quantum religio*, ibid., p. 131.
[3] Const. *Religiosorum*, ibid., p. 193.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

commendatissimis, addictissima huic S. Sedi ipsa Jesu Societas, locuples adhuc, veluti generosa mater, non immerito gloriatur. Nos sane, qui ea propter semper plurimi fecimus, atque in suprema hac sacrosancti Apostolatus Cathedra plane immerentes per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam sedentes, majori in honore laudatam Societatem habemus » [1] etc.

Benevolentissima haec animi affectio Summi Pontificis, qui primus est Societatis Superior, solamen fuit Sociis, quos undique hostes inflammati furore circumstabant, ac perscrutantes, calumniantes, persequentes, ejicientes, pertinaci aggressione petere nusquam desistebant. Medio enim saeculo XVIII, rationalismi atque impietatis quasi monstro per terras omnes exsurgente, augebatur ubique Societatis odium. Infinitus propemodum erat eam insectantium numerus. Nominandi imprimis sunt universi cujuslibet generis Protestantes atque his acriores Jansenistae et cum Jansenistis sentientes consilii publici (*Parlement*) participes Sorbonistaeque in Gallia; plurimi deinde in rebus publicis administrandis occupati viri, a quibus Societatis Jesu Sodales existimarentur jurium Summi Pontificis esse defensores maxime strenui; viri docti quoque, quos invidia stimularet, demum homines litteris aut philosophiae, quae tunc dicebatur, dediti, quorum incredibilis in oppugnanda Ecclesiae reipublicaeque ordinatione furor et protervitas in dies magis intendebatur. Hostibus autem numero crescentibus in dies, dilatatisque longius effrenis impietatis erroribus, pariter augebatur divexandae Societatis ardor. Eam nimirum multorum facinorum ream faciebant : incidisse in Pelagianismum, laxasse doctrinas de rebus morum, eniti ad civilem potestatem, immiscere se rebus publicis agendis, male parere decretis Pontificiis, despectui habere Episcopos, superbia et avaritia teneri, ac plura ejusmodi scelera ei imputabant. Attamen ita, ut « criminationes istas haud alio probarent ar-

[1] Const. *Constantem omnium*, ibid., p. 281.

gumento quam factorum aliquot, quae, partim conficta partim exaggerata, in Sociis paucissimis reapse obtigisse compertum esset » [1].

Erupit tempestas in Lusitania, ubi cum per calumniam spargeretur rumor, esse « regnum Jesuiticum », « Regemque Jesuitam », qui « tyrannice » dominaretur in finibus Uruguanis et Paraguanis, expulsi e Missione Jesuitae sunt. Tum vero, quae in Lusitania Regi structae insidiae erant, Societati tributae : regno igitur pulsi aut in vincula conjecti Lusitani Socii. Quo fere tempore in Gallia quoque Comitissa de Pompadour delendam Societatem decrevit, propterea quod P. de Sacy absolutionem ei denegare pergebat. Mox, ex insidiis Ludovico XV paratis occasionem captantes, occluserunt Collegia octoginta, ac dein Societatem ipsam ejecerunt regno. Incassum reclamavit Summus Pontifex, reclamaverunt Episcopi, ac prae ceteris fortius vir ille indole nobilissimus, Christophorus de Beaumont, Archiepiscopus Lutetiae Parisiorum.

Anno autem 1765, quo tempore maxime fervebat persequendi furor, invisam undique atque impetitam Societatem defendendam esse censuit Clemens PP. XIII. Iteratis enim primum ac confirmatis rebus omnibus, quas probando laudandoque de Societate Jesu dixerunt decessores ejus, Summi Pontifices undeviginti commemoratis dein quum Episcoporum, tum Regum atque ipsius Tridentini Concilii encomiis, collaudatis quoque Societatis viris Sanctis, Beatis, Martyribus, denuntiato denique pravorum hominum odio, quo hi ad divexandam Societatem exstimularentur :

« Nos ..., inquit, edicimus et declaramus Institutum Societatis Jesu summopere redolere pietatem et sanctitatem, tum ob praecipuum finem quo maxime spectat, defensionem videlicet propagationemque Catholicae religionis, tum ob media quae

[1] Quod est judicium viri rerum historicarum peritissimi HERGENRÖTHER-KIRSCH, ed. 4ª, Tom. III, p. 596.

adhibet ad ejusmodi finem consequendum, quod vel ipsa Nos hactenus docuit experientia, cum ex eadem disciplina tam multos ad hanc usque aetatem prodiisse novimus orthodoxae fidei propugnatores, sacrosque praecones, qui invicto animi robore terra marique subiere pericula, ut ad gentes immanitate barbaras evangelicae doctrinae lumen afferrent, et quotquot idem profitentur laudabile Institutum, partim intentos juventuti religione et bonis artibus erudiendae, partim operam dare Spiritualibus Exercitiis tradendis, partim assidue versari in Sacramentis praecipue Poenitentiae et Eucharistiae administrandis, et ad eorum frequentiorem usum fidelibus excitandis, tum homines in agris degentes divini verbi pabulo recreare; ac propterea idem Institutum Societatis Jesu, ad haec eximia perpetranda divina Providentia excitatum, Ipsi quoque approbamus et praedecessorum Nostrorum approbationes ejusdem Instituti Apostolica auctoritate Nostra confirmamus » [1].

At vero Pontificias sive monitiones sive ecclesiasticarum poenarum minas parum curabant increduli ac rationalismo dediti regnorum administri aliique in officiis civilibus versati homines. Jam enim anno proxime insequenti (1766) in Hispania persecutio Societatis coeperat. Societati Jesu tributae sunt commotiones plebis Matritensis, falsaeque vulgatae sunt epistolae, quarum sermo Regi ignominiosus erat ac perfidus prorsus. Tum, haud exspectatis testimoniis pluribus, Socii universi navibus transvecti sunt in territorium Pontificium (1767). Pari ratione alii administri, Tanucci videlicet in regno utriusque Siciliae et du Tillot in finibus Parmensibus, ejectos Socios in Status Pontificios migrare compulerunt. Satis tamen apparebat his saevitiis non fore contentos Societatis adversarios. Mox enim Regum Hispaniae, Galliae et regni Neapolitani nomine, a Pontifice postulatum est ut penitus exstingueretur Societas. Qua re comperta, « haec vero, inquit Negroni Car-

[1] Const. *Apostolicum pascendi*, in *Instit. Soc. Jesu*. Tom. I, p. 311.

dinalis, Papae causa mortis erit ». Nec male ominatus ille. Omnia jam Clemens XIII paraverat, ut quinto Februarii die 1769 definitivum daret responsum, se extinguere Societatem Jesu non velle, cum 2 Februarii vespere cessit e vivis. Quo mortuo, gubernia postulationibus minisque constantiam Clementis XIV lacessere jam non cessarunt. Sed per annos quattuor illis resistens, dolore ipse oppressus, omnem operam adhibuit, ut Societatem salvaret. Immo vero eidem, a se laudatae, liberalitatis suae testimonia dedit satis insignia; ut cum, 12 Julio 1769 :

« Coelestium, inquit, munerum thesauros, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos, pro sua in Deum et proximos charitate et Christianae religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Societatis Jesu Religiosos habeamus, eosque imprimis quos dilectus filius Laurentius Ricci, ejusdem Societatis Praepositus Generalis, ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas provincias Christianae reipublicae mittere constituit, etc. » [1].

Quae tamen benevolentiae testimonia quantum Clementi XIV et Societati dolorem quantasque angustias pepererunt! Gubernia Borbonica metu capta, ne jam parata sibi praeda etiam tunc eriperetur, in magnam iracundiam acerbasque querelas eruperunt. Parisiis quidem coram Hispaniae allegato Nuntium Pontificium superbe compellans Choiseul, Ludovici XV nomine : « non eos, inquit, esse Galliae et Hispaniae ceterosque gentis Borbonicae principes, qui impune illudi se paterentur; posteaquam enim iis spes esset facta fore ut mox exstingueretur Societas ista, quae illorum Regum pacem et tranquillitatem turbaret, quaeque ob hanc ipsam causam nocumento esset religioni, non oportuisse Societati eidem ullam sive concedi sive confirmari gratiam; jam teneri Regem

[1] Const. *Coelestium munerum*. ibid., p. 312.

dilationum satietate, ideoque per litteras sua manu subscriptas, ac per eumdem tabellarium deferendas, mandaturum Eminentissimo Cardinali de Bernis, allegato, ut iterum postularet a S. Sede universae Societatis suppressionem, utque, nisi intra tres hebdomadas petita obtinuisset, mox Roma recedens, excederet nuntiatura ac palam renuntiaret S. Sedi societatem; mandando denique additurum ut, etiamsi reliquorum guberniorum Borbonicorum allegati ei se adjungere noluissent, quia fortasse ejus rei faciendae mandatum non accepissent, ipse tamen solus ea omnia perficeret ad verbum ac litteram » [1].

Ac reapse ad de Bernis ea fere quae dixerat, scripsit Choiseul. Nec tamen solus de Bernis ejusmodi protulit minas, reliqua enim gubernia Borbonica simili modo minitari haud usquam cessarunt. Miserum Pontificem! Facta illa, die 30 Novembri 1769, Carolo III Hispaniarum Regi pollicitatione, Societatis Jesu suppressionem esse futuram, cum magno dolore : « haec, inquit, suppressio mihi causa mortis erit ». Vel ipse Jansenistarum procurator Romanus, Clément, in suis *commentariis diurnis:* « adducor, inquit, ut credam, a Papa, qui ab omni quidem vi alienus, animo tamen deliberatissimo pacem cum principibus componere statuerit, suppressionem istam tantopere efflagitatam *nisi necessitate coacto promissam non esse;* neque omnem puto ab eo depositam spem esse, futurum ut aliqua forsitan res intercedat, qua aut alio divertantur petentium animi aut eorum temperentur preces, quibus satisfacere de se ipse nolit » [2].

Quem virum his in rebus vera censuisse, plane ex eo apparet, quod Pontifex per annos quattuor continuos, omni quo poterat modo, moram temporis interponere tentavit : habendum quippe a Pontificia dignitate alienum ut minis cederet; mora igitur opus esse, ne tam gravis momenti res inconsulto

[1] De Ravignan S. J., *Clément XIII et Clément XIV*, Paris 1854, p. 277-78.
[2] Ibid., p. 294-315.

decerneretur. Igitur cum canonistis parietibus se conclusit Pontifex, quasi ut scripta Societatis et monumenta perscrutaretur. Ipsas quoque litteras, inter Philippum II et Sixtum V datas, ex Hispania asportari jussit. Tum metuere se Mariae Theresiae offensionem finxit. Immo ipsam principis haeretici Borussiae et schismatici Russiae interposuit mentem ac voluntatem. Modo promisit Societatem a se suppressum iri, si principes *omnes* assentirentur; vicissim vero, se Laurentio Ricci, Praeposito Generali Societatis, non daturum qui ei succederet, ac prohibiturum quominus Novitii deinceps admitterentur. Vel de ipso oecumenico Concilio convocando cogitavit, ne tantae gravitatis decretum in suum ipsius caput recideret. Tandem etiam in hoc consilium incidit, ut Societatem reformaret. Labili scilicet spe motus ut, si id fieret, a postulanda Societatis exstinctione gubernia desisterent. At vero cum Monino allegatus Hispaniae Romam missus esset, ea quoque suprema spes irrita cecidit. Die igitur 21 Julii 1773, Clemens XIV dedit Breve *Dominus ac Redemptor*.

De Societatis culpa aut innocentia controversiam habere cum ex praedictis supervacaneum reapse videatur, Summorum Pontificum testimoniis illis unam addemus Adm. R. P. Laurentii Ricci, Praepositi Generalis Soc. Jesu, sollemnem declarationem, quam morti ille proximus Sacroque Viatico jam reficiendus coram multis testibus pronuntiavit. Quo quidem supremo discrimine :

« Cum ignorem, inquit, quo futurum sit die, ut Deus me ad se evocare velit, sciam autem certissime eam horam esse propinquam, quod quidem ipse me aetate adeo provectum videam, atque confectum multitudine, diuturnitate, gravitate laborum, qui infirmas vires meas superarunt, inducor ut, praevertendo tempus, jam nunc officium meum exsequar, ne forte, quod facile accidere potest, extremi morbi natura ac vis id me facere prohibeat in ipso mortis articulo. Quam ob rem

quoniam in eo me esse considero ut ad illius tribunal adducar, qui sit Ipse infallibilis veritas et justitia, quale quidem solum tribunal divinum est, facta diuturna ac matura consideratione, fusisque humilibus ad misericordissimum Redemptorem et Judicem tremendum precibus, ne videlicet inordinata me duci affectione sinat in hac praesertim suprema vitae meae actione, ego, neque animi acerbitate minimum motus, neque ullo alio affectu pravo aut fine inhonesto, verum ob hoc solum, quod mei officii esse existimo ut veritati atque innocentiae perhibeam justum testimonium, duo haec declaro ac protestor :

« Primum declaro ac protestor, a Societate, quae exstincta nunc est, sui supprimendi motivum praebitum esse nullum. Quod quidem ego declaro ac protestor ita certus, sicut e consueto humanarum rerum cursu certus esse potest Superior, qui res sui Ordinis omnes probe compertas habeat ».

« Secundum declaro ac protestor, a me nullum, ne levissimum quidem, praebitum fuisse meorum vinculorum motivum. Quod equidem declaro ac protestor cum summa illa atque evidenti certitudine, quam de suis quisque actibus habeat. Hanc autem alteram protestationem ob id solum facio, quod necessariam eam esse puto pro bona fama illius, quae exstincta nunc est, Societatis Jesu, cujus eram Praepositus Generalis ».

« Ceterum mea mens haud est, ut propter istas protestationes meas reum coram Deo quis aestimare possit aliquem ex iis, qui damnum intulerunt Societati Jesu et mihi; siquidem ipse ego abstineo a judicio ejusmodi. Mentis enim humanae cogitata affectusque animi soli Deo nota ».

« Solus quippe ipse Deus humanae mentis errata videns, discernit utrum hominem reddant culpa vacuum. Solus ipse perspicit quo quis fine ad agendum sit inductus, quo spiritu agat, quique animi motus atque affectus sint in agendo comites. Et quoniam ex istis rebus omnibus pendet, utrum quis iis,

quae extrinsecus gesserit, in culpa sit an culpa vacet, ideo universum ejusmodi judicium ad Eum ego refero, qui interrogabit opera et cogitationes scrutabitur (Sap. VI, 4) ».

« Atque ut safisfaciam officio, quod unicuique Christiano homini incumbit, protestor me, adjutore Deo, semper condonavisse et animo sincero etiamnunc condonare iis omnibus, qui me vexaverunt et nocuerunt mihi; imprimis eo quod difficultates atque aerumnas moverunt Societati Jesu; tum quod et qua ratione ac via eam exstinctam voluerunt; denique quod me vinculis tradiderunt, additis rebus duris et cum praejudicio meae bonae famae : quae omnia publica sunt et per universum orbem notissima. Deum vero per suam ipsius pietatem et misericordiam, ac per merita Jesu Christi precor, ut mihi imprimis veniam tribuat meorum, quae plurima sunt, peccatorum; dein ut ignoscat iis omnibus, qui malorum illorum et damnorum auctores aut adjutores fuerunt. Hoc ego animo, has ego corde preces fovens mori volo ».

« Tandem quicumque haec a me declarata visuri sunt, eos ego obsecro et obtestor ut, quantum poterunt, ea per universum orbem manifesta esse velint. Quod ego precor et obtestor per humanitatis sensum, per justitiam, per caritatem Christianam, per quaecumque quis induci poterit, ut exsequatur hoc meum desiderium, hanc meam voluntatem ».

# LIBER SAECULARIS

# INDEX CAPITULORUM


PAG.

PRAEFATIO . . . . . V

PROOEMIUM . . . . . IX

Caput I. – *Societas Jesu per universum orbem restituta* . . . . 5

Caput II. – *Praepositi Generales et felix Societatis progressus* . . 54

Caput III. – *Summi Pontifices et Societas Jesu* . . . . . 176

Caput IV. – *Insectationibus petita Societas* . . . . . 214

Caput V. – *Societatis Jesu Missiones exterae* . . . . . 272

Caput VI. – *Societatis Jesu Collegia et Studia* . . . . . 321

Caput VII. – *Societatis Jesu Periodica* . . . . . 364

Caput VIII. – *Societatis Jesu Scriptores doctique viri* . . . . . 413

Caput IX. – *Societatis Jesu Domus Professae, Residentiae, Operarii* . 501

Caput X. – *Societatis Jesu restitutae spiritus* . . . . . 579

INDEX ALPHABETICUS . . . . . 603

## CAPUT I

### Societas Jesu per universum orbem restituta

Inde a 16 Augusti 1773 perfici coeperat tristissimum Societatis exitium atque ipsa in omnibus meridionalis Europae partibus et in Missionibus cunctis sublata et extincta est. Fridericus II, Borussiae rex, aliquamdiu quominus in regno suo promulgaretur Breve adversatus, mox tamen cessit. In sola vero Russia non est promulgata suppressio unquam. Anno quippe 1772, cum ditio Polonica primum divideretur, tota Alba Russia et pars Lithuaniae obvenit Catharinae II. Qua occupatione, duarum Societatis Provinciarum partes, nempe quatuor Collegia, Residentiae duae, Missiones praeterea non paucae, ducenti et unus Jesuitae in Russicam ditionem cessere: 97 Sacerdotes, Scholares 49 et Coadjutores 55, qui omnes legitime in communitatibus suis perseverarunt sub Catharinae II tutela.

Mox vero scrupulis nonnulli angi coepti sunt, praesertim cum ad eos permanasset rumor a multis sparsus, post editum Breve *Dominus ac Redemptor* haud usquam terrarum Jesuitam esse posse ullum. Petropolim petiit Pater Czerniewicz, Superior. Ubi perquam eos benigne excipiens Comes Tserniscev, imperii minister, illico rogat, quid iis grati acceptique tribuere posset. Cui respondens Pater Czerniewicz: « Hoc unum, inquit, ut sinat Jesuitas in Alba Russia aboleri; si hoc negat Jesuitis nec quoad animam bene sibi fore, nec quoad corpus... Jesuitas enim eo esse animo comparatos, ut quidquid malint, quam cuiquam scandalo esse, in eo praesertim officio, in quo praeire ceteris et velint et debeant » [1].

Quae audiens Tserniscev, heroicam ejusmodi obedientiam videlicet parum notam habens, « Cogitate, inquit, de hac re maturius, tum quid optetis proferte in supplici libello ad Imperatricem. Ego libellum porrigam » [2]. Multa consecuta est deliberatio multaeque

[1] *De conservata in Alba Russia Societate Jesu commentarius* p. 122, editus a J. Gagarin S. J.; edita quoque ejusdem versio Gallica: *La Compagnie de Jésus conservée en Russie, récit d'un Jésuite de la Russie Blanche*, Paris 1872.

[2] Ibidem, p. 122.

ad Deum fusae preces; erat enim res gravissima. Probe profecto sciebant Patres, quid sibi lege ecclesiastica, sensu vel severissimo accepta, licitum esset. Plane perspectum habebant, hominem damnatum licite expectare posse dum poena de se sumatur, neque illum ulla ratione obligari, ut poenam ipse quaerat. Tuta igitur conscientia eos continuare posse prioris vitae consuetudinem, donec promulgatione injungeretur Breve Pontificium. Deinde etiam quis diceret, an haec ipsa non esset ipsius Pontificis voluntas? « Qui si non invitus esset reliquiis hisce Societatis conservandis, forte in Alba Russia germen aliquod perseveraturum futurae Societatis, qua iterum posset Divina Bonitas uti aliquando in Ecclesiae suae adjumentum? » [1].

Ab alia vero parte id praesertim Patres animo retractabant, scandalum esse undequaque praevertendum et bonum potius exemplum praestandum. Nimirum « deberi huic genti exemplum obedientiae, qua quodlibet singulare membrum Ecclesiae et praesertim religiosi viri, caput suum reverentur eique in simplicitate et humilitate subjiciuntur » [2]. Quare, confecto libello supplici, Pater Czerniewicz petiit, ut Breve Pontificium in Societatis Domibus promulgaretur.

Vix sane in universa Societatis historia, illustrius invenies exemplum obsequii, quod nimirum cum Isaaci sacrificio vel ideo etiam comparari possit, quia, quemadmodum Deo satis fuit Abrahami parata voluntas, ita nunc quoque oblatis acquievit Divina Bonitas, permisitque ut nollet pari facilitate Pontificiis decretis obtemperare Imperatrix.

Dum haec aguntur, alibi Patres omnes suppressionem subierunt conatique sunt multi vitam nihilominus communiter agere, quatenus nimirum id licitum esset neque obsequio, quod Christi Vicario deberent, adversaretur. Magna certe tristitia atque Societatis dilectio elucet ex iis, quae multi, qui Jesuitae fuerant, in laudem ejus innumerabilia conscripserunt. Elegiae quidem illius temporis colligatae, volumen explent integrum [3].

[1] Ibidem, p. 122. Extat scriptum ipsius Siestrecencewicz, quo affirmat, se a Clemente XIV accepisse monitum, ut Jesuitis permitteret manere in statu quo.

[2] Ibidem, p. 123-124.

[3] V. g. P. Piramowicz, Narnscewicz. Multum in hujus temporis *Silvis rerum*, in mss. Lashowski etc. Etiam externi, ut Dux Wenceslaus Rzewscki. Zalenski-Vivier, *Les Jésuites de la Russie Blanche*, Tom. I, p. 69 ss. et Doc. C. D. Cf. etiam

Luculentius tamen sui erga Societatem amoris documentum reliquerunt Patres laboribus suis. Perrexerunt enim in Missionibus multi strenuam collocare operam, in Collegiis etiam aliqui, alii confessionibus audiendis incumbentes verboque Dei praedicando. Eorum etiam multi ad ecclesiasticas dignitates evecti sunt. Quo in genere notatu profecto dignum est, Josephum Marotti, antea Jesuitam, Summis Pontificibus Pio VI et Pio VII secretarium, ut vocant, ab epistolis fuisse exiliique voluntarium mansisse comitem. Amorem Societatis praeseferebat quoque spes illa firma ac certa persuasio, fore ut Societas restitueretur. Quae quidem persuasio, tum maxime manifesta evasit, cum Summi Pontifices se erga Societatem in Alba Russia reliquam propensos esse significarent. Edito a Pio VI anno 1783 *vivae vocis oraculo*, quo Societatem coram oratore Imperatricis, Joanne Benislawski, palam approbavit, gratulatoriae undique epistolae ad Patrem Czerniewicz, Vicarium Generalem, advenerunt [1]. Ita Deo benedixit Pater Cajetanus Angiolini, se « ad gremium carissimae Matris » esse revocatum; atque affirmavit ali in animis « spem firmissimam, fore ut aliquando integra resurgeret Societas » [2]. Simillimam animo fovebat fiduciam concionator ille celeber, Pater Joannes Nicolaus Beauregard, cujus unum fuit desiderium, ut per universum orbem Societas instauraretur. Post solemnem confirmationem Societatis in Alba Russia degentis, anno 1801 per Breve *Catholicae fidei* factam, petiit ut admitteretur in Societatem, « cui, inquit, debeo quaecumque mea sunt, atque ipsa me totum erudiit, nutrivit, formavit in sinu suo estque verissime optima mea ac genuina mater » [3].

Alii vero, quibus non contingebat ut vivi Societatem reperirent, gementes expetebant eam in coelis inveniendam. Ita quidem scripsit Superior missionariorum Gallorum, qui in civitate Peking erant: « O si sciret mundus, inquit, quanta nos perdamus, quanta perdat ipsa Ecclesia perdendo Societatem, ipse nobiscum lugeret. Nolo equidem, amice, de sorte mea neque ipse conqueri neque alios

tom. II, p. 360, Doc. U, ubi elogia pulchra: *Fatum Jesuitarum* Patris Michaelis Denis.

[1] Joannes Benislawski, ex-Jesuita et coadjutor Illustr. Siestrecenzewicz, anno 1790 in Societatem regressus est renovando Professionem.

[2] Ms. S. J. Ross. I, fasc. 3.

[3] Achille Guidée S. J., *Notices Historiques sur quelques membres de la Société du Sacré Cœur et de la Comp. de Jésus*, Paris 1860, Tom. I, p. 284-285.

pro me. Facito mundus quae facere voluerit. Aeterna expecto et advoco, quae haud procul absunt. Loci enim hujus natura simul cum dolore maturant mortem, jam nimis tardantem. Beatos vero e nostris illos, qui sociati jam sunt Ignatio, Xaverio, Aloysio multitudinique prope innumerae Sanctorum, qui cum illis sequuntur Agnum sub glorioso nominis Jesu vexillo »[1].

Fuisse autem ad eum modum affectos socios multos, testimonio discimus R. Patris Joannis Roothaan, qui in Russia et alibi spectator ipse vidit quae fiebant ante restitutam Societatem. Is enim, factus postea Societatis Praepositus Generalis, cum, anno 1830, per praestantissimam, quam scripsit epistolam *De amore Societatis et Instituti nostri*, filios suos ad eosdem fovendos animo sensus excitaret: « Ac fuit quidem, inquit, semper proprium quoddam Societatis nostrae donum..., ut quotquot in eam divina vocante gratia fuissent admissi, arctissime illi adhaererent, eam unice amarent, ejus successus seu prosperos seu adversos, non aliter ac suos proprios aestimarent, eam denique vel ipsa vita cariorem ducerent; donum, inquam, hoc fuit semper Societati nostrae proprium et quodammodo singulare, unde etiam Societatis inimici occasionem criminandi non semel arriperent, id scilicet vitio vertentes, quod in ejus laudibus merito ponendum erat. Fuit certe hic amoris sensus ita infixus in sociorum animis, ut etiam post universalem illam Societatis cladem omnes, si paucissimos excipas, qui monstrorum instar fuere inter tot sociorum millia, ab amanda semper vel extincta jam Societate non cessarint »[2].

Ac profecto multum apud Deum valent tales sensus, gemitus, preces. « Ubi enim, inquit Ipse, sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ».

Praeter haec, inter alia praecipua restaurationis momenta commemorandae videntur instantes urgentesque petitiones, quae pro Societatis restitutione ab omnium insignium personarum ordine et coetu ad Sedem Apostolicam deferebantur[3]. Tum etiam vita laudabilis et praeclara opera multorum « ex-jesuitarum », quae non parum ad hoc contulerunt, ut Societatis desiderium magis magis-

[1] Crétineau-Joly, *Hist. de la Comp. de Jésus.*, Paris 1847 Tom. V, p. 323.

[2] *Epist. Praep. Gen. ad PP. et FF. Soc. Jesu*, ed. altera, Rollarii 1909, Tom. II, p. 309.

[3] Pius VII in Bulla *Sollicitudo*. Petitiones venerunt praesertim ex Germania, Hollandia, Belgio et ex Missionibus.

que accenderetur. Maximum momentum Patres ipsi tribuerunt singulari in Sanctissimum Cor Jesu pietati, quam Jesuitae in Alba Russia degentes semper exercuerunt. Et hic nobis denuo testis est Pater Roothaan, qui, quum « eo quidem tempore valde raro Dei beneficio admissus essem, inquit, illam in omnium nostrum animis haerentem ac defixam sententiam reperi: Quod conservata illic esset non sine prodigio Societas, quodque paulatim augeri coepta esset, id Sanctissimo Cordi Jesu in acceptis referendum esse; et porro, quod sperabatur de futura ejus restitutione in universum orbem, id pariter ab eodem Sanctissimo Corde unice sperandum. Id coelitus dato indicio, minime vano, pro certo habebatur » [1].

Sicuti Societatis ipsius filii, ita et alii, ad eam non pertinentes, probi devotione Ecclesiae filii, magno restaurandae Societatis desiderio afficiebantur, ea praesertim incitati jactura, quam Societatis interitu fecerat Ecclesia. Per Poloniam jam statim post abolitionem manavit rumor, esse redintegrandam Societatem. In reliquis etiam regionibus terrebantur homines ut animadverterunt passim efferari adolescentes, atque ab incredulis et rationalistis effreni libidine spargi errores. Ac sane, qui inde ab anno 1786 Pontificius legatus Coloniae fuerat, Pacca Cardinalis, Societatis cladem lamentatus, « hebescebat, inquit, paulatim reverentia et magna illa, quam boni Germani habebant, veneratio Cleri Catholici, Sanctae Sedi et ecclesiasticae disciplinae. Quamdiu fuit in Germania Societas Jesu, cujus multa erant in universitatibus Collegia, et in multis etiam locis scholae publicae, erronea ista principia in strenuum incidebant adversarium, nec late malum spargi facile poterat. Ablata vero Societate illa, de Ecclesia tam bene merita, mox subrepentes ulteriusque progressi coetus secreti gravissima damna religioni Catholicae intulerunt. Tum vero, disrupto aggere, librorum perversorum atque irreligiosorum colluvies Germaniam late inundavit » [2].

Quae damna suppressionem Societatis eadem consecuta sunt in regionibus omnibus. Neque aliud ea de re judicium tulit vir protestans, historicarum rerum peritissimus, Leopoldus Ranke [3]. Scri-

[1] *Epist. Gen.*, Rollarii 1909, Tom. III, p. 4-5.

[2] Pacca, *Memorie storiche sul di lui soggiorno in Germania dell'anno 1786-1794*, Roma 1832, p. 14.

[3] *Geschichte der Päpste* (III Aufl.) III B. S. 142.

bens quoque S. Collegii Decanus, Albani Cardinalis, ad Legatum Vindebonensem: « Societas Jesu, inquit, ut instauretur magnopere interest tum tua, tum mea, tum universae sanctae religionis, atque ab ea restitutione dependet Sanctae Ecclesiae felicitas » [1].

Eadem consilia ac vota, rerum in Gallia perturbatione exorta, animo fovebant Sacerdotes Galli duo, juvenili tunc aetate florentes, Eleonorus de Tournely et Carolus de Broglie, e quibus ille praecipue dignus est quem hoc loco attendamus. Natus erat Lavallii, anno 1767. Felici ut erat indole praeditus, in seminario S. Sulpitii, duce Emery, mox ad insignem virtutis gradum enisus est. Cum rerum publicarum perturbationem aufugientes, anno 1791 in Ducatum Luxemburgensem et duobus annis post Antverpiam recessissent, consilium ceperant religiosae vitae ex regula ac mente S. Ignatii suscipiendae. Collatis deinde consiliis cum Joanne Pey, Canonico Parisiensi, cum Illustrissimo etiam Domino Asselíne, Episcopo Bononiensi in Gallia, denique cum eo, qui tunc erat Lovaniensis Universitatis Rector, Awelange, mox spiritualibus decem dierum exercĭtiis expĭati, sedem fixerunt in eo prope Lovanium loco, qui Jesuitis olim praedium fuerat. Quorum zelo adfuit Deus, duosque iis mox submisit novos socios, Xaverium de Tournely, Eleonori fratrem, et Petrum Carolum Leblanc. Ceteris praefectus, Eleonorus de Tournely regulas confecit coetuique nomen dedit *Societatem Sacri Cordis Jesu*. Accessit anno 1794 Josephus Varin, qui multis annis huic Societati postea praefuit. Eodem anno bellum aufugere coacti in Bavariam abierunt, ubi commorati sunt in loco Lautershofen, quod est prope ab Augusta Vindelicorum. Hic, Sancti Ulrici sepulchro insistentes, 15 Octobri 1794, vota simplicia emiserunt, neque ita multo post a Vicario Generali, P. Lenkiewicz, petierunt, ut ad Societatem Jesu, quae erat in Alba Russia, adjungerentur. Ille vero rescripsit, ut, quam cepissent vitam, agere pergerent; fieri fortasse posse postea ut, tempore aequiore, in ipsa Germania consilium perficerent. Remanserunt igitur in loco Lautershofen sancteque ibi vitam duxerunt.

Voto se obstrinxerant ut Romam ad supremum Pontificem suae operae obsequium deferrent. At Galli Italiam exercitu obsidebant. Quare Vindobonam Patres Sacri Cordis se contulerunt, postea vero in locum Hagenbrunn. Hic, anno 1797, vita functus P. Eleonorus

[1] Ms. S. J. Russ., I, fasc. 3.

de Tournely. Annos natus erat vix triginta. In ejus locum electus est, qui regimen acciperet, Pater Josephus Varin. Ex praecipuis Patribus, qui hoc tempore ad coetum accedebant, fuit Josephus Sineo della Torre et Joannes Ludovicus Rozaven. Pater Varin Pragae novam erexit domum [1].

His ergo modis dum in Germania laborat Societas Sacri Cordis, etiam Romae, Augusto 1797, haud absimile institutum ortum est, quod ipsum quoque instaurandam Societatem in propositis habebat. Fundator erat Nicolaus Paccanari, qui nomen illi dedit *Societatem Fidei Jesu*. Natus ille prope Tridentum, Romae atque alibi vitam duxerat parum quietam, cum nactus est Sodalitatem Romanam sive Oratorium *Caravitae*. Eorum autem aliqui id consilium animo ceperant, ut christiana doctrina ceterisque disciplinis juventutis erudiendae gratia, mutato tantum nomine, Jesuitas reducerent. Jam Paccanari vocatus sibi visus est, ut Ordinis fieret fundator. Ingenii quidem dotibus sat praeditus, scientia autem parum excultus erat. Ad quem mox adjunxerunt se nonnulli Sacerdotes. Collatis consiliis cum Patre Tempis, qui Franciscalium olim Minister Generalis fuerat, et cum Cardinali Vicario della Somaglia, superiorem eligere aggressi sunt. Omnia autem suffragia cum in unum Paccanari convenissent, hic insequenti die, qui erat 15 Augusti 1797, ad sacellum *Caravitae* suos duxit, ubi cum illis vota nuncupavit paupertatis, castitatis, obedientiae et obsequii S. Sedi exhibendi.

Primum Spoleti cum suis consedit, quo induti vestem quae Jesuitis olim fuerat, pedibus se contulerunt. Interea vero Paccanari certior paulatim factus, in Germania quoque institutum existere, cujus idem esset propositum, consilium cepit utriusque Societatis in unam componendae. Anno 1799 Pium VI adiit Florentiam. Qui maximopere laudavit consilium. Septimo igitur Aprilis ejusdem anni Paccanari advenit in locum Hagenbrunn, ubi conjunctio jam facta est die 18 ejusdem mensis et Paccanari creatus est Superior Generalis novi Instituti, cui nomen datum est *Societas Fidei Jesu*.

[1] De Societate S. Cordis ejusque sodalibus, vide Dr. Ferd. Speil, *P. Léonor Franz von Tournely und die Gesellschaft des heiligsten Herzens Jesu*, Bresslau 1864.

A. Guidée S. J., *Notices hist. sur quelques membres de la Société des Pères du S. Cœur*, 2 Vols., Paris 1864.

Tum vero, quamvis mox compertum sit, nequaquam, qua Societatem Sacri Cordis, eadem Paccanari cum suis praeditos esse solida institutione, brevi tamen hic erigere domus in diversis regionibus coepit. In Germania: Dilingae, Augustae Vindelicorum, Paderbornae. Berolini; in Hollandia quoque Amstelodami; tum in Moravia, Gallia, Anglia et Helvetia. Ipse Paccanari Romae consederat. Ubi cum anno 1802 convenissent ex Anglia Pater Rozaven et Pater Varin, eorum judicium de Paccanari nequaquam fuit propitium. Generali quippe deerant religiosa gravitas, modestia, animi collectio, humilitas. Mediocris praeterea diligentia in prosequenda (quod tamen praecipuum praepositum novi hujus erat Instituti) conjunctione cum ipsa Societate Jesu. Tum quoque gravioris momenti accusationes accesserunt. Qua re factum est, ut paulatim fere omnes omnem cum Paccanari societatem abrumperent. Pater Rozaven cum undeviginti ex Anglia sociis pro se quisque nomen dederunt Societati Jesu, quae erat in Alba Russia [1]. Pater Varin quoque, qui Patribus Fidei in Gallia praerat, societatem cum Paccanari renuntiavit. Sed neque in Germania diu Patres sub Paccanari constituti fuerant. Hic enim cum Novitios et Scholasticos Romam evocasset, haud ita multo post, qui in Germania remanserant Patres, una cum Patribus Anglicis Societatem Jesu ingressi sunt. Quod erat Patrum Collegium Amstelodamense, etsi sex tantum annos vitam parum prosperam duxit, sua tamen commoda praestitit rei Catholicae. Postea vero ipsi quoque eum, qui erat eorum vocationis finis, adepti sunt, ingressi Societatem Jesu. Pater Sineo della Torre, qui erat Societatis Fidei in Helvetia Praepositus, iteratis vicibus conatus est una cum omnibus suis in Societatem Jesu admitti, quod anno tandem 1810 feliciter ei successit. Ab anno jam 1804 Societas Fidei Jesu in ipsa quoque Italia deperire coepit, eo quod Societatem Jesu ingrediebantur plurimi.

Quibus rebus ita enarratis apparet, in Societate Fidei post annum 1801 et plus etiam inde ab anno 1804 coepisse animos ad Societatem Jesu diligentius converti. In causa nempe erat duplex Breve, quo Pius VII confirmavit Societatem in Alba Russia eamque restituit in regno Neapolitano. Quorum documentorum cum maximum

[1] Omnes tum veteres ex-Jesuitae, tum Paccanari socii isti, qui Societati aggregati sunt, nec tamen in Russiam sunt profecti, erant Jesuitae in *foro interno* tantum, non autem in *foro externo*.

sit momentum, praeviam utriusque declarationem aliquam statuamus oportet.

Norunt omnes Societatis sicut suppressionem, ita et instaurationem a principum aulis sumpsisse exordia. Qui voluit primus illatum Societati damnum resarcire, Ferdinandus ille erat, Dux Parmensis, e gente Borbonica, Caroli III Hispaniarum Regis nepos. Ipse non secus atque alii principes non pauci, ubi erumpentem Gallicam perturbationem, efferatosque in dies magis adolescentes vidit, mox quae de Jesuitis habuerat consilia mutavit. Jam 1793 eventu comprobata sunt Catharinae II verba haec: « Tempus erit, cum occidentales Reges rogabunt me ut sibi Jesuitas velim submittere ». Ejusdem anni 23 Julio, Dux Parmensis ad Catharinam II et ad Patrem Lenkiewicz litteras dedit, quibus rogaret, ut Collegia in sua ditione sita, quae jam inde ab anno veteres jesuitae regebant, legitime cooptarentur in Societatem in Russia superstitem, novis suppetiis e Russia mittendis firmarentur et etiam Provincia cum Tirocinio [1] institueretur.

Quibus litteris acceptis, Nostri, sublatis in coelum manibus, Deo gratias egerunt. Sed ipsa quoque Catharina II, rogata Jesuitas, contenta erat. Statim enim Patres, submissis litteris quibus salvi educerentur, proficisci jussit. Parmam vero ita scripsit: « Non dubito quin Superior Collegii Jesuitarum, quod in regno meo Albae Russiae constitutum est, tam salutaria consilia vestra adjuvare festinet ». Haud ita multo post profecti sunt Patres Antonius Messerati, Aloysius Panizzoni et Bernardus Scordialò. Qui cum primis Februarii diebus, anno 1794, Parmam advenissent, ingenti gaudio recepti sunt. At vero tum primum de permissu Ecclesiasticae auctoritatis quaesitum. Jam quidem kalendis Maji 1793 Pium VI rogaverat Ferdinandus, ut ita fieri sibi liceret; quod vero responsum 23 Maji a Pio VI datum erat, solos ex-Jesuitas spectabat, nequaquam vero eos, qui proprii nominis Jesuitae modo ex Alba Russia venissent, nequaquam et minus etiam: novam Provinciam erigendam. Quibus de rebus cum iterum Ferdinandus scripsisset, die 15 Februarii 1794 Pius VI respondit: « Nos igitur, inquit, noluimus huc attendere, sicut neque attendimus ad eos, qui in partibus Septentrionalibus refugerant. Quod si quis tamen e magnis

[1] Tirocinium nunquam illis temporibus extitit in ditione Parmensi, ut ex epistolis V. P. Pignatelli omnino patet.

Principibus Catholicis offensam inde sumeret, quae quidem res facile accidere posset, sive excitantibus aliis Regularibus, qui fuerunt eorum aemuli, sive instantibus cujusdam philosophiae sectatoribus, qui turbas excitarent, tunc cogeremur nos improbare quae Vestra Altitudo Regia consilia cepit, dum nunc earum rerum conscii dissimulare contenti sumus » [1]. Mox Pontifex per D. Zaccariam Duci auctor etiam fuit, ut instaurationem Jesuitarum a Rege Hispaniae obtinere niteretur. « Jam Majestas tua, inquit, veram viam ingressa est procurando, ut suo cognato instaurationem persuaderet ». Et aliis litteris : « Ubi primum in Hispania iidem (Jesuitae) instaurari potuissent, speraremus fore ut exemplum alii ubique sequerentur, ipsique Nos inter primos illud imitaremur » [2].

Ad mortem usque Pius VI non solum tacitus sivit Jesuitas Parmae esse, verum etiam crescente in dies benevolentia Societatem solemni instauratione donare conatus est. Ex diversis epistolis, quas Pius VI ad Ducem Parmensem misit, omnino certum est, Papam voluisse restituere Jesuitas in Patrimonio Petri, si Carolus IV, Hispaniae Rex, eamdem restitutionem in Statibus suis permisisset. Quae res litteris quibusdam Consalvi, ad Legatum Vindobonensem datis, adeo aperte manifestatur, ut tum eo, quem fovemus, Societatis amore, tum Pii VI et Consalvi veneratione cogi nobis videamur, exscribere verba Cardinalis, qui tantum nomen postea adeptus est : « Magnam, at vere magnam injuriam mihi facis, qui dubites utrum unquam persuasum mihi fuerit, esse Jesuitas restituendos. Id mihi persuasum semper fuisse, Deum nunc testem invoco. Quia in Collegiis ego fui, quae illis non favebant, haud ideo factum est, ut eos crediderim malos; imo vero, etiam sic, e partibus illorum semper fui. Unum vero hoc tunc dicebam, mihi, quamvis de illorum praestantia plane mihi persuasum esset, maximumque damnum existimarem, quod jam non existerent, aliquantum tamen fanaticam videri eorum sententiam, qui negarent sine illis Ecclesiam stare posse, quippe sine quibus per tot jam saecula stetisset. Sed error fuit, quem jam ante tumultus Gallicos deposui, cum bene cognovissem Jansenismum. Credebam tunc, atque etiam nunc credo, sine Jesuitis Ecclesiam habere valde male. Si penes me esset hujus rei potestas, restituerem eos cras : pluries id dixi Pontifici, *qui semper*

[1] Ex arch. priv. Duc. Parm.
[2] Ex arch. priv. Duc. Parm.

*illorum restitutionem vehementer optabat*, sed timor principum, qui adversantur, fecit, ut differret, *sperando semper fore, ut rem exsequeretur*. Ipse si vita suppetet, cum primum libere potuerit, sin minus, qui ei successerit, id nulla interposita mora praestare mox debebit. Videbunt principes, Jesuitas restituenda religione, securos etiam fecisse illorum thronos »[1].

Revera successori ejus Deus instaurationem Societatis reservavit. Interea enim imminens in dies magis periculum civilis perturbationis principumque sollicitudo exitum semper meliorem Societati parabant. Pius VII, qui erat ei omnium maxime beneficus, mox illa animarum dispositione usus est ad muniendam viam, qua ad Societatis instaurationem perveniretur. Jam die 28 Julii 1800, quo anno ad Petri sedem evectus erat, Carolum IV, Hispaniarum Regem, obsecratus est, ut favere ipse Jesuitis vellet[2].

Anno sequenti Societatem in Alba Russia confirmavit. Ad quam confirmationem solemnem Societatis praeparatio proxima fuit illa notissima approbatio diplomatica, quam in fine vitae suae dedit Pius VI ad literas sui in Russia Legati Litta. Is enim die 8 Decembris 1798 instanter declarationem diplomaticam in favorem Societatis petierat[3]. Cui die secundo Martii 1799 Josephus Marotti, nomine Pii VI respondens: « Papa dolet, inquit, de infortuniis multis ex abolitione Societatis secutis; id quod Sanctitas sua coram me et aliis saepius affirmavit... Hoc sibi Excellentia Vestra persuadeat,

[1] Arch. Vat. di Vienna, *Lettere e dispacci di Consalvi ad Albano, 1799-1801, 13 Febr. 1799*. En originalem Cardinalis epistolam: « Un gran torto, ma grande voi mi fate, dubitando, se io un tempo fossi persuaso della necessità di rimettere i Gesuiti. Io ne sono stato persuaso sempre, e ne chiamo Dio in testimonio. L'essere io stato in Collegii non favorevoli ad essi non me li ha fatti mai credere cattivi, anzi malgrado ciò sono sempre stato loro partigiano. La sola cosa, che diceva allora, era che persuasissimo della loro bontà, e anche del danno della loro non esistenza, mi pareva però un poco di fanatismo il dire che senza di essi non poteva stare la Chiesa, essendone stata senza tanti secoli. Ma questo è l'errore, da cui rinvenni anche prima della rivoluzione di Francia, quando conobbi bene cosa era Giansenismo. Credei allora, e credo adesso, che senza Gesuiti sta assai male la Chiesa. Se comandassi io, li rimetterei domani: Lo dissi al Papa più volte. Egli ne è stato sempre smanioso; il timore dei principi opponenti lo ha fatto differire, sperando sempre di eseguirlo. Se egli vive, e può libero, o se ciò non averrà, il suo successore, dovrebbero adesso farlo senza più dimora. I principi vedranno che i Gesuiti rimettendo in piedi la religione, assicureranno i loro troni ».

[2] Ex ms. Tolet. S. J. Matriti.

[3] Zalenski-Vivier, *Documentum AA.*, Tom. II, p. 378.

quod Societas ista solemniter reviviscet ». Pius VI tamen propositum suum perficere non potuit. Obiit die 27 Augusti 1799 .

Vix Pius VII in commoto illo Conclavi Venetiis erat electus, cum Patres in Alba Russia solemnis approbationis desiderium Imperatori Paulo I aperirent. Qui consueta sua benevolentia petitionem accepit et jam undecimo Augusti 1800 brevem et familiarem inquit, certiorem me fecit, sodales hujus Societatis appetere Sancti- epistolam ad Pium VII mittens: « Pater Gruber Societatis Jesu, tatis Vestrae confirmationem. Quare pro hoc Ordine, quem peculiari affectione diligo, a Sanctitate Vestra solemnem approbationem peto; sperans fore, ut commendatio mea non sit inutilis ».

Multis ex causis, quas longum est describere, Breve *Catholicae fidei*, quo Societas in Alba Russia solemnem confirmationem accepit, non ante secundum Aprilis 1801 Petropolim advenit. Quod documentum Pontificium non solum maximum gaudium Patribus attulit, sed et viam stravit ad restitutionem Societatis in universo orbe. Non multo post Praepositus Generalis, Pater Franciscus Kareu, ad quem Pius VII Breve miserat, in pace obiit.

Quid mirum, ejus successorem, Patrem Gabrielem Gruber, sic in Societatem affecto Pontifice, de restauratione etiam extra Russiam procuranda cogitasse. Visum igitur est, primas hac in re vices deferendas ad utriusque Siciliae regnum, ubi negotium hoc tractari jam coeperat cum Patre Josepho Pignatelli. Societatis rerum in illa regione promovendarum occasionem nactus est Pater Gruber, cum Cardinalis Valenti Gonzaga bibliothecam locupletissimam ad Societatem detulisset. Patrem Cajetanum Angiolini misit, qui tum Vindobonae, tum Romae cum reverentia exceptus est. Quamvis iniqua essent tempora, Italia ex parte subjugata Napoleoni, qui Parmam quoque et Placentiam occupaverat, utriusque tamen Siciliae principes Jesuitas suscipere cupiebant. Qua opportunitate usus, Pater Angiolini, mense Martio 1804, Neapolim se contulit. Cui discedenti animum addens Pius VII: « Quodsi Rex, inquit, Societatem apud se habere voluerit, quibus id fieri solet verbis, petat; rogatus ego concedam ».

Ita confirmatus Pater Angiolini, cum Neapolim advenisset, Patrem quoque Pignatelli consilii causa sibi adscivit. Uterque Jesuita a Ferdinando Rege et Maria Carolina Regina peramanter exceptus est. Mense Februario de conditionibus disceptari coeptum. Socie-

tatis Instituti integri conservandi Patres tenacissimi erant. Quare cum exigeretur, ut in regno Neapolitano Socii ab auctoritate Superioris cujuscumque externi essent immunes, firmiter recusarunt atque illico confirmavit Pater Pignatelli, tali conditione neminem Jesuitam Neapoli remansurum, sequo ipsum quam primum rediturum esse Parmam. Recessit igitur ab ea conditione Ferdinandus Patrique Angiolini mandavit, ut Romae peteret Societatis Jesu in utriusque Siciliae regno instaurationem.

Aliis quoque modis Rex Papam certiorem fecit, se Societatem libenter accepturum. Vix autem id resciit Hispaniae in urbe Roma Legatus, cum apud Pontificem missis litteris intercessit, quibus quod per annos quadraginta exarserat, in Societatem odium denuo expleret. Tum vero Ferdinandus IV et Maria Carolina litteras scripserunt ad Hispaniae regem, qui legatum suum ab intercessione jussit desistere.

Pius VII autem, die 30 Julii 1804, Breve edidit *Per alias*, quod inscriptum erat « Dilecto Filio Gabrieli Gruber, presbytero ac praesidi Superiori Congregationis Societatis Jesu in imperio Russiaco », quo scripto Breve *Catholicae fidei*, datum die 7 Martii 1801, ad regnum utriusque Siciliae extendi voluit. Fuit autem benevolentiae et amoris certum indicium, quod Pius VII Breve *Per Alias* manu propria exaravit. Pater Gruber gratias egit die 15 Septembris 1804. Dolendum vero, Pium VII, cum Romam eae litterae advenirent, Parisios profectum jam esse, ut Napoleoni insigne imperatorium imponeret. Aerumnae atque injuriae plurimae Parisiis manebant Pontificem Maximum, qui ad cladem usque Napoleonis, martyres patientia aemulatus, gravissima passus est.

Mortalium vero res omnes moderatur Deus, qui hominum iniquorum permittens triumphos, suam ex illis utilitatem capere novit. Neque vero minus, praepotentem deprimens tyrannidem, quos ad extremam illa miseriam abjecerat, e dejectione relevavit ipse: *Deposuit* enim *potentes de sede et exaltavit humiles* [1]. Et re quidem vera liberatum iri Pium VII suspicatus nondum erat quisquam, cum, qui in regionibus haeresi ac schismate infectis dominabantur principes, in tyrannum, cujus vinculis Pius VII detinebatur, ipsi consurrexerunt, eumque, prope a Lipsiaco devictum, in Galliam

[1] Luc. I, 52.

concluserunt. Napoleon igitur, die 22 Januarii 1814, vinculis liberavit Pium VII, qui die 24 mensis Maji insequentis, incredibili laetitiae significatione, exsultante universo populo, Romam ingressus est.

Futurum mox erat ut Societas Jesu, quae per dimidium ferme saeculum aerumnarum Ecclesiae fuerat particeps, atque ejusdem Capitis, Romani Pontificis, sortem tristem subierat, de utriusque etiam triumpho participaret. Pius quippe VII Societatis plenam atque universalem restitutionem in hos ipsos dies, publico triumpho communique laetitia insignes, reservarat. Ab ipso, dum captivus detineretur, annis 1809-1814, Societatem restitui non potuisse, manifestum est. At quaerat forte quispiam, qua de causa antea, cum dies essent satis tranquilli, ex animi sententia rem illam non confecerit? Responsum vero in promptu est. Notum enim est, jam anno 1805 Pium VII operam dedisse, ut Imperator Austriae Societatem nominatim in ditione Veneta restitui sineret. Die quippe 19 Januarii Imperator Franciscus II petierat, ut in ditione Veneta Congregationem veterum Jesuitarum constituere posset. Cui Consalvi duplex responsum dedit: Pontifex paratus est dare statim Congregationem Sacerdotum saecularium in forma Oratorii; sed secundo invitat Imperatorem, ut res praeparet ad accipiendos veros Jesuitas, quos Pontifex restituere cogitat.

Ea vero consilia, intercedente bello Austriam inter et Galliam, destructa sunt. Adde, quamvis propensa esset Pontificis ad coepta perficienda voluntas, Consalvi tamen Cardinalem, qui ipse quoque erga Societatem bene affectus esset, perstitisse in sententia, qua censeret, restitutionis procurandae initia ab ipsis principum aulis debere proficisci. Neque vero in ipsa etiam Roma Societatem restituendam putabat esse, nisi prius ex Europae principibus aliquis, cujus major esset auctoritas, imprimis Austriae Imperator, pro illa intercessisset. Quae Cardinalis Secretarii sententia tam firma erat ut eam Pio VII quoque probaret [1].

Ac fuit in ea etiam re advigilantis Dei providi consilium. Opportunum enim tempus anno 1805 nondum erat. Perstabant enim in Jesuitarum odio Hispania et Lusitania; Austriae porro civiles rationes Josephum II etiam tunc sapiebant nimium. Periculum

[1] Quae res, pluribus ejus temporis litteris ita affirmata, ipsa vero Cardinalis ratione agendi confirmari videbatur.

praeterea erat imminens ne, qui Europam universam pervadebat furor bellicus, palearum ad instar correptam Societatem disjiceret.

Quae incommoda vix non omnia anno 1814 urgere jam desierant. Notum est, Societatem, etiam extra Russiam, publica Ecclesiae auctoritate agnitam ac restitutam fuisse in utriusque Siciliae regno, aggregatam insuper Societati Russicae, in Anglia, Scotia, America. In Helvetia quoque jam ille quasi nucleus erat, quo evoluto exstitura erat Provincia Germaniae Superioris. Porro omnibus in locis *vivae vocis oraculo* permissum erat ut quoad forum internum novi aggregarentur Socii. In Belgio et Hollandia ipsum Tirocinium jam erat; Novitios nonnullos in Gallia quoque collegerat Pater de Clorivière. Rebus igitur ita dispositis, futurum erat ut, ubi primum coram universo orbe locutus esset Summus Pontifex, ex omnibus undique partibus adolescentes ac Sacerdotes vexillo Societatis Jesu addici rogarent [1]. Verum quidem est, in Russia Societatis res brevi minus tutas fore jam praesagiri poterat, quasi illa se munere propemodum perfunctam praevideret. At manifesto hic quoque providum aderat Numen. Sic enim, peracta restitutione, e Russia mox adventura erat Provincia rite ordinata, Ignatiana mente imbuta penitus, antiquarum Ordinis traditionum conservatrix, litterarumque studiis, labori impigro, spiritualium rerum ingenuae institutioni jamdudum assuefacta. Quae per diversas regiones, ubi jam erat Societas laborique instabat, dispersa, defectus aliquos passim haud dubio occurrentes supplevit.

Autumno anni 1814 reipublicae rationes per universam Europam immutatas fuisse, non est cur demonstretur. Resipiscens ipsa Hispania deposuerat pristinum odium Societatis. Anni illius die 15 Julii cum restituta Societas nondum esset, rex ad Pium VII litteras dedit, quibus se de revocandis in Hispaniam Jesuitis dudum cogitare significabat; tantummodo aliquas remanere « difficultates, quas, ut aiebat, optimi, fideles, semper irreprehensibiles Jesuitae ipsi fere dissipaverunt » [2].

Haud talibus verbis illi, paucis ante annis laudabantur. Persuasum enim jam erat principibus vix non omnibus, religioni atque imprimis religiosae adolescentium institutioni favendum esse.

[1] Cf. Infra, cap. II. Tirocinium certe tunc temporis in Belgio et Gallia legitimum non erat.

[2] Ex Arch. Vat. *Lettere di S. Santità, 1815.*

Cujus rei procurandae quum bona dudum fama Societatis esset, exoptabant jam ut ipsa huic se operi liberrime denuo devovere posset.

Qua de re, jam quo tempore Pius VII iter in Italiam parabat, Praepositi Societatis libellum supplicem pararunt, quem mox a reditu ad Pontificem deferrent. Pater Ludovicus Panizzoni [1], die 7 Februarii 1814. haec ad Patrem Cajetanum Angiolini scripsit:

« Ante festum Paschatis erit hic nobiscum Summus Pontifex, qui imprimis hoc procurare vult ut in suo ipse Regno restituat Societatem, principesque exhortetur ut in suis quique Statibus eam restituant; quare libellum supplicem nomine Patris Nostri paratum habeo » [2].

Pater Panizzoni, die 6 Aprilis, etiam melius edoctus, haec scribit:

« Jam versatur ille (S. Pater) Bononiae, unde iter suscipiet Romam, ubi ante finem hujus mensis eum adfuturum speramus. Paratos habeo libellos meos supplices, quos nomine Patris Generalis offeram. Novi consilium ei esse ut quam primum Societatem restituat non in suis modo Statibus, sed in universo mundo » [3].

Nonnulli Patres atque amici praecipue externi ridebant Panizzoni, tam firma sententia asserentem. Somnia, sic illi, sibi fingit, ignorans quae ipse dicat, vetulus. Perstabat tamen in sententia ac mox Junio 1814 nomine Praepositi Generalis, Thaddaei Brzozowski, libellum supplicem Pontifici porrexit. Quod, cum sit magni momenti documentum, silentio illud praeterire nefas.

« Praepositus Generalis, inquit, Patresque Societatis Jesu, qui e benigno Pontificis mandato in Russia et in Sicilia degunt, cum cupiant principum quorumdam volentium ministerio eorum in instituendis adolescentibus uti, obsecundare voluntati, cumque iisdem Breve Clementis P. XIV obstare videant, humiliter Sanctitati Vestrae supplicantur, ut obstaculum sive impedimentum removere dignetur, *restituenda Societate in antiquum statum, juxta ultimam confirmationem Clementis P. XIII*, sicque possint principes iisdem

[1] Panizzoni, cui contigit ut e Pii VII manu susciperet Breve *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*. natus erat Junio 1729, ingressus 3 Novemb. 1745, Professionem emiserat 2 Februarii 1763. Quo tempore suppressa est Societas, Prati mathesim docebat.

[2] *Ms. Bibl. Corsin.*, Cod. 2157 (37. H. 21).

[3] Cod. cit., fol. 34.

uti, pro iis quae Statuum suorum necessitates atque adjuncta sunt, ipsique Religiosi, ubicumque requisiti fuerint, libere auxilium suum ferre valeant » [1].

Die vero 17 Junii, Pius VII, nulla ad eas res, quae dicebantur, animadversione facta,

« Sumus, inquit, propensi, et amplius, ad obsecundandum suo tempore oratorum diligentiae ac votis » [2].

Quo statim facto responso, videtur Pius VII secum ipse quidem statuisse de tempore restituendae Societatis. Paucis enim diebus post, Pacca Cardinalis, facta sibi Pontificis adeundi potestate, de iis rebus exorsus sermonem, de quibus collocuti inter se tam saepe fuerant,

« Beatissime Pater, inquit, nostrum de Ordine Jesu colloquium integrare oportebit: neque plura ego. Mox vero Papa: « *Possumus*, inquit, *Societatem Jesu restituere proximo festo die S. Ignatii* ». Quod sponte factum responsum, neque ullo modo a me exspectatum, mihi nec opinanti solatium magnum attulit » [3].

De ratione quoque ipsa ac vi restitutionis faciendae, Pontifici, talia ad P. Brzozowski respondenti, firma sententia jam stetit. Patribus enim instaurationem petentibus Societatis, qualis per supremam illam ac publicam Clementis XIII confirmationem haec fuerat, Pontifex respondit, propensum se esse, et amplius, ad satisfaciendum Patrum votis. Quae verba alio quodam ipsius Pii VII dicto firmantur ac declarantur. Die enim 3 Julii 1814, facta Patri Emmanueli de Zuñiga, Praeposito Provinciae Siculae, Pontificis adeundi potestate, de praesenti Societatis conditione sermonem hic miscere coepit:

« Eo, inquit de Zuñiga, quidam devenerunt, ut rumorem circumferant, Societatem, quae hodie sit, eamdem non esse quam quae olim fuerit, sed Congregationem quamdam a Vestra Sanctitate fundatam. Nequaquam, inquit Pius, nullo id quidem modo: eadem est, quae per duo saecula exsistebat, quamquam certis circumscripta limitibus, propterea quod in Brevi de privilegiis sermo non est, aliaeque sunt appositae res quaedam, quarum obligatio inducta est adjunctis Galliae, Hispaniae et aliquorum Episcoporum. Eo vero

[1] *Ms. prov. Angliae*, vol. D, fol. 213. Copia Ms. S. J.
[2] Ibid.
[3] Pacca, *Memorie storiche del ministero*, Roma 1830, p. 360.

quod proxime instat Brevi exprimentur quaecumque prius illud tacebat » [1].

Insequenti die 25 Junii, S. Pater pro-secretario Status significavit, velle se, die 31 Julii ejusdem anni, Constitutionem aliquam pro Societate Jesu in publicum edi. Quod mandatum ipse, vir alioquin imprimis modestus, ea dedit sententiae firmitate eaque vi, ut admirationem circumstantibus moveret. Plane quippe sui juris ac potestatis, neque ullo homine cogente, Pius VII id ipsum faciebat, ad quod suae solius conscientiae hortatu adigebatur. Neque vero e principibus quisquam instanti prece Pontificem ea de re adierat, quamquam revera animo plerique expetebant ut Jesuitae instituendos adolescentes susciperent. Litterae enim, quibus Hispaniae Rex suam Pontifici significavit restituendae Societatis voluntatem, postea advenerunt; Galliae vero Rex, Ludovicus XVIII, pro Societate verbum fecerat nullum; nullum ex aliis Regibus quisquam. Imo erant, qui etiam tum hostiles animos ei gererent. Ipsius Sacri Collegii sententiae de restituenda Societate non sunt exquisitae. Cardinalis Consalvi tamen restituenda Societate gavisus est maximopere, quamvis aliquarum aularum offensam timeret; quippe qui in Comitiis Vindobonensibus, mox habendis, Ecclesiastici Status gratia, principum benevolentiae indigeret. Quibus de causis haud invito ille animo restitutionem Societatis ad menses aliquot distulisset [2]. Jam diximus, Bartholomaeum quoque Pacca Cardinalem properatam sententiam Pii VII miratum valde fuisse.

Cujus rei ratio, primum animo concepta, unius Pii VII propria fuit: gloria vero perficiendae Summi Pontificis sententiae ad Pacca Cardinalem est deferenda. Hic sane admirari satis non poterat, quibus viis Deus providus esset usus, ut per eosdem viros Societatem restitueret, qui nequaquam eidem antea favissent.

« Pontifex, inquit, a quo tempore junior S. Benedicti monachus erat, iis magistris usus fuerat ac lectoribus, qui, ut dici jam solet, adversi Jesuitis essent. Meum vero a prima jam adolescentia animum pervaserat odium, aversio, ac vix non fanaticus furor contra Societatem » [3].

[1] Narbone, *Annali Siculi*, I, p. 182-184.

[2] Arch. Vat., *Carteggio dei Card. Consalvi e Pacca 1814-1815*. Parigi 1814, 25 Luglio; Vienna 8 Sept. 1814; ibid. 10 Oct. 1814, etc.

[3] Pacca, *Memorie storiche del ministero*, Roma 1780, p. 361-362.

Erat igitur Cardinali impositum munus gravissimum, non modo ut unius mensis spatio pararet Breve, verum etiam ut in Ecclesiastico Statu religiosas domos instruendas curaret. Alteri negotio vix tempus suppetebat, alteri deerat pecunia. Nec vero negligenda oppositio, in quam offensurus esset. Dum plerique laetitia gestientes expetebant Patres, non tamen emortuum, Romae praesertim, Societatis antiquum odium erat. Illud quippe Severoli, allegatus Vindobonensis, datis 1804 ad Consalvi litteris, commemorabat:

« Jesuitarum, qui sunt in ipsa Roma, hostes, magis quidem illi funesti, callidi magis quam qui Matriti inveniuntur. Novit Vestra Eminentia, quod nemo nostrum ignorat, illius Ordinis cladem Romae vel maxime praeparatam fuisse »[1].

Anno autem 1814 in conditione parum vel nihilo meliore res erant [2]. Festinatione ac viribus opus erat coepta perficere volenti. Dum cum aulis principum iniri consilium alii volebant, Pacca contendit ex adverso, a se haud minus quam a Pontifice, inconsultis principibus rem actum iri.

Litta Cardinali, cujus notum erat ingenium, indoles, diligentia, aestimatioque Societatis, mandatum est ut Bullam pararet. Qui quo tempore allegatus Petropoli erat, anno jam 1799, instanter a Pio VI expetierat, ut in Russia Societas auctoritate publica Pontificis confirmaretur [3]. Neque igitur mirum, adumbrationem quam fecit Bullae vere esse Societatis quasi apologiam. Etenim posteaquam dixit « dissipatas jam esse procellas, quibus jamdudum Ecclesia Christi jactabatur », pergit querendo « propemodum jam deesse juventuti optimam morum institutionem; tam multis Ecclesiae populis divini verbi pabulum », ac « tam multis nationibus, in tenebris et umbra mortis sedentibus, zelo flagrantes deesse ministros ». Tum vero, corpus Societatis non modo collaudans ve-

[1] *Epistola numeris scripta a Severoli ad Consalvi 10 Juin 1804*, Arch. Vat., Nunt. di Vienna, n. 708.

[2] *Epist. Patris Angiolini ad P. Butler*. Roma 22-29 Julio 1814. Bibl. Corsin. cod. 2189, f. 52-58.

[3] * Pietroboni, *I Gesuiti sotto l'impero Russo*, p. 73-74. Pacca affirmat. Littae indolis descriptionem, quam exhibuit Artaud (*Hist. de Pie VII* Tom. 2, p. 415), esse falsam et calumniis plenam. *Osservazioni sulla storia di Pio VII del cav. Artaud:* * *Ital.* 12-1, 3. Litta praefectus postea est Congregationi de Propaganda Fide, dein Cardinalis Vicarius constitutus.

rum etiam reprehensioni nulli obnoxium affirmans, dicit « Haec sacra munia praefatam Societatem a prima sui institutione magna cum laude singularique Dominici gregis utilitate animarumque profectu semper et ubique terrarum obiisse, quemadmodum et alii plures Summi Pontifices... et speciatim felicis recordationis Clemens XIII in sua Bulla *Apostolicum* luculenter testatus esset ». Quae quidem dici omnia poterant, parum excitando inimicos Societatis. At periculo magis objectus locus erat, quo in memoriam revocabat Societatis suppressionem, « obtentam a felicis recordationis Clemente XIV..., licet non sine titubantis, invitique animi significatione »; atque affirmabat suppressionem eamdem « in malas artes, atroces calumnias, impiasque machinationes falsi nominis philosophorum ac politicorum praecipue refundendam esse, qui per Ordinis hujus mortem Ecclesiae ipsius, cui utiliter adeo inserviret, interitum inaniter meditati essent ». Neque periculo vacabat locus, quo asperius tractabantur regimina ac Reges ipsi, quorum anno 1814 sive filii sive sanguine proxime conjuncti rempublicam in variis regionibus regebant. Res igitur clamat ipsa, adumbratae Constitutionis sententias ejusmodi, ut verae essent ac Societatis laude plenae, aliis tamen de causis fuisse reclamatas. Cardinalium maxime omnium indignatus restitit Michael di Pietro, qui cum anno circiter 1773 in publicis Ecclesiae negotiis versari coeperit (quo tempore omnia plena erant objurgationum et querelarum de Societate), mirum non esset eum potuisse aliquid suspicionis et alienationis animo imbibere. Qui acriter renuit tum argumentum admittere tum modum dicendi, iis praecipue locis, ubi Clementis XIV et insectatorum Societatis fieret mentio. Neque etiam probavit confirmari Societatis « jura et privilegia omnia, quibus Apostolicae Sedis auctoritate et gratia proxime ante extinctionem suam polleret » [1]. Voluit etiam, ex adumbrata Bulla adimi sententias aliquot, quibus Breve *Dominus ac Redemptor* in invidiam adduceretur; tum vero restituendos esse Jesuitas *juxta modum*, id est addita reformatione congrua ac discreta. Quae reformatio, quam sua ipse adumbratione Cardinalis descripserat, eo praecipue spectabat ut Societatis Institutum, quasi amputando, referretur ad eam Regulam, quam Paulus III primum approbasset [2]. Quamquam neque alii

[1] Arch. Vat. *Carte mss. bavare anteriori all'anno 1814.* Miscellanea Arm. XV.
[2] Arch. Vat. Ibid.

deerant, qui ex eadem sententia disponere res vellent, timidi tamen in tenebris latere illi maluerunt, quippe cum, de instanti Societatis restitutione fama perlata, ingens laetitia Romae coorta jam esset. « Ratam illam Pontificis sententiam, inquit Pacca, cum intellexerit Roma, dici non potest quantam ea de re exsultationem demonstret » [1].

Nec difficilis conjectura est, cujus formae Bulla e tam variis ac diversis opinionibus consecutura fuerit. Describitur enim a Pacca Pius VII tamquam vir, qui ingenii acumine prudentiaque in rebus agendis ita multum valeret, ut tamen consiliis accipiendis libenter pateret:

« Quae in consiliis de re quapiam habendis Pio VII primae cogitationes oboriebantur in mente, primaeque animi ejus destinationes, judicio illae egregie sano subtilique mentis acumine profectae semper erant; atque utinam exsecutioni mandatae semper fuissent! Verum si forte minister ejus aliquis, aliusve, qui adesset, satis magnae auctoritatis homo oppositum illi quidpiam objecisset, et contrarium consilium proposuisset, multum atque importune insistendo, saepe Pius, bonus ille vir, sua ipsius relicta sententia, alia illa sibi suggesta sequebatur consilia, quae tamen meliora ut plurimum non essent. Qui animo sunt malevolo, illam ejus dotem sive animi imbecillitati tribuunt, sive nimio desiderio gaudendi quiete et tranquillitate; alii iterum inde profectam dicunt, quod de se ipse demisse sentiret, aut quod de suo mentis acumine suoque ingenio nimium diffideret, ejusque rei agnoscunt in causa esse singularem viri modestiam atque humilitatem » [2].

Cujus modestiae atque humilitatis eventus is erat, ut, nec partium sententiis ac studiis Societatem quasi praedam objicere nec fidos suos administros offendere Pontifex volens, mediam consilii viam iniret. Seposita a Pio quam Litta confecerat, Bullae descriptione, ac secunda illa, quam Cardinalis di Pietro proposuerat, aliam composuit vel componendam curavit Pacca tertiam, quae publici juris dein facta est. Nullo ille verbo reformandi aut mutilandi Instituti mentionem facit; privilegium neque nominatur neque abrogatur ullum; in universum orbem concepta atque enuntiata est sententia Bullae, nequaquam, prout volebant aliqui, pro solo

[1] Arch. Vat. *Cart. del Card. Pacca col Card. Consalvi 1814-1815*, 4 Aug. 1814.
[2] Pacca, *Memorie storiche del ministero* etc., Roma 1830, p. 270.

Ecclesiastico Statu; nullam ne speciem quidem reprehensionis addi voluit, qua liberalitas Bullae corrumperetur; neque concessit, ut Missiones exterae, quas Societas susceptura esset, Congregationi de Propaganda Fide novo quodam ac singulari modo subjicerentur, quod nonnemo proposuerat. Cardinales quibus adumbratae Bullae probandae mandatum a Pontifice delatum fuerat, omnes « Cardinales nigri erant », Brancadoro, Gabrielli, Litta, Mattei, di Pietro. Petentibus atque enixe postulantibus plerisque ut Societati, tot ac tantas aerumnas passae, major tribueretur laus honorisque restitutio, alii tamen in retinendo simpliciore dicendi modo perseverarunt. Mattei Cardinalis, ac jure ille quidem, admitti noluit appellationem « Regulae primigeniae S. Ignatii »; quippe qua, supposita regula altera, quasi vero a priore quadam defecissent, injuria Societati inferretur et S. Sedi, quae Societatem hujusque regulam, a se laudatam semper, confirmasset. Tum, in Bulla rationem restitutionis faciendae nominandam esse dixit, primam quidem « intimam persuasionem, Sanctissimi Patris animo insidentem, magnam semper a Societate utilitatem allatam esse Ecclesiae Dei », alteram vero, quae accederet, « instantes a pluribus S. Patri expositas preces ». Proposuit tandem ut una cum bullis Pauli III confirmarentur etiam aliae, quibus Societati tantopere favebatur. Constitutiones successorum [1].

Quibus Alexandri Mattei animadversionibus et votis non prorsus satisfactum est, sed ex parte tantum. Pacem fieri voluit Pius VII. Egregiam igitur in agendo prudentiam magnumque Societatis amorem eo significavit, quod effusis laudibus ac privilegiis provocare inimicos noluit, nec recens restitutam Societatem, opibus ac membris exiguam, invidentium objicere insectationibus. Die 3 Augusti, ipso Pontifice praeside, habitus est ultimus conventus eorum, quibus commissa rei cura fuerat. Cum, quae facta erat oppositio, in publicum edendae Bullae moram attulisset, non 31 Julii, ipso festo S. Ignatii, quo id fieri voluerat Pius VII, sed octavo post die, 7 Augusti, promulgari potuit.

Publica Bullae inscriptio haec est:

« Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pii, Divina Providentia Papae VII, Constitutio, qua Societas Jesu in statum pristinum in universo orbe Catholico restituitur ».

[1] *Riflessioni sulla Bolla* * *Ital.* 12, 1, 3.

Renovata primum memoria Brevis *Catholicae fidei*, quo Societas in Russia erat confirmata, atque alterius Brevis, *Per alias*, quo confirmatio haec ad regnum utriusque Siciliae extensa fuerat, haec porro dicuntur:

« Pro ejusdem Societatis Jesu restitutione, unanimi fere totius Christani orbis consensu, instantes urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, atque ab omnium insignium personarum ordine et coetu quotidie ad nos deferuntur [1]; praesertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos haec Societas in memoratis regionibus protulerat, quaeque, prolis in dies crescentis fecunda, dominicum agrum latissime ornatura et dilatatura putabatur.

« Dispersio ipsa lapidum sanctuarii, ob recentes calamitates et vicissitudines, quas deflere potius juvat quam in memoriam revocare, fatiscens disciplina Regularium Ordinum (religionis et Ecclesiae Catholicae splendor et columen), quibus nunc reparandis cogitationes curaeque Nostrae diriguntur, efflagitant, ut tam aequis et communibus votis assensum Nostrum praebeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari Providentia Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati, expertos et validos qui sese Nobis offerunt remiges, ad frangendos pelagi naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus, respueremus.

« Tot ac tantis rationum momentis tamque gravibus causis animum Nostrum moventibus, id exequi tandem statuimus, *quod in ipso Pontificatus Nostri exordio vehementer optabamus*... Omnes concessiones et facultates a Nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus, ad totum Nostrum Statum Ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios Status et ditiones.

« Quare concedimus et indulgemus dilecto filio Presbytero Thad-

[1] Eadem separato affirmabantur chirographo Pontificio, in quo agebatur de Domibus, Templis, bonis in ditione Pontificis restituendis, « instantibus multis atque insignibus Principibus, S. Ecclesiae Rmis Cardinalibus, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque illustribus praelatis personisque praecipua nota dignis » (7 Aug. 1814) * *Rom.* 1-I, 1, p. 4.

daeo Brzozowski, moderno Praeposito Generali Societatis Jesu [1], aliisque ab eo ligitime deputatis omnes necessarias et opportunas facultates, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum... omnes illos qui in Regularem Ordinem Societatis Jesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere et licite valeant ».

Largitur deinde Pius VII potestatem omnem erigendi Seminaria, Collegia, ac, servatis servandis, praedicandi et Sacramenta administrandi; tum vero Societatem, sub sua Summi Pontificis tutela positam, Principibus atque ecclesiasticis Superioribus commendat. Bulla data est 7 Augusti 1814. Illa vero charta restitutionis nostrae fuit, quam Pius VII, arbitrio usus suo, animo lubentissimo ac gaudens edidit; dum e contra Clemens XIV Brevi suppressionis *Dominus ac Redemptor* moerens atque vi coactus tandem consensit. Hic Societatem projecit, ratus inde saevas ab Ecclesia remotum iri procellas; calamitatibus vero Ecclesiae ut mederetur, Pius VII, data Bulla *Sollicitudo*, restituit Societatem.

« Societas Jesu, ita ad Patrem B. Fenwick in America degentem Pater Grassi, jam igitur plene restituta! Diu illa injuriis, diu contumeliis impetita Societas! Criminata illa Societas, quasi juventutis esset corruptrix, magistra vero malesanae doctrinae moralis, male Christianae, inique remissae! Gradu illa per ipsam Ecclesiam dejecta Societas, rejecta, dico, ab hujus ministris; a Regibus extra leges posita, conviciis lacessita a plebe. Restituta nunc illa per universum orbem, restituta vero publica Summi Pontificis Bulla! In angusto horridae terrae angulo conclusa erat adhuc, nec permissum ei ut inde egrederetur, ne scilicet hujus mundi gentes halitus ejus pestiferi sorberent venenum; jam ecce evocata est, tanquam mundi ejusdem, in philosophiae scopulos elisi, tabula salutis unica » [2].

Pius VII, 7 Augusti Bullam solemni ritu recitari voluit, dein

[1] Magni momenti res est ut advertas, Russiae nominari Generalem ideoque restitui universam Societatem ab illa ejus residua parte, quam homines etiam dignitate ac munere conspicui « contumacem » vocare veriti non erant. Non Italiae nimirum, sed Russiae Superior ille formaliter, ut dicunt, nominatur. Si Pontifex socios in Russia superstites pro contumacibus habuisset, eos neglexisset, sibi ipsis reliquisset. Sed contra voluit ut Generalis et qui cum eo erant Religiosi in Russia, quasi centrum essent ac nucleus restitutae Societatis.

[2] *Woodstock Letters*, vol. X, 1881, p. 115. Adscriptus epistolae est 23 December 1814.

ipse illam Societati in manus traditurus. At cui tradenda esset, orta quaestio, ultimis Julii diebus, cum suprema operi manus adhibebatur. Petropoli degebat Praepositus Generalis Societatis. Dum ipse inde Romam veniret vel alteri Bullae suscipiendae faceret potestatem, haud potuit exspectari. In Urbe tunc erat, cujus jam saepius facta est mentio, Pater Cajetanus Angiolini. Qui vir, cum esset animi vehementia abreptus ac per impetum res omnes agitandi cupidus, officio Procuratoris Generalis et Consultoris dejectus jam fuerat [1]. Enitebatur vero ut ea de re sibi Romae satisfieret debitusque honor restitueretur. Qui causam ipse suam tam solerter dixit, ut faveret ei Litta Cardinalis, cum ipse suas sibi in Bulla proclamanda atque exsecutioni mandanda partes peteret. Ipse igitur Pius VII jam Patrem Angiolini nominavit, qui in suscipienda Bulla locum teneret Patris Brzozowski, Societatis Praepositi Generalis [2]. Adstitit vero Societati Deus. Patribusque Pontificis melius edocendi tempus opportunum concessit. Quid enim recens restitutae Societati futurum fuisset, si regimen ejus tenuisset homo pervicax? [3]. Contigit igitur ut inveniretur evadendi via. Pater Angiolini nimirum nominatus est Consultor Congregationis Rituum: ut vero vices Patris Brzozowski in Bulla exsecutioni mandanda teneret, commissum est Patri Ludovico Panizzoni, cui a Pacca Cardinali, 7 Augusti, quo die solemni ritu proclamata est Bulla, publice id munus demandatum est [4].

Eodem die, qui erat a festo S. Ignatii octavus, eoque anno 1814 in Dominicam incidit, Romanus populus conferta multitudine se contulit ad illud, quod dudum in deliciis habebat, templum a Jesu Salvatoris Nomine vocatum. Venturus enim eo ipse erat Pius VII, suppressionis Breve revocaturus, restiturusque Societatem per universum orbem. Hora octava matutina venientem a Quirinali Ponti-

[1] Brzozowski ad Zuñiga et Angiolini scribens, 4 Aprili 1810. *Ms. Soc. J. Reg. Russ. Orig.* Tom. III, p. 17-18.

[2] * *Ital.* 12 A. II, 7.

[3] P. Zuniga scribens ad P. Stone, 21 Sept. 1814. * *Prov. Angl.* vol. I. fol. 177, cop. l. c. 12, II, 3.

[4] * *Ital.* 12 A, II, 2. Annis 1814-1819, in Russia degens, Praepositus Generalis Societatis Romae habebat Vicarium; 1814, 7 Augusto, P. Panizzoni; 1814, 21 Decembri, P. Perelli; 1818, mense Decembri, P. Fortis; 1819, 23 Februario, Praepositus Generalis P. Brzozowski Vicarii Generalis munus supprimit; 1819, 23 Majo, Id decretum approbatur a Pontifice; 1819, 20 Julio:. P. Sineo ejus rei certiorem facit Provinciam Italiae.

ficem ad templi januam exceperunt Cardinales [1], Jesuitae fere centum. Pius igitur VII, ad splendidum altare illud, sub quo S. Ignatii ossa reposita quiescunt, sacrum Missae sacrificium litans, pioque exaestuans ardore, S. Fundatoris favorem, in se quasi de caelo delabentem, animo persentiebat. Peracto sacrificio, ad Nobilium Sodalitatis Sacellum, quod splendide ornatum fuerat, se contulit. Aderant S. Collegium, Episcopi aliquot, viri conspicui multi, ipsa quoque Maria Ludovica Borbonica, Regina, Caroli III, Hispaniae Regis, neptis, cum filiis suis tribus: erat quippe ea honoris reparatio, quam domus illa Regia Societati rependeret. Stabant, ad muros post Cardinales dispositi, Jesuitarum bini ordines, Hispanorum, Italorum, Lusitanorum [2]. Triplici quasi corona annorum, meritorum, dolorum, insignes erant omnes: qui minores natu, annum excedebant sexagesimum, qui majores, sextum et octogesimum; revera « *multitudo*, inquit Pacca Cardinalis, *languentium, exspectantium aquae motum* ». Pius igitur VII, posteaquam throno sedit, Bullam porrexit Ill. Belisario Cristaldi, qui illam clara voce, plaudente coetu, recitavit, Jesuitis vero auscultantibus plorando ac singultando. Quo facto, instrumentum a Beatissimo Patre traditum Patri Ludovico Panizzoni, qui, ad thronum in genua provolutus, paucis gratias egit ardentissimas. Post quem Patres omnes ad pedis osculum admissi. Qui, animo vehementer commoti ac radiante prae gaudio vultu, unus post alium, vel baculo insistentes vel manu alicujus ex illustrissimis viris adstantibus nixi, per throni gradus ascenderunt ad Pium VII, qui singulis, comiter arridendo, paterno more verbum fecit. Commotus quippe animo ac gaudens, veteranos dum videbat hos milites, quos ipse Deus, aerumnis acerbissimis per annos 40 laborando exhaustis, in hunc diem servave-

[1] Eorum nimirum qui Romae tunc degebant, nemo aberat, nisi unum excipias, morbo laborantem.

[2] Luengo, qui Jesuita antea fuerat, tunc vero spectator aderat, in Diario ne verbum quidem de P. Alberto de Montauto, quem dicunt alii tunc annos natum fuisse 126. At certum est eum Augusto 1814 Romae non fuisse. Si quaesiveris utrum in vivis etiam tunc fuerit, dicemus credibile id nobis non videri, quidquid in contrarium asserit *Diario di Roma*, 31 Augusto 1814, et *Times*, ineunte Octobri 1814, * *Ital.* 12 A-II, 5. Nomen porro eius anno 1773 non invenitur adscriptum in *Catalogo Prov. Rom.*, quae tamen Patrem quemdam Albertum de Montauto saeculo XVIII ad suos socios adnumerabat; neque reperies nomen in *Catalogo Defunctorum* Patris Vivier; neque 1773 in Catalogo eorum, qui Jesuitae fuerant. Vita functus jam erat, ut videtur, 1772. Cf. P. Petrum Galletti, *Memorie storiche del P. Ricasoli*, Prati 1901, p. 157 et 588 et Cat. Prov. Rom. 1773, Bibl. Civ. Cath.

rat, reparato Societatis honore laetissimum. Ac sane quidem viri illi, Sacerdotes qui essent animorum zelo flagrantes, missionarii regionum longinquarum, adolescentium institutores, scriptores, homines religiosae vitae exemplo praeeuntes, speciem aliquam prae se ferre poterant earum rerum, quas postero tempore praestitura esset Jesu Societas. Re tamen vera dum venerandi senes illi, exaltata carissima matre sua, Societate, jam Simeonis canticum *Nunc dimittis* ingeminantes ac laeta quiete securi, lassum ipsi reclinabant caput [1], progenies simul exoriebatur altera. Haud enim ita diu post Altieri Princeps, Taparelli Marchio, alii adolescentes plurimi Tirocinium S. Andreae ingressi sunt. Odescalchi vero Princeps, a viris summa auctoritate pollentibus ab ingressu tunc prohibitus, postea, Cardinalis-Vicarius factus, purpuram commutaturus erat carissima sibi veste Societatis.

Peractis solemniis, Pacca Cardinalis, qui Societati eo tempore praecipuorum benefactorum auctor ac patronus erat, cum Patribus remanens ipse solus, Patri Panizzoni instrumentum tradidit, quo hic Romae Superior nominatus est, dum nova mandata Praepositi Generalis afferrentur. Tum Pacca recitari jussit Pontificis ordinationem, ac decretum exsecutionis, datum ab Ercolani Marchione, aerarii Praeposito Generali [2]: Societati restitutae statim attributa sunt Domus Professa ad S. Nominis Jesu, Tirocinium S. Andreae in Quirinali, ceterae quae supererant possessiones; quod vero ad alienas manus devenissent aliquae, interim ex aerario pontificio singulis mensibus compensando datum iri scutatos 500. De ceteris, quae Romae erant, Domibus fore ut S. Pater postea decerneret. Declaratum porro, « quod per praesentem restitutionem nullum damnum vel praejudicium irrogatur juribus et actionibus praefatae Venerabili Societati competentibus recuperandi (vi Bullae *Sollicitudo*) etiam omnia Templa... Domos religiosas extra Urbem, ubique sitas et existentes... ».

Quibus rebus omnibus peractis, Pius VII, acclamante undique populo, ad Quirinalem reversus. Adscripsit in diario Pacca:

« Die 17 Augusti anni 1773. in vultu Romanorum fere omnium subitum terrorem cerneres ac dolorem; in publicum quippe editum

[1] Etenim vix anno 1815 exeunte ex iis 12 vita functi jam erant.

[2] Copia di chirografo SSmi e Decreto esecutoriale etc. di 7 Agosto 1814. * *Rom.*, 1, I, 1.

ST. ALBERT'S COLLEGE

erat *Breve Dominus ac Redemptor Noster*. E contra fieri non potest ut laetitiae clamores, acclamationes ac plausus boni hujus populi Romani describas, quibus 7 Augusti anni 1814 Pium VII est comitatus, a Quirinali ad templum usque S. Nomini Jesu dicatum, dein, recitata restitutionis Bulla, hinc iterum triumphi quasi specie revertentem ad Quirinalem »[1].

Paulatim ad regiones quoque remotissimas laetus restitutionis nuntius pervenit. Intimo gaudio, nil mirum, perfusi sunt Ignatii filii, in Russia, Anglia, America, Hollandia, Belgio, Gallia degentes. Restitutionem Societatis dicebant esse « redemptionem Israel », quam ab anno inde 1773, pro certo quippe habentes suam insontem esse matrem, instanti oratione implorarant atque exspectarant, fidentes « contra spem in spem ». Quae exspectatio ipsa in causa fuit, ut invicti perstarent Patres utque ipsorum amor Societatis in dies exardesceret magis. Eadem spe freti, multi, dum ante restitutam Societatem e vivis exibant, suorum librorum, manuscriptorum, bonorum omnium heredem scripserant Societatem, quam nullo dubio ad vitam redituram sperarent. Haud immoto animo testamentum leges Patris Ziegler, mille florenos legantis, quibus ad Domum sui Ordinis in Germania condendam adjuvaret; Pater Briskorn in Albam Russiam bibliothecam misit; ipsos 8000 libros Pater Raczynski. Quibus ditata, bibliotheca Polocensis, anno 1815, fere 35 milibus librorum constabat. Jam diximus, in Italia quoque ab Episcopo quodam, qui Jesuita fuerat, spe futurae restitutionis ducto, bibliothecam esse legatam. Testamento Patris Josephi Marinovicz, qui antea Jesuita, tunc vero S. Paenitentiariae Theologus erat, ostenditur, quanto Societatem amore ille prosequeretur, quantaque certitudine ei constaret fore ut Societas restitueretur, vel potius, quae ipsius sunt verba, « ut denuo propagaretur »[2]. Et alia hujusmodi complura referri possunt.

[1] *Memorie storiche del ministero*. Roma 1830, p. 362: « Volui, ita pergit Pacca, his a proposito quasi digredi, quibus relinqueretur in scriptis meis solemnis quasi retractatio eorum sermonum quos forte, juvenili imprudentia devius, aliis temporibus habui contra Ordinem illum de Ecclesia Dei tam bene meritum ». Ad Consalvi vero, paucis a restitutione diebus, haec scripsit: « Societatis Jesu in pristinum statum restitutio plausum totius urbis Romae excitavit laetitiamque movit universis ». Arch. Vat., *Carteggio del Card. Pacca col Card. Consalvi, 1814-1815. Diario di Roma*, ad 10 Augustum 1814, communem omnium laetitiam summo colore illustravit.

[2] * *Ital.* 2, IV, 1.

Prout restitutae Societatis laetus nuntius ad diversas regiones propagando pervasit, prae gaudio filii ejus exsultarunt. Erant quidem, post 40 amplius annos, superstites paucissimi, senectute illi confecti, debiles, laboribus atque aerumnis vel ipsa egestate consumpti [1]; at reviviscebat in animis juvenilis ardor.

« Lacrimis, ita 7 Decembri 1814 Baltimora scripsit P. Henoch Fenwick, temperare non possum, ac prae gaudio flere cogor. Oh utinam jam illuxisset crastina, egoque ad altare adstarem meos animi grati sensus effundens, quod misericordiam suam atque infinitam clementiam tam praeclare nobis exhibuit caelestis Pater! » [2].

« Quantum triumphum et Societati quam gloriosum », ita P. Benedictus J. Fenwick, Episcopus postea Bostoniensis: « Gaudeamus in Domino, diem festum celebrantes! » [3].

Quae 10 Decembri 1814 facta est solemnis gratiarum actio Georgiopoli, eadem jam deinceps omnibus in locis percepti laeti nuntii signum fuerat. Inter ipsos enim, qui Jesuitae antea erant, undique coorta commotio, qualis anno 1804 excitata jam fuerat, cum pro regno utriusque Siciliae Societas approbata est ac restituta. Viribus quippe exhausti senes ingenti labore ad eum se protrahebant haud raro longe dissitum locum, in quo fratres suos consistere audivissent, ut, Societatis filii denuo facti, una cum iis ad majorem Dei gloriam suam collocarent operam, vel certe in matris sinum repositi diem supremum obirent. Quam rem Pater Joannes Philippus Roothaan, ipse spectator cum fuisset, suis postea filiis ita scribens exhibuit: « Cumque (Societas) ab immortali Pio VII ad novam revocata vitam esset, qui superstites erant e communi naufragio Socii, plerique licet annis graves ac laborbius fracti, nihil tamen antiquius habuerunt, quam ut ad matris sibi carissimae sinum veluti in portum se reciperent, ad quaevis etiam laboriosa ministeria, quasi renovata juventute, promptissimi; quibus vero id per aetatem, per valetudinem, per alia impedimenta omnino jam non licebat, hi studiis illam omnibus, ac beneficiis etiam, filiali plane affectu prosequerentur » [4].

[1] Confer etiam, praeter alia plurima, TERRIEN, *Vie du P. de Clorivière*, l. c. p. 566, et nota 2. ZALENSKI, *Les Jésuites de la Russie Blanche*, I, p. 76 ss. *Le Père André Joseph Pravaz, d. l. C. d. J.*, Grenoble 1907, p. 6.

[2] *The Messenger*, Tom. 44, p. 234 (New York 1905).

[3] *Woodstock Letters*, X (1881), p. 115.

[4] *Epist. Praep. Gen. ad Patr. et Fratr. S. J.* Editio altera, Rollarii 1909, Tom. II, p. 309-310.



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Faustus igitur ille restitutae Societatis eventus, post Deum, acceptus tribuebatur Pii VII, Christi in terris Vicarii, diligentiae ac benignitati. Id vero illi multa cura stetit constantique conatu per annos quindecim. Quare nil mirum, a Patre Brzozowski, accepta 23 Septembri Bulla litterisque Pacca Cardinalis amicitia plenis, gratias ad thronum Pontificis scripto delatas fuisse, munusque oblatum sacri Missae sacrificii, ad intentionem Sanctissimi bis millies litandi. Cui Pontifex, 26 Novembri 1814, respondit gratias agendo, collaudando, faciendo illis animum [1]. Porro Pii VII memoriam venerando gratiamque habendo prosequitur Jesu Societas. Etenim ut nomina Pontificum aliquorum, Marcelli dico II, Gregorii XIII, Clementis XIII, audire non possint nisi animo commoti Socii, prae ceteris tamen omnibus veneratione atque amore prosequuntur, una cum Paulo III, beneficiorum maxime insignium auctorem, Pium VII. Qua grata omnium memoria etiamnunc quasi reviviscit quotannis Pius VII, quum 7 Augusto per universum orbem sparsi Socii Missae Sacrificium Sacramque Communionem pro restituta Societate Deo in gratiarum actionem offerunt [2].

Jamvero obvium est ut quaeratur, qua ratione quicumque Romae non erant, Episcopi, magnates, imprimis vero principum aulae, quibuscum nec Pontifex nec Pacca consilia iniisset, Bullam *Sollicitudo* acceperint. Ac reapse, nec opinantibus omnibus, en subito coram adstabat Bulla *Sollicitudo*, apparentibus quocumque Jesuitis. Qua de re Widmann Comes, ad Patrem Angiolini scribens:

« Mira sane res, inquit, neque ullo modo exspectata restitutio illa » [3]; ac paulo post:

« Patravit, inquit, Dominus miraculum ingens, in lucem edita Bulla *Sollicitudo*, in caelis quippe exarata ante quam in terris scripto consignata fuit: haec quidem viri dignitate summa conspicui » [4].

[1] *Institut. S. J., T. I.*, l. c., p. 341. P. Panizzoni, gratae memoriae tesseram Pontifici dedit: « baculum elegantissimum e cornu rhinocerontis, aureoque manubrio polita arte elaborato; ad infimam autem partem opere caelato expressa erat Pontificis asportatio Romamque reditus, ac restitutio Jesuitarum ». Pacca ad Consalvi scribens, 8 Oct. 1814. Arch. Vatic., *Carteggio Consalvi e Pacca* 1813-1815. Antiquitus traditum ferunt *(Ms. Prov. Rom. S. J. Commentarium de domo Professorum Romana.* p. 9) baculum illum a Pio VII adhibitum fuisse quotidie.

[2] P. Brzozowski ad P. Fortis scribens 17 Martio 1818. * *Ital.*, 12, 8, 1, 75. *Inst. S. J.*, Tom. II, p. 475, decr. 26.

[3] Bibl. Cors., cod. 2159, 37, H. 25, fol. 172 (21 Julio 1814).

[4] Bibl. Cors, cod. 2159, fol. 81.

Gaudium tamen, ut in plerisque, majus quam admirationem fuisse, Episcoporum litterae testantur plurimae [1]; quo in numero considerandae praeprimis sunt gratulationes ad S. Sedem undique delatae.

« Infinito propemodum numero, ita ad Consalvi scribens Pacca 19 Sept. 1814, gratulatoriae litterae de Jesuitarum negotio omnibus ex partibus huc advenerunt. Quae laus Pontifici tribuitur pro ea quam hujus rei sollicitudinem gessit, signo est, nec contra rationem status nec contra prudentiae leges eum fecisse. Porro donationes, quae ab externis Societati Jesu continuo fiunt, quaeque e variis regnis petitiones exponuntur ut illuc se conferant, majorem in dies honorem rei gestae tribuunt » [2].

A Pontificio Statu animorum ardor ille communicatus est cum Tuscia, Genua, Rhegio, Augusta Taurinorum, Longobardia, Venetiis: ubique celebrata pietatis exercitia, quibus grates Deo solverentur. Allegatus Pontificis 22 et 24 Aug. 1814 ex Austria scripsit, « populum vehementer laetari reditu Jesuitarum »; « neque, inquit, cogitatione assequi potes, quanta hic sit animorum ubique laeta commotio » [3]. Pater Wüsten vero, Düsseldorpio Germaniae civitate scribens:

« Quam bene, inquit, de Societate sentiat civium Catholicorum pars potior et primorum quidem, obtenta restitutionis Bulla, sat clare manifestatum est. Ubique aut obviam nobis venerunt aut dum nos invisebant, ex intimi cordis affectu et sibi et nobis gratulabantur; in quorum si fuisset potestate, suos jam aleret incolas Collegium, Gymnasiumque suos numeraret discipulos: justae enim de perversa juventutis educatione querelae, si unquam alias, certe nunc tollentur » [4].

Eadem e Pedemontio scripsit, qui S. Sedis rationes ibi curabat: Bulla, inquit, restitutionis in hac regione: « Omnium recte sentientium animos jucundo perfudit gaudio: illo enim providissimo S. Patris decreto agnoscunt exordiri tempus pro salute Ecclesiae horumque statuum felicitate faustissimum » [5].

[1] Confer epist. Illmi Severoli, 24 Aug. 1814, in Arch. Vat. Vienna, *Mons. Nunzio Severoli al Card. Segretario di Stato 1814.* Item litteras Card. Zondadari ad P. Angiolini , 28 Augusti 1814; in Bibl. Cors., Cod. 2157 (37, H. 21) fol. 83.

[2] Arch. Vat. *Carteggio Pacca-Consalvi, 1814-1815.*

[3] Arch. Vat. Vienna 1814.

[4] * *Germ.* I. 1, 1.

[5] Arch. Vat. *Savoia, ministro della S. Sede ad Secret. Status 1814.*

Laetus animorum motus, qui in Hispania quoque de Jesuitarum negotio ortus erat, ad ipsas colonias mox pervagatus est. E Foederatis Americae Statibus primus ille Baltimorensis Episcopus, Ill. Carroll, ad P. Stone in Anglia scribens:

« Restitutionis, inquit, Bulla non modo maximos passim gaudii gratique animi sensus excitavit inter eos, qui antea erant quique recens in Societatem sunt cooptati, verum etiam inter ingenuos Christianos omnes, qui aut memoriam eorum, quae ab illis olim praestita sunt, officiorum retinent, aut quam injuste et crudeliter tractati sint audierunt atque ipsi deinde testes earum rerum fuerunt, quae suppressionem mox erant consecutae » [1].

Incredibile quoque dictu est quantum Pius VII fidusque ille ipsius servus Pacca e communi gaudio solatium ceperint. Sanctus Pater, inquit Cardinalis: « Cum tot ac tam venerandos viros, una cum Ctaholicis omnibus, de Societate gaudio exsultantes audit; cum plurimas civitates videt, quae ut pristina sua sibi reddantur Collegia supplicant; cum intelligit sperare se posse, fore ut, haud ita longo tempore post, etiam in illis regionibus unde vi expulsi fuerunt, emortua Societas jam viva exsurgat: his rebus omnibus adducitur ut sibi certo persuadeat, mox sanatum iri vulnera quibus adeo luctuosis temporibus animo discruciata fuit Christi sponsa » [2].

Mentem quoque aperuerunt Ecclesiae hostes; neque errore decepti sunt, rati scilicet jam in certamen descendere antiquam istam atque ingenuam Societatem, indefessam ac pugnacem. Quare illico contra eam insurrexit incredulorum secta, irae quippe impotens, manifestoque timore correpta. Jam 21 Septembri 1814 Pius VII, ad Consalvi Vindobonam scribens:

« Exspectari, inquit, poterat fore, ut Jesuitarum restitutio bilem moveret philosophico, qui dicitur, et jansenistico gregi: verum ista illorum adversa voluntas signum est omnium aptissimum, quam juste acta fuerint quaecumque a die inde 7 mensis Augusti proxime superioris facta sint » [3].

Quam animorum concitationem eo etiam vehementiorem fuisse intelliges, quod, paucis diebus post restitutionem Societatis, conventus omnes franco-muratorum, carbonariorum, aliorum ejus-

[1] *Woodstock Letters* X (1881), p. 112.
[2] *Pacca ad Nunt. Viennensem, 8 Sept. 1814.*
[3] Ex Arch. Vat. * *Ital.* 12, A, 3, B.

modi hominum, gravissimis propositis poenis, in Statu Ecclesiastico prohibiti fuerunt. Per Germaniam maxime et Helvetiam in vexandis Jesuitis iram explere conati sunt. Anno 1816, senatus civitatis Lucernensis Pontificio allegato petenti recusavit ne, quae antea Jesuitarum Collegia fuissent, restituerentur [1]. Allegatus Vindobonensis, Ill. Severoli, facta significatione libelli valde invidiosi, cujus haec erat inscriptio: *Restitutio Jesuitarum et Franco-muratorum oppressio:*

« Hi vero, inquit, nihil non moliuntur ut suum in Germania agendi ardorem iterum expediant, multorumque non solum administrorum verum etiam principum patrocinio gloriantur » [2].

Multo vero majore odio concitati, Orientalis Europae franco-muratores sua consilia festinantes inierant. Jam enim 24 Martii 1815 secretus Polonorum foederatorum coetus sacrum indixit bellum contra:

« Loyolae filios, quos Vaticanum eruit e sepulcro, diruturos Templum ». Eos igitur secretus iste coetus, scribendo, conatus est mundo invisos reddere ac detestandos:

« Contra ista exortâ denuo monstrâ clavam arripite viri illius Herculei, in Ferney olim degentis; eorum dilacerate honorem, interficite, in frusta concidite » [3].

At Romae interea sciscitabantur, quam agendi rationem regimina initura essent. Quae res vel eo magis sollicitos habebat animos, quia eo ipso tempore Vindobonae colloquendo disceptabatur de futura Ecclesiastici Status conditione. Consalvi, quamquam ea ipsa de causa restitutionem Societatis differri maluerat, tamen, ut ad Pontificis obsequia paratissimus erat ac Societatis amicus, re semel gesta contentus, omni qua pollebat dicendi faciendique sapientia usus est, ut hominum aut caveret aut arceret offensionem. Irritus labor non fuit; neque enim abnuerunt legati, imo vero nonnulli etiam vehementer probarunt. Eaedem quoque, eo tempore, erant aularum voluntates. Anno primum 1815 e sola Brasilia reclamatum. At enim putandum tamen non est, ab omnibus statim Bullam cum gaudio fuisse exceptam, omnesve illico favisse ut exsecu-

[1] Arch. Vat. Svizzera 1816.

[2] Arch. Vat. Vienna 1816. *Severoli ad Consalvi, 13 Aprile 1816.*

[3] *Alarme de la civilisation à l'occasion du rétablissement de la Compagnie de Jésus dans le monde entier.* Cf. etiam: *Triomphe des Francs-maçons après l'expulsion des Jésuites de Pétersbourg, 1815.*

tioni mandaretur. Cum Italiae quidem regimina, Pontificis exemplum secuta, Societati benevolos, ut plurimum, animos gererent, brevi satis laeta incrementa restitutus Ordo cepit. Qui Majo 1815 prodiit e prelo « Catalogus Sociorum et officiorum in ditione Pontificia » Socios numerabat 173, incolas Interamnensis Collegii, Domus Professae Romanae, Romanae Domus Probationis, Collegii Tiburtini, Collegii Urbinatis. Anno jam 1818, Provincia Italiae, in universam Italiam propagata, Socios numerabat 279, Domos 18, e quibus Collegia erant 11, Domus Professa 1, Domus Probationis 3, Convictus 1. Novis deinde semper factis incrementis, jam scholari anno 1820-1821, Provincia constabat Sociis 398, Domibus 20, e quibus erant Collegia 15, Domus Probationis 3.

Quae sub Austriae ditione erat Italiae pars, cum Vindobonensem aulam suspiceret, censuit esse exspectandum. Simili ratione a Tusciae quoque aditu Jesuitae ad tempus praeclusi manserunt; neque enim rem quicquam juverat supplex libellus, quem Pater Cajetanus Angiolini aliique complures viri nobiles Florentini Tuscique jam anno 1814 pro Societate porrexerant. Ab Episcopis tamen furtim in auxilium saepius vocati sunt [1]. Ut alias causas omittam, princeps Tusciae quam ut suo jure imperaret obnoxior erat Austriae, quae, ex ipsius Imperatoris sententia, fructus a Jesuitis, in aliis regionibus, ubi restituti jam erant, factos antea videre volebat quam ipsa eos admitteret. At privata tamen benevolentia Imperator eos prosequebatur. Cujus rei fides hac narratione fit, quam 4 Aprili 1818 cum Consalvi communicatam voluit Ill. Leardi:

« Nuper, inquit, potestas Imperatoris adeundi facta est Sacerdoti Hungarico Geist (qui facultatem ineundae Societatis ab eo petiit). Imperator igitur ex illo quaesivit, utrum Jesuitarum Ordo eodem quo antea religioso spiritu etiamnunc duceretur. Vere duci, cum respondisset Sacerdos, Imperator se ea de re gaudere dixit, semperque coetum illum a se magni factum, quod, secus atque aliae religiosae Societates, a primaevo suo spiritu numquam ille digressus esset » [2].

Nimium vero etiamtunc tribuebat Josephinismo regimen quam ut Jesuitae, quales essent, admitterentur: ab extera quippe Praepositi Generalis auctoritate erat alienissimum.

[1] GALLETTI, *Memorie stor. intorno al P. Luigi Ricasoli*, Prati 1901, p. 190 ss.
[2] Arch. Vat. Vienna, *Nunzio al Segret. di Stato 1818.*

Neque minus in Anglia difficultates fingebantur contra admittendam Societatem:

« Inter eos, inquit Consalvi, qui civitatis regendae consiliis in Anglia praesunt, multosque senatores, maxima est a Jesuitis aversio, propter eas quidem, quae olim adversus eorum Ordinem inimicitiae gerebantur »[1].

Accedebat ipsius populi odium. Adveniente enim Bulla, bellicum cecinerunt aliquot Protestantes, Ordinem istum, tanquam impendens mundo, maxime foederato Anglorum regno, periculum prospectantes. Sed et aliqui Catholici timuerunt ne Jesuitarum causa Protestantes religioni liberandae obessent. Imo vero J. Cox Hippisley, Protestans et Nostris infensus, ratus ea de re certiorem faciendum esse Consalvi, 7 Septembri 1816, haec scripsit:

« Si V. E. opus capere voluerit aliquod et legendo percipere, quae fuerit nostrae regionis ratione eorum (Jesuitarum) historia, haud mirabitur, nostros esse territos cives ac male contentos, eo quod annuntiatur, in hac regione restitutum iri Societatem qualis est Jesuitarum. Mihi crede, huc si revocati fuerint Jesuitae tanquam corpus, fore ut istud motivum sit sufficiens, quo irrita cadat aliorum hujus regni Catholicorum exspectatio, qua, quod in votis maximopere est, se obtenturos sperent »[2].

Num igitur Catholici consilium Jesuitas denuo projiciendi ceperant, ne scilicet utilitate carerent majore? Quidquid id est, constat Vicarios Apostolicos, uno Milner excepto, adeo male illis affectos fuisse, ut Pater Odoardus Walsh, remedium quaesiturus, Romam missus fuerit. Frustra. Melius res Patri Joanni Grassi successit, negotium tractanti cum Litta Cardinali, qui Congregationi de Propaganda Fide praefectus erat; hic enim, ratus inanem esse timorem, quo regiminis offensionem Catholici timebant, Jesuitis esse favendum scripsit. Neque vero sic quicquam profectum; Romam enim etiam qui ex adverso stabant scribentes, revera periculum Catholicis esse affirmarunt. Mox facta est pessima Nostrorum in Anglia conditio, rumorem quippe nonnullis spargentibus, restitutam in Anglia Societatem non esse. Benevolum erga Societatem animum denuo demonstrans Litta Cardinalis, negotium plene tandem conficere conatus est. Verum ea successori reservata res erat,

[1] Arch. Vat. *Consalvi ad Pacca 1814-1615, 25 Julii 1814.*
[2] Arch. Vat. *Inghilterra, Irlanda 1816.*

della Somaglia Cardinali, qui, Congregatione facta generali, approbante Sanctissimo (20 Decembri 1818), Collegio Stonyhurstiano omnia jura et privilegia confirmavit et nova concessit; neque potenti patrocinio suo eam postea destitutam voluit. Nihilominus longum temporis spatium intermittendum erat antequam Jesuitae Vicariis Apostolicis in Anglia accepti essent [1].

Neque magis in Hollandia aut in Belgio tranquilla Societati commoratio facta. Tirones, qui in loco Rumbeke, ineunte 1815, numero 36 jam erant, Napoleone ex Aethalia reduce, exercitum Gallorum aufugĕre coacti sunt. Patri Fonteyne, qui jamjam suos in Hollandiam missurus erat, a domino quodam Gobert, in loco Destelbergen, praedium oblatum est. Ubi etsi plurimi Novitii ad eos adjuncti sunt, ac rite ordinatae res omnes erant, diuturnum tamen gaudium propterea non fuit, quod Nostri Guilelmi Regis odium incurrerant. Primae insectationis illius occasio haec fuit:

« Adjutor quidam Temporalis non bene sui compos multas domi molestias et foris nonnulla creavit pericula. Cupide nimirum exoptans ad gradum Sacerdotii aliquando evehi, ingenio ac memoria se pollere jactitabat; sed dum referret domesticas exhortationes quas audierat easque emphatice recitaret, insania se prodebat. Dimissio ejus (erat enim Novitius) decreta fuit. Quod cum ei suboluisset, coepit aegrum se fingere et per mensem integrum in lecto fuit. Tandem exhausta Nostrorum patientia, jussus est sua repetere. Poenitebat miserum stultitiae suae, quare collato Societati beneficio reditum sibi parare cupiebat. Ergo, ut est hominum parum perspicacium praeceps et male sanum plerumque consilium, regem Hollandiae adit audacter, plures socios habitare Destelbergae docet, et ut Societatem Jesu in suo regno instauret, principi Calvinistae suadet. Rex largam ei erogat eleemosynam hominemque dimittit. Hanc pecuniae summam Sociis porrecturus et ob patratum tam praeclarum facinus sibi reditum in Societatem promittens laetabundus revertebatur; sed ipse cum pecunia sua valere jussus est » [2].

Guilelmus autem Rex, dictorum stulti istius Novitii haud oblitus, jam 1816 « jubet Provinciae praefectum investigare, qui et

[1] * *Litterae annuae Prov. Angl. ad an. 1830.* § *1.* Praesertim autem Thomas Hughes S. J., *History of the Society of Jesus in North America* etc. Documents, vol. I, Part. II, n. 220, p. 1141, ubi assertio probatur.

[2] *Historia et litterae annuae Prov. Belg. ad annum 1833,* p. 27 ss. *

quales et unde Destelbergam se recepissent. Ab hac inquisitione integer mensis fere effluxerat, cum missus a Praefecto Provinciae edicit novo Rectori [1], gubernatorem a Rege in mandatis accepisse, ut quicumque ibi degerent, dispergerentur atque ad suam quisque domum remearet ».

Interposita mora, decretumque evadendi conatu adhibito, quibus in rebus conspicua fuit Gandavensis Episcopi ejusque Vicarii generalis, Lesurre, erga Societatem benevolentia, Patres tamen, vi a Rege illata cedere coacti, magnam partem in ipsas Episcopi aedes recepti sunt. Verum hinc quoque exire compulsi, in Hollandiam dispersi sunt vel Hildeshemiam se contulerunt. Scholastici et Tirones, anno 1818, in Helvetiam missi, morati sunt Friburgi et Brigae [2]. De reditu illorum juvenum in Hollandiam et Belgium quamquam cogitari ad tempus non potuit, operam tamen suam animabus in Hollandia praesertim navare pergebant Patres aliquot: Amstelodami, in aedibus « De Krijtberg », « De Zaaier », Hagae-Comitis, Neomagi et Culemburgi, quo in loco, praeter stationem, anno 1818, concedentibus Patre Generali Brzozowski et Ill. Ciamberlani internuntio, exortum est Seminarium minus. Quod per annos 7 jam ad magnam prosperitatem efflоruerat, quum anno 1825 sublatum est [3].

Patribus, qui in Helvetia erant, bene vertit, quod Socios e Belgio advenientes tanta cum caritate exceperant. Eo enim ipso anno 1818, Societas in illa regione ita propagata est, ut e Valesia se conferrent in Friburgiam, ubi mox effloruit Collegium. Ad Missionem Helveticam pertinebant Socii 90. Is numerus, advenientibus Hollandis, Belgis, Germanis, ineunte 1821, ad 130 excreverat, ut erigi posset Vice-Provincia, cujus quippe Domus per Helvetiam, Belgium, Hollandiam dispersae essent. Accesserunt in Germania Domus 3, Hildesii, Dresdae et Dusseldorpii, cujus loci statio in potestate Societatis remanserat. Quicumque hujus Vice-Provinciae pars erant, « magnis licet locorum spatiis ab invicem dissiti, charitatis tamen vinculis et vocationis sanctae spiritu uniti pro viribus in demandata sibi quisque provincia graviter laborarunt ».

Laeti praesertim fructus fuerunt laboris, quem in Missionibus Helvetiae Patres ponebant [4].

[1] Pater Franciscus Fonteyne obierat 3 Februario 1816.
[2] *Historiae et litterae annuae Prov. Belg.*, p. 27 ss. *
[3] Ibid. p. 2 ss. *
[4] Ibid. *Hist. et litt. annuae Germ. Sup.*, p. 8 ss.; *Prov. Belg.* 18 ss. *

Jam ad Catholicas regiones nobis transgressis, quarum in supprimenda Societate pars magna fuerat, exoritur primus de Gallia sermo. Ludovicus quidem XVIII ejusque regimen animo vix non indifferenti exceperunt Bullam *Sollicitudo*, quae ut exsecutioni mandaretur, ne minimam quidem operam contulerunt. Verumtamen mox constitit in regione Societas. Jam diximus a Patre de Clorivière, anno 1814, Tirocinium erectum fuisse. Obviae quaestioni « cur tamen pauci Societati essent aggregati in Gallia, quum in aliis regionibus jam ab anno 1803 plures essent », Pater Gabriel Gruber, anno 1805 ad Aegidium Koolhaas, qui parochus in Westphalia erat, scripto respondens:

« Interrogat, inquit, me Reverenda Dominatio Vestra an Sacerdotes saeculares ibi etiam, in Gallicis nimirum partibus, possent ad Societatem Jesu admitti. Respondeo ad hoc negative. Res enim nimium faceret strepitum, hinc S. Patri crearet molestiam ».

Haud igitur candidatorum penuriae, sed rerum adjunctis tribuendum id erat. Nonnulli jam ante annum 1814 admissi erant « in foro interno », ut Pater de Clorivière et Pater Phil. Patouillard; ingressi autem sunt alii in Anglia, Germania, in imperio Sinensi, Belgio, praesertim vero in Alba Russia [1].

Restituta Societate, in Gallia mox inter Socios numerabantur 78 eorum, qui Patres a Fide fuerant. Ex iis autem qui Jesuitae antea erant, anno 1814 superstites reperiri possunt 7 tantum. Quod facile quis intelliget, si animadverterit Societatem in Gallia jam undecim ante suppressionem annis dispersam fuisse. At vixdum promulgata Bulla *Sollicitudo* fuit, cum invitanti Patri de Clorivière obsecuti sunt multi; erant inter eos viri, quorum venerandum est nomen: Patres Sellier, Varin, Barat, Guidée, Gloriot, Gury, alii. Exeunte anno 1814 haud minus 60 ingressi jam erant.

Praeterquam quod Tirocinium constituit in via, quae dicitur, Rue des Postes, Pater de Clorivière ipso anno (1814) Seminaria minora vel Collegia suscepit ad St. Acholeum, Burdigalae, ad Montem-Maurilionis, majusque Seminarium Suessionense. Rebus continuo florentibus. Domorum est series orta. Dum catalogus scholaris anni 1814-1815 Socios numerat 91, divisos in Domos 5, insequenti jam anno numerantur Domus 8, quarum Socii 135. Haud tamen contigit Patri de Clorivière ut primam in Gallia Provinciam ere-

[1] (Vivier) *Catalogus Soc. et offic. S. J. in Gallia 1814-1818.*

ctam videret, quam 17 Januario 1820 constituit Pater Thaddaeus Brzozowski [1]. Erant novae Provinciae Domus 8, Socii 198. Pater de Clorivière, cui jam anno 1818 successerat Pater Aloysius Simpson, decessit vitae sanctitate conspicuus, 9 Januario 1820. Eum Deus providus Societati in Gallia submiserat, ad illa usque tempora servatum, ut suo ipse nomine denuo nascenti coetui auctoritatem conciliaret. Ejus propemodum infinita erat Dei fiducia; sua autem grata animi memoria, nullius umquam beneficii obliviscebatur. SS. Jesu et Mariae Corda Sanctosque Angelos eximio cultu prosequebatur. Ingenuum vero Societatis spiritum tradidit Provinciae Galliae, quae ipsum fundatorem suum, etiam hodiedum venerabunda grataque, commemorat [2].

In Lusitania porro regimen, haud perinde atque in Gallia restitutionem aspiciens animis aequis, sed antiquum e contra Societatis odium quasi fovere pergens, anno 1815 opposuit Bullae *Sollicitudo* acerbum decretum, cui subscripserat Princeps Regens Lusitaniae et Brasiliae; eo autem documento cautum erat, quoniam scilicet abrogandi edicta Marchionis de Pombal ratio esset nulla, potius fore ut omni qua fieri posset severitate exsecutioni illa mandarentur.

Animo longe liberaliori quam qui in Gallia et in Lusitania, Borbonici principes in Hispania Bullam *Sollicitudo* Societatemque, tam male antea tractatam, susceperunt. Erat Ferdinandi VII cum populo Hispanico [3] quasi aemulatio in exhibenda Jesuitis benevolentia. Jam etiam ante quam promulgata est Bulla, Rex ut Jesuitae in Hispaniam redirent rogaverat; suo tamen in regno decessori ut reverentiam haberet, quaesivit e Pontifice, utrum haud mutata ipsorum doctrina eos admittere liceret.

« Ad Hispaniam quod attinet, inquit Pacca Cardinalis, 8 Octobri 1814 ad Consalvi scribens, Ferdinandus Rex, datis ad S. San-

[1] Liquet eodem die constitutos Provincialem (P. A. Simpson) et Rectores. Cf. P. Vivier, *Catalogi* etc. *1819-1836* p. 10 et *Catalogum Prov. Galliae ineunte anno 1820*. p. 5 ss.

[2] J. Terrien, *Histoire du R. P. de Clorivière*, Paris 1891. Guidée, *Vie du R. P. Joseph Varin*. Paris 1860. (Vivier) *Catalogi Sociorum et officiorum 1819-1836* (s. l.) 1894.

[3] Annis 1814, 1815 ad Regem missi sunt libelli supplices, quibus ex Episcopis regnique moderatoribus praecipui subscripserant. Zarandona-Cappa S. J. *Hist. de la extinción y ristablecimiento de la Comp. de Jesús*. Madrid 1890. Tom. III, p. 63-64.

ctitatem litteris, amoris religiosaeque observationis significatione plenis, quas Vargas eques attulit, ardentissimo desiderio Jesuitarum in Hispania restituendorum se teneri demonstrat. Dicens enim expertos jam esse homines, quantam religioni atque Ecclesiae calamitatem intulisset eorum suppressio, adjunxit, inde apertam esse viam doctrinae propagandae, qua humanae societatis recta ordinatio omnis, omnis quoque principum auctoritas subverteretur; esse quidem sibi dubium nullum, quin optimae doctrinae inhaererent Jesuitae; nihilo tamen minus, eo scilicet quod suis ipse decessoribus reverentiam deberet, optare se ut Sua Sanctitas significare dignaretur, quis esset ipsius in hac restitutione procuranda opinandi modus, atque utrum opus esset aliqua in eorum doctrina correctione facienda... Pontifex respondit, a se in suis Statibus Societatem Jesu restitutam esse juxta regulam S. Ignatii, a Paulo III approbatam; ad eorum autem doctrinam quod attineret, sperare se fore ut suis ipsi calumniatoribus occluderent os » [1].

Quam Pio VII accepta res esset, ab Hispania tandem admitti denuo Societatem, plane constat ex epistola Latina ad Ferdinandum data, qua, laudibus cumulata Societate, suos animi amore pleni sensus effundit, quibus in Bulla restitutionis dictas ob causas temperare debuerat. Quae epistola non pro Societate tantum, verum etiam pro historia magni momenti est, quod eadem suave Pii VII ingenium egregie describit. Exordio igitur se gaudere dicit, quod Ferdinando VII tam accepta Societatis restitutio fuerit; ait enim:

« Cum primum ex Catholicae tuae Majestatis litteris intellexi-mus initum a nobis Societatem Jesu e suis cineribus excitandi consilium, quod per constitutionem nostram VII idus praeteriti Augusti datam jam executioni mandavimus, perquam jucundum tibi accidisse, nec non in animo tibi esse eamdem Societatem tua in regna revocare, satis explicare non possumus quanta animus noster laetitiae voluptate in Domino affectus fuerit. Etsi justissimae illae causae, quae nos ad Institutum illud tam salutare atque a tot Venerabilibus Pontificibus praedecessoribus commendatum, approbatum confirmatumque, restituendum impulerant, apertissime nobis demonstrarunt magno cum gaudio ab omnibus Christi fidelibus propositum hoc nostrum auditum iri, ad summam tamen laetitiam

[1] Ex Arch. Vat. *Carteggio Pacca-Consalvi 1814-1815.*

nostram accessit cumulus, cum tibi, charissime in Christo fili noster, cujus religionem, sapientiam prudentiamque jure admiramur, gratum imprimis acceptumque fuisse cognovimus ».

Affirmans deinde Pius VII, ratam firmamque sibi sententiam stare, fore ut ex admissa Societate Jesu Hispaniae regnum praeclaram capiat utilitatem, id dictum bonis Societatis dotibus commonstrandis ita statuit:

« Atque ea de causa, inquit, potissimum laetati sumus, quod magna nobis affulsit spes, fore ut amplissima Majestatis tuae regna ex Presbyterorum regularium Societatis Jesu reditu uberrimam utilitatum copiam percipiant. Nam, ut longa annorum experientia docuit, iidem Societatis Jesu regulares Presbyteri non modo ob probatos eorum atque ad Evangelicam vitam conformatos mores, bonum, ubicumque terrarum degunt, Christi odorem longe lateque diffundunt, sed ad animarum salutem procurandam tota animi contentione se conferunt. Quem ad finem consequendum omnigenam scientiarum supellectilem cum vitae integritate copulantes, in amplificanda religione eaque a nefariis impiorum hominum conatibus defendenda, in corruptis Christianorum moribus ad bonam frugem revocandis, in juventute ad omnem litterarum ac pietatis Christianae rationem informanda summa cum utilitate versantur. Quamobrem dubitare nullo modo possumus quominus hac religiosorum hominum Societate in regna Majestatis tuae revocata, ac proprii Instituti sui muneribus fungente, et Catholicae religionis amor et bonarum artium disciplina et Christianorum morum sanctitas reflorescat, atque in dies magis magisque confirmetur. Quas utilitates aliae quamplurimae consequuntur, amor scilicet debitumque erga Regem obsequium, jugis civium inter se concordia, tranquillitas, incolumitas, privata denique, ut omnia uno verbo complectamur, et publica populorum Regiae Majestatis tuae auctoritati subjectorum felicitas ».

Quibus de causis non Regi solum verum etiam universae Hispanorum nationi gratulatur:

« Nec vero, inquiens, Tibi dumtaxat, charissime in Christo fili noster, sed etiam universae Hispanorum nationi pro tot tantisque utilitatibus gratulamur, quod natio isthaec... [1] inter primas aliarum

[1] Omittitur a nobis interposita sententia, ad laudandam videlicet necessitudinem, qua Romae ac Pontifici Hispania devincitur.

terrarum gentes saluberrimos illos fructus colliget, quos in tam laudabili Instituto ad pristinum statum revocando omnibus Christifidelibus procurandos nobis proposuimus. Majestati vero Tuae omni asseveratione affirmare possumus, hujus Societatis restitutionem, cujus sanctus ille fundator Ignatius et genere et ortu Hispanus fuit, quam tot tamque inclyti Hispani viri et moribus et doctrina illustrarunt, quae denique de Hispania universa tam benemerita est, a Majestatis tuae populis tanquam novum beneficium acceptum iri, nullique eorum beneficiorum secundum fore, quae plurima ac maxima a clementia prudentiaque tua acceperunt ».

Cohortatus denique Ferdinandum Pius VII, ut revocandae Societatis consilium mox perficeret:

« Hoc profecto, inquit, beneficium florentissima Hispaniarum regna tuae Majestatis sacrae personae magis magisque devinciet. Hoc nominis gloriam apud bonos omnes mirifice provehet et sempiternae posterorum memoriae commendabit, hoc denique, quod caput est, tuis erga Deum meritis cumulum adjiciet. Quae omnia quemadmodum eventura tibi ex animo cupimus, ita te etiam exhortamur ut tam salutaris religiosique consilii executionem perficias. Quam, ut quam primum, Deo favente, feliciter auspicari possis, Apostolicam Majestati tuae Catholicae universaeque regiae Domui benedictionem amantissime impertimur » [1].

Quae litterae Ferdinando VII gratissimae fuerunt. Statim ministros induxit ut res maturarent; etenim, ad Nuntium « morae causa, inquit, in Castellano Consilio erat » [2]. Verum, Consilii illius tergiversatione neglecta, Rex posteaquam 29 Maji 1815 subscripsit decreto, quo in Hispaniam revocabat Jesuitas, mox 1 Junio haec ad Pontificem scripsit:

« Putavi, inquit, isto memorabili Decreto digna solemnitate a me obiri posse diem S. Ferdinando sacrum, magnum videlicet beneficium religioni Jesu Christi, Vestrae autem Beatitudini obsequium praestando » [3].

Regium decretum exsecutioni mandandum suscepit Pater Em-

[1] Rom. et Neap. Beat. et Can., p. 191-193.

[2] *Epist. Nuntii ad Pacca, 15 Jan. 1815.* Arch. Vat. *Segreteria di Stato 1815.*

[3] Ibid. p. 198 (1 Junio 1815). Quibus de rebus omnibus cf. etiam, quod publica auctoritate editum est, Dictámen del fiscal Don Fr. Gutierrez de la Huerta *presentado y leido en el Consejo de Castilla sobre el Restablecimiento de los Jesuitas*, Madrid 1845.

manuel de Zuñiga, a quo mox collecti sunt, qui Jesuitae antea fuerant, ferme 100. Cui Pater Brzozowski, 9 Septembri 1815, Commissario Generali nominato, Socium, Consultores, Procuratorem adjunxit. Ipso anno 1816 Matriti Tirocinium et Collegium, Dertusae Collegium, in Majorica Collegium, Valentiae Collegium et Seminarium Nobilium ille erexit. Dum augebantur numero Socii, novae quoque Domus accesserunt; in catalogo anni 1819 jam recensentur Socii 320, Domus 17; imo erant anno 1820 Socii 436 in Domibus 21 [1]. Neque tamen numerosum augmentum illud sufficiebat, ut omnibus, qui ministeria Sociorum expeterent, satisfieri posset. Quid tunc? Jam ecce, mirabile visu, Hispaniae Regem, ad Russiam se convertentem, ut Jesuitas in Russia degentes inde adsciret, Jesuitas illos, quos ipsius in Hispaniae solio decessores, per annos ferme 50, « refractarios » conviciando nominassent [2]. Quid mirum, Praepositum Generalem, auxilium a suis fratribus petentem, de stupenda mutatione ista mentionem his verbis injecisse:

« Dominus inopinato veniens, inquit, imperavit ventis ut caderent, Aquilonemque jussit, ut mitesceret. Intelligo his specialem Providentiae Dei dispositionem, qua nuper gavisi sumus, dum Rex Hispaniarum potentissimus ac religiosissimus mentem suam in Russiam convertit, ut ex hac Patres nostros in Hispaniam adducendos cogitaret, ac ejusmodi desiderium per internuntium suum Petropoli degentem Aulae nostrae manifestavit. Quid ergo ad hoc, Patres Reverendi et Fratres in Christo carissimi, cogitamus? Nonne *haec est mutatio dexterae Excelsi?* Nonne *a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris?* Ego certe non aliud existimo: nisi hanc rem, quemadmodum ex parte Imperatoris non sine magna admiratione, ita ex parte inimicorum nostrorum non sine ingenti confusione, fremitu ac iracundia exceptam fuisse; eoque magis: tum quia Rex Hispaniarum non unum vel alterum e Nostris, sed numero 40 vel 50 Socios postulavit: tum quia pro tam enormi itinere, quod est et quantum in Americam meridianam ex suo regio thesauro omnibus viaticum cujuscumque sumptus opportunum subministrandum promisit. Videant igitur inimici nostri, quam eos sapien-

[1] *Catal. Soc. et offic. S. J.* in ditionibus Sacrae Cath. Majestatis ineunte anno 1819 et ineunte 1820. *Ms. S. J.*

[2] *Epist. quam de Casa Trujo, 25 Jan. 1819* dedit ad Bermudez Zea, legatum Petropolitanum; item, quam Vargas ad Consalvi 5 Martii 1819. Ex Arch. Gen. Centr. Madrid, Estado, n. 6128.

tia Dei confudit, ut jure iis a nobis illud Josephi ad fratres opponi possit effatum: Vos cogitastis de me malum, Deus autem vertit in bonum » [1].

Facile tamen quisque intelliget, fieri non potuisse, ut P. Brzozowski tam ingentem Sociorum numerum emitteret. Tunc temporis igitur destinati ad iter Hispanum non sunt nisi septem, ea quidem de causa, quemadmodum ad Hispaniarum Supremi Consilii (Junta) praesidem scripsit, « quod oblivioni dandum non esset, quid ipse Sociique ejus deberent regimini illi, a quo ipsorum Societas conservata fuisset, quo tempore impiis multorum conatibus ubique succumberet » [2]. At vero iisdem impiorum conatibus effectum etiamnunc est, ut peragi propositum non posset. Coorta enim civilium rerum perturbatione, Societas, octavo Septembri 1820, in Hispania denuo disjecta est [3].

Quemadmodum Hispaniae, ita Mexicanae ditioni, regio decreto 10 Septembris 1815, Societas restituta est. Transmarini autem itineris, quae solent esse, impedimenta in causa fuerunt cur res exsecutioni mandari sine mora non possent. Decretum igitur quod 7 Februario 1816 Mexicum advenerat, die 24 ejusdem mensis promulgatum est. Statuta ad 19 Majum 1816 solemnis nostrorum instauratio facta est in Sacello Collegii S. Hildephonsi, adstantibus Archiepiscopo cum viris quibuscumque religiosa civilique auctoritate insignibus. Collegii clavis, qua ejusdem restitutio significaretur, tradita Praeposito Provinciae, tunc primum constituto, Josepho Mariae de Castañiza, cui tamen instauratae Societatis gaudio frui non licuit; ei enim, ejusdem anni mense Decembri mortuo, successit Pater Petrus Canton. Mexicana vero Provincia posteaquam per quatuor, haud amplius, annos fuit, dispersa est sicut in Hispania Societas, quo ipso tempore prima augmenta capiebat. Numerabantur quippe, anno 1820, Mexicanae Provinciae Tirocinium 1, Collegia 4, Seminaria 3, in quibus operam navabunt Socii 39. Erant inter eos insigni nomine viri, Pater Petrus Josephus Marquez, alii [4].

[1] Litterae 7 Julii: ex *Ms. S. J.*

[2] *Lettre du P. Thad. Brzozowski au Prés. de la Junta, 10 Julii 1819. Ex Ms. S. J.*

[3] Zarandona-Cappa *S. J. Historia de la extinción* etc. Tom. III, p. 87 ss.

[4] *Catal. Socior. prov. Mexicanae S. J. et munerum quibus quisque fungitur, mense Febr. 1820.* Cf. *Cartas de Mexico*, Tom. I. Mexico 1896, p. 1 ss. *Continuación de la historia de la Comp. de Jesús en Nueva España del*

Quo tempore vastissimi Hispaniarum regni gubernium, 1814-1820, tanta erga Societatem liberalitate utebatur, e contra Russorum omnium Imperatoris, cui tam ingentia Nostri beneficia accepta referebant, benevolentia refrigerari paulatim pergebat.

« Nam litteris Summi Pontificis Pii VII, quibus Ordo noster ad reparanda damna religioni et bonis moribus hactenus illata, summis cum laudibus per universum terrarum orbem restituebatur, odia inimicorum nostrorum, quae non tam extincta quam oblivione quadam sepulta fuerant, velut quodam fomite subjecto vehementer sunt accensa. Omnia studia sua eo intenderunt, ut interempta in Imperio Russiaco Societate nostra, ipso nimirum ejus fonte occluso, omnem imposterum hujus mali eluvionem impedirent. Atque hinc stragem nostram in Russia originem duxisse, nemo negaverit, qui et ipsam temporis rationem et indolem hostium nostrorum, et tam repentinam maximi favoris in odium crudele permutationem, et communem eodem tempore in aliis quoque regionibus ad concitandam nobis invidiam, calumniarum renovationem probe considerarit » [1].

A regimine Russiaco acceptata quidem Bulla *Sollicitudo* ac promulgata fuit, mox tamen factum ut Societati minus quam antea favere inceperint. Imprimis vero Galitzine, administer, frigidus ac suspiciosus erat. Qua de re jam 3 Martio 1814 Pater Generalis ad Praepositum Provinciae scripsit:

« Galitzine princeps noster jam nobis non est qui pridem erat: vanis ejus suspicionibus tribuenda ista mutatio ».

Nimirum insimulabantur Patres, quasi Russos schismaticos atque imprimis Collegii Petropolitani discipulos, a patria religione ad suam abducere vellent. Infeliciter praeterea accidit ut, quo tempore bellum cum Napoleone gerebatur, illud quod erat Russos inter Anglosque foedus, illis Societatem Biblicam Petropolim inducendam persuaserit. Accessit ad istam Siestrzencewicz metropolita, Jesuitis jure recusantibus [2]. Cum viribus interea cresceret coetus atque ipse Alexander Imperator palam eidem faveret, Praelati Sacerdotesque

*P. Francisco Javier Alegre por el presbitero José Mariano Davila y Arrillaga.* Puebla 1889, Tom. II, p. 180 ss.

[1] * *Clades S. J.* in Russia et primordia provinc. Galicianae, p. 3-4. Cf. *Epist. P. Brzozowski ad P. de Clorivière, 20 Febr. 1816,* ibid.

[2] * *Breves Annotationes A. R. P. Roothaan circa Soc. in Russia 1814-1820: Ms. Provinciae Franciae. Lettres des Pères Généraux 1814-1820.*

magno numero dederunt nomen. Innotuit praeterea, ineunte 1815, fama, nepoti Galitzine Principi in animo esse ut ad Catholicam religionem transiret. Patrum nimirum id studio zeloque adscriptum fuit [1]. Neque quicquam juvit, ad Rectorem Polocensem a Patre Generali scribi potuisse, « unum sibi solatium esse, quod e Patribus nostris nemo ullam istis in rebus partem habuisset ». Nostris tamen funestus totius negotii exitus fuit. Ad majus in dies periculum adducebantur res, cum domina quaedam Narychkine, quae erat Romano-Catholica Imperatoris concubina, Paschatis tempore peccata confiteretur Patri Perkowski, qui illi, nisi illicitae consuetudini renuntiare vellet, absolutionem a se denegatum iri contendit. Ad meliorem frugem reducta muliere, ab universo Ordine abhorrere coepit Imperator. Narrat Szantyr, Siestrzencewicz metropolitam, quem de consilio petendo adiisset Galitzine Princeps, oblata sibi occasione usum esse ut de expellendis Jesuitis Principem moneret [2]. Constat sane, jam medio Decembri 1815, ratam fixamque sententiam fuisse, expellendam e Russia Societatem. Ejusdem mensis die 20 Imperator subscripsit decreto, ut Nostri Petropoli ejicerentur, quod intempesta nocte confestim exsecutioni mandatum. Ita cladis perficiendae factum initium est. Patres ad tempus abducti Polocum, moerentibus Petropoli Catholicis omnibus. Qua de re Josephus de Maistre, 21 Decembri, Augustam Taurinorum scribens:

« Mihi vero, inquit, videtur quasi semotus vel ablatus esse Catholicae religionis cultus... In immensum serpit eventus iste, quantum vix ullus crediderit. Tempus longum est, quo de religione philosophismus, qui dicitur, tantum triumphum tulit. Acerbe doleo de viris illis, qui mihi adolescenti instituendo praefuerunt, quibusque me debere fateor quod Congressus Constituentis (Assemblée constituante) orator non fuerim: qui denique integerrimae vitae exempla hic omnibus praebebant, Imperatori eximie subjecti ».

Missa porro ad P. Brzozowski doloris sui declaratione:

« (Societas), inquit, impugnata semper, usque progreditur... Cohors illa est, quam ideo dimiserunt, quod melius pugnaret » [3].

Ob gravissimas causas, quas ipse, litteris datis 19 mensis Ja-

[1] Cf. *Clades Societatis in Russia* etc. p. 4-5.

[2] *Nouvelles pour les Annales de l'Eglise Catholique en Russie*, Tom. I, p. 315.

[3] *Lettres inédites du Comte Joseph de Maistre*, Paris 1853, Tom. I. *lettres* 112-113. De aliis causis, quibus Imperator forte paulatim aversus est a Societate, cf. Bliard, *S. J. Etudes religieuses*, Tom. 130, p. 234-244.

nuarii 1810, exposuit, Praepositus Generalis statuit, ne quis de Societate in Russia quemquam ad Ecclesiam Catholicam alliceret vel admitteret, atque ejusdem anni 31 Augusto Societatis apologiam ad Imperatorem misit. At frustra; quippe cum Jesuitarum patrocinium suscipere Petropoli nemo auderet. Ut in exsilium ejicerentur urgebat usque Siestrzencewicz; alii vero, dum Praepositus Generalis diem obiret, exspectare volebant. Ita enim reperimus scriptum:

« Ad citius autem perficienda nostrae proscriptionis consilia, peropportune machinatoribus accidisse videbatur mors Thaddaei Brzozowski, supremi moderatoris Societatis nostrae. Tanto enim hunc virum omnes, qui eum noverant, prosequebantur honore, ut Ordo noster, quamdiu ille viveret, omnia quidem mala in Russia perpeti posset, proscribi tamen non posse videretur, ne videlicet, una cum membris, et hoc eorum caput, in tanto honore habitum, proscriptionis poenam subiret, aliarumque nationum commiserationem in se excitando, turpem inhumanitatis notam nomini Russorum inureret. Conciliabat autem ei hanc venerationem et observantiam tum ipsa muneris ac dignitatis non levis, praecipue apud Russos, commendatio, tum veneranda maximeque amabilis, etsi provectae et satis vegetae aetatis gravitas, tum in primis eximia ac omnibus manifesta in superos pietas, quae et ex oculis, lacrymarum imbre modice suffusis, et ex vultu semper hilari ineffabilique divini amoris flamma pulchre succenso, et ex verbis maxima affabilitatis et candoris suavitate conditis, et modestissima denique totius corporis compositione mirifice prodebatur » [1].

Jam ab anno inde 1814, parte sollicitudinis, quam in gubernanda Societate gerebat, Vicario, Romae quippe degenti, demandata, vita functus est 5 Februario 1820, annos natus 70. In extremis agens, Societati benedixit atque « Ego quidem, inquit, moriturus jam sum, vos autem futurum ut e Russia expellamini ».

Quae vox eventu brevi comprobata, promulgatumque quod omnes formidarant decretum. Expulsi sunt e Collegio Mohileviensi primum, secutae deinceps Domus reliquae. Universa igitur Provincia, cujus tum erant Socii 358, jam regione excessit illa, in qua Deus clementissimus conservatam tanto amore Societatem provida cura foverat, etiam in hunc finem, ut noster in Occidentali Europa

[1] * *Clades Societatis in Russia* etc. p. 5-6.

denuo exortus Ordo abundantibus illis viribus frueretur [1]. Nostri turmatim profecti Galiciam versus, ubi ex iis haud pauci suscepti sunt. Plerique tamen adjuncti ad Occidentalis Europae Provincias, Italiae, Helvetiae, Galliae; mox enim ex Russica Provincia nomina complura in istarum catalogis inveniuntur descripta [2]. Neque vero eadem omnes via Italiam petierunt; quas civitates visitaverit turma, cujus P. Joannes Roothaan caput erat, in quadam hujus epistola ita scriptum legitur:

« Quoniam, inquit ille, 25 Augusto 1820, ad patrem ipse suum, aetate provectum, scribens, id tibi gratum fore intellexi, volui praecipua locorum, per quae iter fecimus, nomina indicando referre, ut si placuerit in geographica tabula persequi ea possis: Orsa, Mohilevia, Rohaczew, Mozyr, Crorucz, Zytomir, Astrag, Radziwillow. Hic sunt Russiaci Imperii fines, quos 30 Majo (1820) transivi, ipsis 16 annis postquam Amstelodamo profectus sum. Venimus tum Brody, Lembergum, unde Vindobonam petivimus, quod est Austriae caput. Vindobona Italiam versus arripuimus iter, per locos Klagenfurth, Udine, Mestre; hinc Venetias divertimus, celeberrimam illam civitatem visuri; porro e loco Mestre profecti sumus Patavium, dein Ferrariam, ubi primum invenimus Collegium, abhinc aliquot annis Societati restitutum, ubi a fratribus nostris Italicis eximia caritate excepti sumus. Eo tamen in loco diu morari nos [3] non potuimus; jam enim redundabat incolis Domus, ac quotidie novi e Russia exsules adventuri exspectabantur. Mox igitur Ferraria petivimus Bononiam, ubi integram fere hebdomadam *ego* remansi, donec in Helvetiam iter facere jussus sum. Jam ergo Bononia per Mutinam profecti sumus Rhegium, Parmam, Placentiam, Mediolanum, Alpibus denique superatis, Brigam, qui est in Helvetia locus » [4].

Sane, qui e Russia advenerant exsules, neque ingenio ac do-

[1] *Breves annotationes Patris Roothaan circa Societ. in Russia 1814-1820; Ms. Prov. Franciae. Lettres des PP. Généraux 1814-1820.*

[2] *Catalogus Prov. Ital. S. J. ineunte anno 1821. De Helvetia cf. Hist. Prov. Germ. Sup. 1773-1839.* p. 124 ss. *

[3] Quo modo opponuntur voces *nos* et *ego*, liquido apparet, e Sociis ejus aliquos in Italia remansisse, vel certe haud cum eo profectos esse Brigam.

[4] Alberdingk-Thijm, *Levensschets van P. Joannes Philippus Roothaan. Generaal der Sociëteit van Jezus.* Amsterdam (1885). Bijlage XIV, bl. 267. Cf. P. Albers *S. J. De Hoogeerw. Pater J. Ph. Roothaan, Generaal der Sociëteit van Jezus en de voornaamste lotgevallen zyner orde, Nijmegen.* Tom. I, p. 233 ss.

ctrina neque vitae sanctitate, omnes comparari poterant cum Patre Roothaan, qui, unus e praecipuis nostris Praepositis Generalibus postea factus, secundus quoque Societatis fundator jure nominetur. At vero spondet ingenuus ille, qui in Russiaca Societate erat, spiritus, testisque accedit, quae Societatis saeculo XIX fuit historia, quod vividum illud mentis animique robur Patrum, qui in Russia probe fuerant exercitati, causa magnam quidem partem exstiterit, quare ad eximiam prosperitatem complures Societatis Provinciae brevi tempore eveherentur.

## CAPUT II

### Praepositi Generales et felix Societatis progressus

Defunctus erat, 5 Februario 1820, P. Thaddaeus Brzozowski, cui plurima beneficia accepta Societas referebat. Quamvis indole affabilis et mansuetus, fortis tamen ac strenuus moderator erat, disciplinaeque custos assiduus. Quae aggregatae ad Societatem jam erant Missiones Graeciae, Angliae, Americae, eas sustentabat, Societatemque allegatis apostolicis et Europae principibus perpetuo commendando, nulli parcebat operae nullique labori, quibus ad scopum tam vehementer exoptatum perveniri aliquando posset, Societatis nimirum per universum orbem restitutionem. Diligentissimum deinde post felicem restitutionem laborem impendens congregandis Provinciis, quae disjectae olim fuerant, novasque erigens, nunquam non intente Socios hortabatur ut communem vivendi modum omnes tenerent, ut vocationis studiosi efficerentur, ut diligerent inter se animarumque saluti impigram impenderent operam: ea enim esse ingenui Societatis spiritus indicia. Inconsulto Pio VII, rem alicujus momenti aggressus est nullam, cumque Romae commorandi veniam ab Imperatore impetrare non posset, suos in Urbe Vicarios habuit, Patrem Ludovicum Panizzoni, Patrem Joannem Perelli, Patrem Aloysium Fortis; fidos praeterea rerum suarum procuratores, Patres Vincentium Giorgi, Josephum Mariam Pignatelli, Joannem Andream Avogadro, qui fuerat Episcopus Veronensis, Ludovicum Mozzi, quibus omnibus Pius VII quam plurimum fidebat [1].

Vicarium Generalem moriturus designarat P. Marianum Petrucci, Rectorem Genuensem. Qui, ante suppressionem ingressus, cum, quo tempore restituta est Societas, Interamnae, in patria civitate, canonicus esset, relictis rebus omnibus, rursus ad Ignatii vexillum adjunctus est. Pietate quidem ille notus, mitis, Societati quoque addictissimus erat, attamen non perspicax; facilem dabat

[1] Ant. Patrignani, *S. J. Menologio di Pie Memorie d'alcuni Religiosi della Comp. di Gesù che fiorirono in virtù e santità, raccolte dal 1538-1728. Continuate fino ai dì nostri per Gius. Boero D. M. Comp.* Rom. 1859. II. 110 ss.

deceptoribus accessum, versatilis erat praeterea, verbo, parum aptus qui Superior atque etiam Vicarius Generalis esset[1]. Erant enim tunc periculi plena tempora; Sociorum Domorumque numeri continua augmenta; graviora quoque in dies momenta laborum, quibus singulari diligentia operam Socii navabant. Homines praeterea circumstabant malevoli; impendebant undique procellae. Qui Ecclesiae in Anglia praeerant, Jesuitas esse vetabant, nec lege agnoscebatur eorum in Gallia commoratio; minax in regno utriusque Siciliae instabat civilium rerum perturbatio; immo una die (5 Majo 1820) duplicis calamitatis Romam allatus nuntius: e Russia expulsos, et dispersos esse in Hispania Socios. Quibus de rebus Vicarius Generalis solando cohortandoque litteras ad Sodales, tot tantisque oppressos aerumnis 21 Junio misit:

« S. Fundator noster, inquit, ut probe nostis, incredibili voluptate gestivit, atque ad ejus imitationem et nos gestire debemus, non solum quod persecutio nos divino Redemptori similes facit, quae similitudo est magis omnibus propria, et tuta electorum nota; sed etiam quod occasionem praebens exercendi virtutes maxime heroicas, amplissimum nobis campum aperit ad nosmetipsos sanctificandos, aedificandum proximum et Dei gloriam, quod inde sequitur, procurandam atque amplificandam ».

Tum ut e difficultatibus extricarentur nostri laboresque pervincerent, quo modo P. Laurentius Ricci [2], anno 1769, et P. Stanislaus Czerniewicz in Alba Russia [3] jam fecerant, devotionem erga SS. Jesu et Mariae Corda iis commonstrans:

« Ut haec facilius, inquit, impetretis... rationem indicabo, quam non solum mihi, sed et omnibus vobis maxime accommodatam fore spero ad obtinendum et pro Societate universa et pro singulis ejus filiis coelestium omnium gratiarum abundantiam, rationem illam dico, quae in fervida quadam constantique erga SSma Jesu et Mariae Corda reverentia et pietate sita est ».

Denique Vicarius Generalis sperare se dicit fore ut, colendis SS. Cordibus, mox futura Praepositi Generalis electio bono vertat totius Societatis:

« Ita, inquit, non temere quidem sperabimus fore ut Deus in

[1] * Landes, *Diurnale autographum*, p. 29.

[2] P. Ricci, *ad PP. et FF. S. J.* in *Epist. General.* Ed. alt. Rollarii 1909, Tom. II, 296-297.

[3] Ibid. Tom. III, p. 4-6.

proxima Generalis electione eum Societatis nostrae moderatorem impertiatur, qui tam difficilibus temporibus tot inter pericula atque certamina divino ejus spiritu repletus fortiter, constanterque eam regat atque ad eam feliciter perducat, ad quam instituta est, majorem Dei gloriam » [1].

Ac reapse Sacrum Cor Jesu tutatum est Societatem, medio isto periculo, in quod nunc erat inducenda jam non inimicorum machinationibus, sed agendi ratione eorum qui amici, immo qui ipsius filii essent. Rerum autem atque eventuum series haec erat. Pater Petrucci, missis 10 Majo 1820 encyclicis litteris, Congregationem Generalem indixit in 14 Septembrem, quae est Exaltationis S. Crucis festa dies; ipsum vero documentum sententiasque illius S. Pater Pius VII scripto probaverat:

« Superius, inquiens, expositam methodum approbamus, derogantes quatenus opus sit, Apostolicis Constitutionibus, Institutis Societatis Jesu, ceterisque contrariis quibuscumque » [2].

E Vicarii mandatis ita erat agendum, ut turbae excitarentur nullae; in sola fortasse Sicilia fieri posse, ut Congregatio Provincialis convocaretur; in aliis igitur Provinciis Electores, omissa Congregatione, designandos; quod si is qui electus fuisset, ratione muneris Romam adire non posset, fore ut illius quippe nomine aliquis e Professis Romanis Congregationi Generali interesset. Haec mandata in Provinciis perfecta jam erant, magnam quoque partem Electores in viam se contulerant, alii jam aderant Romae, cum ecce, 1 Augusto 1820, ex inopinato ad Patrem Petrucci relatae sunt litterae Hannibalis della Genga Cardinalis, qui nomine atque auctoritate S. Patris praecipiebat ut Vicarius Generalis:

« Haud retardatis illis negotiis, quae Capitulum Generale praecedere deberent..., ab indicendo tamen Generalis Capituli initio, ad tempus, dum ejusdem Sanctitatis suae denuo mandata perferrentur, abstineret » [3].

Cujus praecepti ea prolata est ratio, quod opus esset Patres, e Russia expulsos, prius advenire;

« Illos enim, tum numerum tum dotes quod attineret, esse eam Societatis Jesu partem, cujus esset valde gravis auctoritas » [4].

[1] * *De reb. Congr. XX. N. 6.*
[2] * Ibid. *N. 6 Exempl. authenticum.*
[3] * Ibid. *Exempl. authenticum.*
[4] * Ibid.

Quam inopinatam interventionem eo vel minus initio Nostri intellexerunt, quod longissime abesset a formali illa, auctoritate Pontificis, jam pridem data approbatione, neque quisquam cogitasset de excludendis Albae Russiae Patribus, qui ceteroquin ante 14 Septembrem Romae omnes adesse facile possent.

Pater Petrucci insequenti die litteras confecit, quibus se obtemperaturum quidem affirmabat, simul tamen ostendebat quam provecta jam esset ejus aetas, quam infirma valetudo, quam exiguus rerum usus, ita ut Vicarii Generalis munus gravissimum sibi esset, Praepositique Generalis electionem vehementer exoptaret. Quae epistola utrum reapse missa ab eo fuerit parum constat [1]; certum vero est, eum ipso die, inconsultis omnibus, ad Provincias scripsisse, dilatam Congregationem esse, neque permitti ut Electorum quisquam, donec aliter juberentur, Romam adveniret. Is vero non solum in rebus agendis error fuit, sed ostendit etiam, epistolam quam scripserat Della Genga Cardinalis, a Petrucci perperam intellectam fuisse [2]; unde Societatis calamitas gravissima. Etenim dum ex Electoribus 21 jam 17 adesse Romae gaudebant, plane tamen intellexerunt subesse clandestina quorumdam consilia, quibus id ageretur ut Congregatio Generalis vel ad incertum differretur tempus, vel etiam prorsus impediretur. Ac sane e vero ita intellectum. Fuerunt enim consiliorum auctores e nostris duo, Pater Ludovicus Rezzi e Provincia Siciliae et Romae SS. Congregationum Indicis et Rituum consultor, et Pancaldi diaconus. Fraude quidem erant seducti, conspirationi tamen naviter adlaborabant Pater Ignatius Pietroboni, Praelati quoque parvo numero, atque egregius ipse Societatis amicus Della Genga Cardinalis. Quaerat quispiam, qua tandem ratione iniri consilia istiusmodi ac perfici omnino potuerint?

Primum quidem suberat Paccanarismi metus inanis. Populo enim, Aulae Pontificiae atque ipsi Pio VII formidini erat Paccanari memoria. Immo in aliquorum animis timor ille ad ipsos Patres Fidei pertinebat, qui olim cum Paccanari ad horam conjuncti, deinde Societatem Jesu inierant. Qua de re vel optimi Societatis amici angebantur ne ex iis quispiam Praepositus Generalis eligeretur; atqui

[1] Neque enim prostat in Apologetica narratione illa, quam pro suo regimine exhibuit Petrucci. * *Congr. XX*, 3.

[2] * *Diarium Consult.*: P. I. Rozaven *Relatio eorum quae pertinent ad Congr. Gen.*

perlata fama fuit, ex Electoribus tres (Sineo della Torre, Rozaven, Grivel) e numero Patrum Fidei olim fuisse, fortasse autem fore ut ex Helvetia advenirent [1] alii tres. Differendam igitur Congregationem potius esse quam ut Paccanaristae in ea sinerentur auctoritate valere [2].

Atque etiam gravior fuit suspicio, quam apud nonnullos habebant novi Jesuitae quilibet. Solos ergo eos, qui ex antiqua Societate superstites essent, vel saltem qui magnam partem ex Alba Russia advenissent, volebant Electores esse. Differenda igitur juxta illos erat Congregatio. Accessit ut antiquas Pater Rezzi dubitationes denuo excitaret, quibus in Sicilia olim inhaeserat P. Cajetanus Angiolini, ut erat pusillo et contracto animo atque invida imbutus aemulatione; quippe qui Societatem e jure legum esse negasset, eosque Patres, qui sive post 7 Martium 1801 in Russia, sive in regno utriusque Siciliae post 30 Julium 1804 vota non emisissent, Sacerdotes esse saeculares affirmaret [3]. Facile unusquisque intelliget, quantas Pater Rezzi, ejusmodi depromptis doctrinis, turbas excitare potuerit. Theologos Praelatosque nonnullos in suam sententiam adduxit, immo vero a Cardinalitio viro invitatus est, ut, quae haberet ex ecclesiastico jure dubia, coram Pio VII exponeret. Ipse adeo Pontifex, Della Genga Cardinalis ac Pater Petrucci ita voluntati Patris Rezzi et Pancaldi paruerunt, ut Patribus nulla legitimae defensionis occasio praeberetur [4].

Societati autem bene affectus Pius VII, medendi malis quaesito medio, procuratorum coetum instituit, quorum praecipui erant Della Genga et Galeffi Cardinales. Cardinales inter et Patrem Petrucci medius accessit Pater Rezzi. Confestim expeditum negotium ita est, ut, quo die, 14 Septembri, statutum fuerat ut Congregationis coetus iniretur, tres a Della Genga Cardinali ad Patrem Petrucci epistolae deferrentur, de quibus haec scripta invenimus:

« Prima quae, mirantibus omnibus, lecta fuit ad mensam vespere, notum faciebat omnibus, summo Pontifici semper magis ac magis persuasum, differendam esse Congregationem ad sapientem

[1] Vanus iste rumor: ex Helvetia enim neque elegerunt nec miserunt Electores. * *Hist. Prov. Germ. Sup. ad an. 1820*, p. 124.

[2] * P. Landes, *Diarium* p. 43; * *Protestatio Patrum Sineo, Rozaven, Grivel;* acta Congr.

[3] Cugnoni, *Vita di Luigi Maria Rezzi*, Imola 1879, p. 54 ss.

[4] * Petruzzi, *Narrazione di quanto* etc., p. 8. * Landes, *Diarium*, p. 31.

Praepositi Generalis electionem ; ne interim Societas in negotiis aliquid detrimenti pateretur, Patri Vicario conferri omnes facultates, omnia jura et privilegia, quae ipsis Generalibus viventibus competerent, ipsique adjungi novos Assistentes, eo modo quo ipse ostenderat se desiderare.

In secunda epistola quam solis Assistentibus manifestavit Vicarius, Cardinalis Della Genga notum faciebat, Pontificem velle, ut ante Congregationem remedium afferretur nullitatibus, irregularitatibus et deordinationibus quas in Societate existere dicebat Sua Eminentia [1], atque in hunc finem nominasse deputationem constantem Cardinalibus Della Genga et Galeffi atque Archiepiscopo Nanzianzeno, qui etiam, ex voluntate Summi Pontificis, praesidere debebant futurae electioni Praepositi Generalis.

In tertia epistola nominabantur novi Assistentes, qui veteribus addebantur. Assistentes novi quinque erant, ita ut universim septem futuri essent, quod sine exemplo erat in Societate. Cum enim maxime floreret Societas, sex tantum erant Assistentes; juxta autem praesentes Societatis circumstantias multo conformius erat Constitutionibus nostris ut solum quatuor Assistentes essent. Ex Assistentibus, petente Vicario, nominatis, unus erat in extremis finibus Hispaniae, nempe Gadibus, alter nesciebatur utrum in America esset an in Hibernia » [2].

Triumphum ad tempus egerunt Pater Rezzi et qui cum eo erant, moerebant vero, spe tamen non abjecta, Assistentes quique Romam jam advenerant Electores. Libellus supplex, qui Della Genga Cardinali porrectus erat, intercedente Patre Vicario, cecidit irritus. Una jam supererat spes, ut ipsum Pontificem deprecabundi adirent. Ceterum :

« Assistentes et Provinciales ea quae acciderant praevidentes, jam a 25 Septembris paraverant libellum supplicem offerendum Summo Pontifici, cui optime sciebant res fuisse repraesentatas longe aliter ac se haberent ».

Mox vero quaesitum, per quem libellus ille Pontifici tradendus esset ? E Cardinalibus enim, quibus a Pio VII olim innotuerant res

[1] Ita quidem, nulla facta determinatione.

[2] * *Epistolae authent.* Della Genga Card. *Congr. XX*, VII, 10-12. * Rozaven. *Relatio*, ibid., IV. Ad Assistentes pridem designatos, Ignatium Pietroboni et Raymundum Brzozowski, accesserunt: Joannes Billy, Josephus Araujo, Ludovicus Landes, Petrus Kenney, Ignatius Duquesne.

Societatis, Mattei et Litta jam vita functi, Pacca vero tantisper e sententia Patris Rezzi opinabatur. Supererat unus Hercules Consalvi Cardinalis, qui, tempore ancipite isto, immortali nos sibi beneficio devinxit [1]. A Patre Rozaven, scribendi imprimis perito, compositus fuit libellus. Assistentibus duobus atque ipso Patre Petrucci Vicario exceptis,

« Caeteri Assistentes, Provinciales, Electores et alii Patres noti muneribus in Societate gestis, universi 19, die 22 Septembri subscripserunt libellum supplicem. Die 28 Septembri duo Patres [2], ad id deputati, illum detulerunt ad Eminentissimum Cardinalem Secretarium Status Consalvi. A quo summa benignitate suscepti, plura dicere potuerunt in rem communem. Exposuerunt timores et anxietates universae Societatis, quae electionem sui Praepositi sollicite exspectabat, neque scire poterat, quam ob causam differre oporteret Congregationis celebrationem; novam formam regiminis introductam terrere animos; nihil jam fieri secundum praescriptum Constitutionum, sed omnia nomine et auctoritate Summi Pontificis; Electores ad suas Provincias redituros pudore suffusos, eo quod nullam rationem dare possent Societati; dici quidem generatim esse in Societate irregularitates, nullitates, atque etiam deordinationes, nihil tamen in specie exprimi; nullitates et irregularitates si quae essent, videri facile posse sanari, modo id velle dignaretur Sua Sanctitas pro sua in Societatem benignitate; ea autem quae forte essent contra bonum ordinem, de quibus tamen nihil sciebat Societas, corrigi posse ab ipsa Congregatione cum electo Praeposito; modo, quid corrigendum censeretur, Societati manifestaretur. Haec et alia multa Eminentissimus Cardinalis benignissime auscultavit, promittere dignatus se libellum supplicem Summo Pontifici porrecturum, jussitque (Patres) bonam spem concipere » [3].

Intellectis fraudibus, Consalvi jure censuit honorem quoque Sanctae Sedis periclitari, quippe quae a Patre Rezzi aliisque qui cum illo erant, circumveniretur. Noluit praeterea, Imperatori Austriae taedii causas afferri, si Poloni Patres, longiores quam quae ab illo iis concessae erant, moras Romae traherent. Tum Cardinali

[1] « Ex qua salus et quodammodo existentia Societatis pendebat ». * LANDES, *Diarium*, p. 33.

[2] Landes et Rozaven. * ROZAVEN, *Relatio*, p. 4; * LANDES, *Diarium*, p. 33.

[3] P. ROZAVEN, *Relatio*, p. 4. * Congr, 20, IV.

subeunda fuit acerrima dimicatio; attamen ejus strenue in rebus agendis facultas ipsumque jus victricia ex ea excesserunt. Praeter igitur ea, quae a Patre Rozaven exposita ei erant, ipso libello supplice munitus, ostendit Cardinalis, « Electores, juxta praescriptum Constitutionum designatos jam fere omnes Romam advenisse »; tum « si electio differretur, fore ut plures cogerentur ad suas dissitas redire Provincias, a quibus diu abesse non possent »; dein vero « Constitutiones Societatis, defuncto Generali, non aliam electioni successoris moram ponere, quam quae necessaria esset ad congregandam Societatem »; porro « regimen Vicarii, utpote temporarium juxta Constitutiones et ex natura sua insufficiens esse; ... fore enim ut deficere posset fiducia sub forma regiminis non usitata, nec Constitutionibus conformi »; tum « multa istis initiis stabilienda, confirmanda, restituenda vel ordinanda esse: ad quae ipsius Generalis auctoritas juxta Constitutiones non sufficeret, sed requireretur auctoritas Congregationis. Unde etiamsi haberent Generalem, tamen adhuc necessariam fore Congregationem sine mora celebrandam »; in fine denique affirmavit, certo sibi constare « se exprimere universae Societatis desiderium et vota, quae eo unice tenderent ut integrae et inviolatae servarentur Constitutiones ». Atque his ille causam feliciter peroravit; subscripsit enim libello supplici Pius VII:

« Attentis expositis, mandamus Congregationem Generalem, de qua in precibus, quamprimum celebrari et electionem Praepositi quamprimum fieri, contrariis quibuscumque non obstantibus » [1].

« Miraculum contigit divinae Providentiae! ». Quibus verbis, in *Diarium* suum relatis, P. Rozaven addidit haec: « Quod, inquit, ubi divulgatum est, summo gaudio affecit non solum Electores, sed omnes incolas Domus Professae, uno alteroque exceptis » [2]. Excipiebantur sane Pater Petrucci, quique Provinciae Italiae Praepositus nominatus modo erat, Pater Pietroboni, qui, fallacibus Patris Rezzi [3] sermonibus decepti, atque a ceteris Electoribus etiamnunc segregati manentes, praeformatae sibi sententiae tenaces inhaeserunt. Iis vero neglectis, Electores perfecerunt mandata Pontificis.

[1] * *Libellus supplex; exemplar authenticum; Congreg. XX*, VIII.

[2] * P. Landes, *Diar.*, p. 9; P. Rozaven, *Relatio*, p. 5.

[3] Rezzi una cum Pancaldi, tanquam perturbatores ejecti sunt. * *Congr.* XX, 1. A quibus cum se deceptum esse, Cardinalis Della Genga initio persuadere sibi non posset, verbis satis duris usus est adversus Societatem. Postea vero, nomine Leonis XII Supremus Pontifex factus, Societatis nostrae benefactor fuit egregius.

Die 9 Octobris 1820 initium factum est Congregationis Generalis XX; interfuerunt Professi omnino 24, e quibus alii quidem initio nondum aderant, alii vero ad exitum usque non remanserunt [1]. Erant eo tempore Provinciae 6, quibus Electorum mittendorum jus competeret: Italiae, Siciliae, Poloniae, Galliae, Hispaniae et Angliae. Siculi electores 13 Novembri demum advenerunt [2]. Ad Congregationem Generalem invitati quoque cum essent in Helvetia Patres, Brigam in Congregationem quasi Provincialem convenerunt Professi 9, e quibus Pater J. Roothaan unus fuit. Qua de re scriptor historiae Provinciae Germaniae Superioris:

« Res fuit in concilio, inquit, diu multumque agitata ac visum majori parti nos hujusmodi vocationi non posse obsequi: nullum enim Helvetiae, cum ne Vice-Provincia quidem sit, jus competere concurrendi ad electionem novi Praepositi » [3].

Congregatis igitur Electoribus, seque legitimum esse coetum declarare volentibus unus contradixit Petrucci. Intelligunt igitur omnes, ab istiusmodi molestis contradictionibus omnino cavendum. Suppliciter igitur ea de re aditur, 10 Octobri, Pontifex:

« Ut suprema sua auctoritate dignetur 1.° Quatenus opus sit, sanare et convalidare omnes et singulas Professiones a tempore Constitutionis Clementis XIV *Dominus ac Redemptor noster*, huc usque emissas, quae quocumque ex capite nullae et irritae, secundum canones aut Pontificia decreta et Constitutiones, forent aut esse possent, et mandare ne quispiam amplius nec in judicio nec extra auderet eas in dubium vocare; 2.° Omnes et singulos in Congregatione hac Generali convocatos pro antiquo more absolvere quatenus opus sit ab omni excommunicatione et censura quocumque ex capite incursa ad effectum legitimi juris hujus Congregationis et ad effectum electionis legitimae Praepositi Generalis; 3.° Ut quisquis quocumque praetextu auderet legitimam Congregationem non agnoscere aut illegitimam dicere electionem Praepositi Generalis aut quomodocumque pacem turbare, quae revera exsistit inter omnes, paucissimis exceptis, juxta Constitutiones nostras statim expelleretur, cujuscumque gradus in Societate sint » [4].

[1] * *Acta Congr. XX.*
[2] * P. Grassi, *Diarium.*
[3] * *Hist. Prov. Germ. Super.*, p. 124.
[4] * *Authent. libell. supplex. Congr. XX*, VIII.

Pius VII, Patribus amicissime exceptis, tandem:

« Circa decretum, inquit, sanationis ad Cardinalem Consalvi vos conferte. Est ille totus pro vobis et plurimam habet de rebus vestris sollicitudinem » [1]. Sanctissimus 14 Octobri subscripsit Decreto sanationis, quo, qua parte opus illa esset, plane satisfiebat. Quod ipso die a Consalvi Cardinali ad Patrem Raymundum Brzozowski, qui Congregationi Generali praeerat, remissum est [2]. Summopere gavisa est Congregatio tum paterna Pii VII clementia, tum amica Consalvi Cardinalis in Societatem nostram beneficentia.

In sessione III Patri Petrucci, dein paulo post Patri etiam Pietroboni abrogatum est munus. Rem probavit Pius VII [3].

Electio Praepositi Generalis facta est 18 Octobri. Habita a Patre Fortis, quae fieri solet, oratione, mox dein Congregatio eumdem Patrem Aloysium Fortis Praepositum Generalem elegit. Is post meridiem, tribus cum Patribus, Pium VII adiit, « a quo, inquit Pater Landes, peramanter sumus excepti » [4]. Ac sane ipsum Fortis a Pontifice fuisse exspectatum aliqui volunt. Nam, quemadmodum scriptum reperimus, « Electores... priusquam indictum agerent conventum, ad Pontificem de more veneraturi cum accessissent, prospera ille Societati ominatus: *Fortes estote, Patres mei, subridens ait, enimvero estote fortes;* utrum ad ostendendum quem ipse deligeret, Fortis videlicet nostrum, an ad divinandum, quem forent ipsi electuri, addubito » [5].

Electione, quae facta erat, contentum esse Pontificem mox apparuit. Resignata enim statim epistola, sibi a Patre Augustino Monzon, Vice-praeposito Domus Professae, porrecta, « Summus Pontifex, vultu ad hilaritatem composito, ac dein voce satis alta nominato Praeposito Generali, solis adhuc Electoribus cognito, manu propria subscriptum codicillum tradidit » [6]. Exsultabant quoque Domus Professae incolae omnes; etenim « omnes, gavisi, tam dignae electioni laetis cum vocibus plausum dederant ». Vel ipse populus, qui, in Templo Sanctissimo Jesu Nomini dicato, novi Praepositi

[1] * Landes, *Diarium*, p. 12.

[2] * *Decretum authenticum una cum litteris Consalvi, Congr. XX, VIII.*

[3] Petrucci, 19 Novembri 1820, petita venia, defunctus est in pace Domini. Patri Pietroboni postea restitutus est honor.

[4] * Landes, *Diar.*, p. 15.

[5] Joannes Ignatius Beretta, *De vita Aloysii Fortis vicesimi Societatis Jesu Universae Praepositi Commentarium*, Veronae 1833, p. 22.

[6] * *Congr. XX, VIII.* Authenticum. *Funzioni per l'elezione.*

Generalis proclamationi intererat, nomen ejus ardenti studio exceperunt, atque « omnes eum sanctum virum esse dicebant » [1].

Cujus electione Societas quasi in vitam denuo edita sibi videbatur. Erat enim hic post suppressionem primus in urbe Roma electus Superior ejus et primus Romae sedem habiturus. Ac sane fuit cur Pater Fortis, Congregatos Socios tandem dimissurus, haec ad eos verba faceret:

« Ejus (Congregationis), inquit, erit in posteritatem nostram perpetua et insignis memoria. Nulla enim fuit Congregatio, quae tot plane miris a Deo beneficiis prosperata et cumulata fuerit ante, et forte non erit in posterum, quot ea beneficia sunt, de quibus hodie gratias ipsi agere debemus. Dei enim est quod incoeperit, Dei est quod plena sua auctoritate uti potuerit, Dei demum quod sese e gravissimis difficultatibus facillime explicaverit. Dei donum vel maximum quod tam multa haud exspectata fortiter sapienterque, et singulari animorum firmitate et concordia peregerit et decreverit, quibus et incolumitati praesenti Societatis provisum est et posteris exemplum traditum sanctae justaeque istius severitatis ac fortitudinis, quam nobis S. P. N. Ignatius imprimis imitandam reliquit » [2].

Intellexerunt, etiam qui Societatis non erant, quantum haec Congregatio momentum haberet, ut innumerae undique gratulationes ad Patrem Fortis allatae fuerint; nominare eas libet quae fuerunt Imperatoris Austriae, Friderici Principis Hassiae et Antonii Ducis, Regis postea futuri Saxoniae [3]. Hic videlicet [4], qui cum Fortis amice ad illud usque tempus egerat, fueratque antea Societatis alumnus:

« Summo, inquit, cum gaudio in ephemeridibus publicis legi, a Societate Praepositum Generalem electum esse virum de quo vere

[1] * Ibid. *Funzioni per l'elezione.* Vix diffiteri quis poterit, a venerabili Patre J. M. Pignatelli Praepositi Generalis munus bis ei promissum, dicente: « Tu eris Generalis Societatis »: id ita factum contestantur, qui in processu beatificationis Pignatelli testes intervenerunt fere omnes. Cf. Summarium . . . Introductionis Causae Servi Dei J. M. Pignatelli, p. 251 etc. * *Funzioni* etc. BERETTA, *De vita Aloysii Fortis.* p. 24. BOERO, *Istoria della vita del V. Padre Gius. M. Pignatelli,* Roma 1857, p. 564.

[2] * *Congr.* XX. X. Eamdem in sententiam paulo post scripsit ad Praepositos Provinciarum. * *Epist. Vic. et Gen. 1788-1825.* Tom. 9, p. 287 s.

[3] * Fortis, I-VII.

[4] Rex Saxoniae 1827-1836.

dixeris, eum esse et nomine Fortis et animo. Scio equidem illum, quae ejus est animi demissio, hac de re dissensurum a me. At puto jam in prioribus meis litteris dixisse electionem illam e mea sententia esse, quamvis mihimetipsi de ea nondum constaret. Et ecce contentus impleta mea vota jam video. Deus, qui hanc electionem direxit, ipse porro tibi dabit quam virtutem habebis opus (ipse quidem ea te carere censes) ad istud munus. Jam plus quam antea commendo me tuis Sociorumque fervidis orationibus, in quas mihi jus esse aliquod haud male dixerim, quippe qui semper inde ab adolescentia mea fuerim Societati addictissimus; jure id quidem, cum ei in acceptis referam meam religiosam institutionem » [1].

P. Aloysius Fortis, natus quippe 1748, annum jam cum electus est agebat septuagesimum tertium. Viribus tamen pollens etiamtum, per annos novem egregie gubernavit Societatem. Additi ei a Congregatione sunt Assistentes quattuor peritissimi: Pater Vincentius Zauli, qui erat Sacrae Poenitentiariae Theologus, pro Italia; Pater Raymundus Brzozowski, qui in eodem munere apud defunctum Generalem jam fuerat, pro Polonia; Pater Augustinus Monzon, Vice-Praepositus Domus Professae; quartus P. Rozaven, Vice-Praepositus Provinciae Galliae.

Propositum est a Patre Fortis maximi momenti decretum hoc, quo tanquam fundamento non solum Congregatio illa, sed etiam ipsa Societatis perpetuo futura gubernatio niteretur:

« Etsi minime dubium videatur, et Constitutiones a Sanctissimo Patre et Fundatore nostro datas, et quidquid eis addendum decursu temporis Patres nostri sapienter judicarunt, ab initio restitutae Societatis omnem suam vim obtinuisse, cum manifesta fuerit Sanctissimi Domini nostri Pii VII voluntas, ut Societas a se restituta iisdem, quibus antea, legibus regeretur; tamen ad tollendas omnes anxietates et ad frangendam aliquorum perturbatorum pertinaciam [2], Congregatio, non solum Constitutiones cum Declarationibus, sed etiam Decreta Congregationum Generalium, Regulas Communes, et peculiares singulorum officiorum, Rationem Studiorum, Ordinationes Generalium, Formulas et quidquid ad legislationem nostrae Societatis pertinet, confirmat et quatenus opus sit

[1] Boero, *Menologio* etc. II, p. 310-311.

[2] Qui non solum intra, sed extra Societatem erant. In Austria enim annis 1808 et 1820 conatus adhibiti sunt ut mutationes ad Institutum Patres afferrent.

de novo statuit, juxta potestatem datam Praeposito Generali et Congregationibus a Pauli III Constitutionibus; vultque ut omnia et singula eamdem vim obtineant ad obligandum omnes, qui in Societate vivunt, quam habebant ante Breve Suppressionis Clementis XIV ».

Quod decretum omnium votis acceptum [1]. Praeposito Generali a Congregatione commendatum quoque est ut novam Instituti editionem procuraret; cumque obligationes quas quis impleat nosse prius oporteat, atque Instituti exigua notitia aliquibus funesta fuerit:

« Patribus Instructoribus Tertiae Probationis Congregatio commendat, ut studium Instituti summa cura promoveant, rationem de hoc studio ab iis, qui probantur, sibi reddi curent ».

Congregatio porro nonnullis domesticae disciplinae capitibus observandis institit.

Quibus decretis, ut exsecutioni mandarentur, universaeque Societati regendae Pater Fortis, omnem suam operam summis viribus navavit. Cujus viri insignes animi dotes, annis ante suppressam Societatem 11, Deus providus praeparando excoluerat. Dein, ab anno 1794, Parmae familiariter usus est Patribus Francisco Messerati et Ludovico Panizzoni, praecipue vero Patre J. Pignatelli, quocum amicitia intime conjunctus erat; tum Neapoli Fortis, in Collegio Maximo Neapolitano, studiorum Praefectus nominatus est. Ac sane peritiae ejus insignis est commendatio eum, restituta Societate, a P. Brzozowski Romae Vicarium Generalis constitutum, a Pio VII autem anno 1819 nominatum esse Examinatorem Episcoporum [2]. In gubernanda porro Societate strenuam animi indolem admixta blanda comitate temperare feliciter studuit; qui exemplo maxime omnes pellexit. Nam, ut scriptum legimus:

« Communis vitae et disciplinae studiosissimus etiam in extremo vitae anno licet aegre vitam sustentaret, quotidie ad mensam communem descendit.... In omnibus Societatis regulis etiam minutissimis observandis accuratus ad exemplum propositus saepe fuit. Religiosam paupertatem, eamque quae in Constitutionibus nostris

[1] *Institutum S. J. Florentiae 1899.* Tom. II, p. 468-469. » Omnibus una voce conclamantibus: volumus servare ipsi, et ab aliis servari totum Institutum quantum est ». * LANDES, *Diarium*, p. 16: « Summo omnium plausu et gratulatione »; *Acta Congr.* 20, p. 91 seq.

[2] * *Fortis* I-V. 1.

praescribitur, non solum omni animi contentione firmavit, promovit ac tutatus est, sed etiam exemplis et factis ostendit atque expressit » [1].

Ita factum est ut, quamvis animo demissus ac blandus, ab omni tamen relaxatione esset alienissimus, quotiescumque regularum disciplina, imprimis vero paupertatis, periclitaretur. Quibus si quis se accommodare parum paratus inveniretur, huic abeundi licentiam dabat: « Non enim radices, inquit, Societas, verum fructus quaerit ». Dein vero quantiscumque vel dotibus ornatus vel insignitus muneribus erat, simplex semper Pater Fortis, animo semper demissus manebat. Saxoniae Principis hereditarii atque ipsius Regis Antonii [2], Friderici quoque Ducis Hassiae [3] familiari amicitia utens, « perfectiores et sublimiores virtutes alios de industria celare, ac per animi demissionem veluti sub modio abscondere » studebat; paupertatis etiam usu adeo delectabatur, ut « saepius ejus socii et amici detritas ac laceras vestes clanculum e cubiculo ei removere, et novas ac pro viri conditione decoras reponere fas esse ducerent » [4]. Spiritualem Novitiorum aliorumque juniorum institutionem ac religiosae vitae in provectioribus amorem tali duce laetos cepisse progressus, non est cur dicatur. Verum etiam, crescente Sociorum numero, vice-Provinciae atque ipsae Provinciae erectae sunt aliquot. Mox enim Pater Fortis, cum de filiorum, qui per septentrionales Belgii, Hollandiae, Germaniae regiones dispersi erant, conditione cogitavisset, 3 Januario 1821, Decreto subscripsit:

« Quo Socii in Helvetia, Belgae advenae, Missiones Hollandiae nec non domicilia Dusseldorpiense et Hildeshemiense atque Statio Dresdensis in unam.... vice-Provinciam constituebantur ».

Cujus conjunctionis causa erat, quod ut scriptum reperimus, Praepositus Generalis censuerat:

« Ad Dei gloriam Societatisque nostrae emolumentum atque incrementum in virtutibus, praecipue charitatis sanctaeque obedientiae, atque etiam ad facilius ejusdem regimen et uniformem Instituti nostri observantiam conferre omnino debere, et coalescere dispersa per Germaniam membra Sociorum nostrorum: qui Residen-

[1] * *Fortis*, I-V, 11.

[2] Cujus ad P. Fortis missas epistolas familiares prae oculis habui amplius 80, datas inter annos 1819-1829. * Fortis I-V.

[3] Ad P. Fortis epistolas ejus vidi ferme 30, datas 1819-1825.

[4] * Ms. S. J. I-V, 11.

ST. ALBERT'S COLLEGE

tiis veluti vel Missionibus addicti sunt, possent ratione aliqua, inque unum dirigi centrum, simul in unum veluti Provinciae corpus conglutinari, ex cujus capite et influxus obedientiae in eadem derivaret et vigili cura praestaretur singulis, et providentiae dispositiones, mutationes, ordinationes Nostrorum legitime fierent; subveniretur praeterea eorum necessitatibus et quidquid commodi habetur in bene ordinata Provincia, in subditos conferretur » [1].

Cui multorum Sociorum congregationi a Patre Fortis nomen datum « Vice-Provincia Helvetiae Missionumque per Germaniam », factusque ei Praepositus est Pater Nic. Godinot. Quorum, ut scriptum invenimus:

« Sociorum numerus exinde ad 130 excrevit, qui, quamvis magnis locorum spatiis a se invicem dissiti, charitatis tamen vinculis et vocationis nostrae spiritu sub eodem capite Vice-Provinciali uniti, pro viribus sua quisque gnaviter praestiterunt » [2].

Ea vero Vice-Provincia, insequentibus annis quinque, adeo Sociorum numero Domibusque aucta est, ut magno suo gaudio, anno 1826, Pater Fortis ad formatae Provinciae gradum evehere eam posset, cui datum « antiquum nomen Provinciae Germaniae Superioris, quo olim gaudebat ». Rei porro rationes explicans Praepositus Generalis:

« Nam et numerus, inquit, Sociorum satis amplificatus est, ut ad 168 et amplius censeantur Socii, partim in Collegiis uniti, partim in Missionibus divisi: perfectum insuper Collegium studiorum omnium cum habeatur Friburgi; praeterea cum Seduni Residentia in justum Collegium conversa nostro Decreto sit [3]; Collegium item Brigense permaneat, et distincte posita convictorum Domus; cui item accedit in urbe Friburgensi, cujus in ditionem sub meliori coelo transferatur nunc, Tirocinium nostrum; quodque caput est, in Belgio (Gandae) habeatur initium etiam Domus Professorum, juxta nostras Constitutiones [4]; demum spes affulgeat, quod haud post diuturnum tempus alibi etiam Domus in hac Provincia atque Collegia poterunt feliciter, Deo adjuvante, excitari » [5].

[1] * *Hist. Prov. Germ. Sup.*, p. 132-133.
[2] * Ibid., p. 133.
[3] * Decret. VI. *Hist. Prov. Germ. Sup.*, l. c. p. 253.
[4] Ut enim conderentur Domus Professae, Praeposito Generali commendatum erat Congr. XX decr. 13.
[5] * *Hist. Prov. Germ. Sup.*, p. 252.

Una cum decreto 13 Septembris 1826, Praeposito Provinciae recens nominato, Patri Joanni Baptistae Drach, facultates omnes ac jura, quae muneri competerent, tributa sunt. Helvetica igitur Vice-Provincia, quaeque ortum ex illa duxerat Provincia Germaniae Superioris, cujus rebus gestis narrandis seniores Nostri, vita nunc vix non omnes functi, tam suaviter audientium animos commovere noverant, ipsae quasi semen fuerunt, unde exortae postea sunt Provinciae hodiedum florentissimae tres: Germaniae, Belgica, Neerlandica, quae proinde Patri Fortis floris sui germen acceptum referunt.

Patre Fortis Societatem primum gubernante, annis quippe 1820-1823, efformata quoque est Galiciae Provincia, quae ex parte Provinciae Albae Russiae ducit originem. Nimirum dum Patres nostri, e Russia expulsi, ut scriptum legimus:

« In certos divisi manipulos alii post alios ad limites deportantur, interea primus manipulus ad fines imperii Russiaci pervenit, et a custodibus limitum Austriacis, nihil de tanto brevi subsequentium numero suspicantibus, sine mora in Galiciam intromittitur. Supervenientibus aliis, datoque iis transitu per cancellos utriusque confinis imperii, quum Austriaci animadvertissent secundum manipulum primo non minus numerosum esse, interrogant Nostros, utrum postremi eant an plures socios suos idem facientes iter post se reliquerint, acceptoque a Nostris responso non alio, nisi quod ipsa res postulabat, hoc denique ex eo inferunt: cum nihil, inquiunt, hactenus de permittendo tantae multitudini hominum in nostros fines ingressu in mandatis habeamus, nihilque propria auctoritate hac de re statuere possimus, tamdiu vobis in hoc ipso loco commorandum erit, donec cursor mox expediendus Leopolim a Gubernatore totius Galiciae et Sadomiriae, Francisco de Hauer, de vobis sociisque vestris exulibus vel intromittendis in provincias nostras vel remittendis ad limites Russiacos, unde venistis, certi aliquid afferet » [1].

Erat ea sane misera frustratio, ut videlicet sub dio exspectare deberent, nec fortassis inveniretur exsulibus locus, ubi tranquille vivere sinerentur! Providus vero adstitit Deus. Mox enim redux cursor non modo responsum attulit quod erat in votis, verum Gubernator, ut porro scriptum est:

[1] * *Clades Societatis in Russ.* etc. *Gal.* I-I, 1, p. 19 ss.

« Etiam coram viris spectatae fidei haec addidisse fertur: non solum, inquit, recipiendi sint Jesuitae exules sed etiam salutandi, seque magnam hujus Ordinis habere aestimationem; ac propterea acturum cum Metropolita Leopoliensi et Primate regni de retinendis iis in hac Provincia, ut populum rudem ac depravatum doctrina religionis moribusque Christianis instituant ». Perquam benigne Patres excepti sunt a Primate Andrea Aloysio Ankwicz, atque a Sacerdotibus utriusque ritus, Armeni Latinique, inter quos Josephus Poniatowski et Samuel Stefanowicz imprimis eminebant [1].

Nisi tamen impetrata venia Francisci I Imperatoris remanere non poterant; neque etiam universis erat in Galicia commorandi locus. Quare Pater Aloysius Landes una cum junioribus profectus est Vindobonam, unde in Italiam, Galliam, Helvetiam eos dimitteret, ipse in civitate Austriae principe, pro Societatis rebus gerendis, moram facturus. Eum assecutus ibi est Praepositus Provinciae, Pater Stanislaus Swietochowski, qui anno 1820 Romam ad Congregationem Generalem iter faciens, volebat gratias Imperatori agere, pro ea benevolentia qua Nostri in Austria tractarentur. Vixdum autem ille cum P. Landes gratias Imperatori egit, cum hic:

« Dicentem interfatus, non ignorare se, inquit, quae pro religione Catholica patiantur et quum ipse sit quoque ejusdem religionis Imperator, conditionem nostrorum exulum, tanta perferentium mala, summopere miserari eosque, quamvis non sit nescius, quot quantisque inimicis sint expositi, ut antiquos Jesuitas velle se in Galicia habere, ac pro sustentandis quinquaginta (Patribus) sumptus ex aerario publico suppeditaturum esse. Quod si aliquae Imperii leges cum Instituto Societatis suae consentire non possint, licere illis supplicare sibi, ut ejusmodi leges solvantur » [2].

Jam 27 Augusto 1820 promulgatum edictum est, quo statutum, ut admitterentur in Galiciam Jesuitae ac sustentarentur. Futurum ut Tarnopoli Collegium moderarentur, Convictum Leopoli, atque in procuranda animarum salute, quod fieri posset, auxiliarentur [3].

Dum Imperatoris edictum promulgatur, advenientes continuo e Russia (Odessa, Saratow, Astrakhan, Mazdoc atque e Siberia) Socii in Galicia considunt. Alii quoque, Vindobona reversi, vel postea etiam ex Helvetia et Italia revocati, vel, ut porro scriptum fertur:

[1] * *Ibid.*, p. 20.
[2] * *Ibid.*, p. 23-24.
[3] * *Ibid.*, p. 24-25.

« Data sibi venia reversi, ita numerum Sociorum in hoc regno (Galiciae) auxere, ut ex plusquam trecentis exulibus fere media tantum pars in eo desideraretur, centumque et sex Sacerdotes nostros, decem juvenes Scholasticos, atque triginta sex Coadjutores Temporales haec Provincia nova inter se contineret ».

E Sociis ergo, quos Russia expulerat 358, aderant universi 152 [1]. Eorum Praepositus Provinciae mansit, qui antea in Alba Russia fuerat, Pater Stanislaus Swietochowski. Cui, a Congregatione Generali reduci, Primas quasi vim intulit ut Patribus paroeciarum 46, Sacerdote carentium, curam demandaret. Recusare mandatum, pro ea quae erat Sacerdotum penuria, nulla ratione licuit. Anno 1821-1822 Tirocinium factum in loco Starowies. Paulo post Domus erectae Jaroslard, Tyniec, Sandec. Effloruit mox Provincia Galiciae, eodem quippe ducta spiritu, qui Provinciae fuerat in Alba Russia, unde ipsa duxerat originem. Sociorum enim ferme dimidia pars ad fines Polonico-Austriacos sedem transtulerant [2]. Quamquam certandum Patribus fuit cum doctrinis a Josepho II repetitis, quibus nimirum in Austria multi ac vel ipse Primas Ankwicz imbuti erant, rem tamen suam paulatim evicit Societas, intercedente quippe Francisco I, qui anno 1827 decretum pro Instituto edidit, atque iterum anno 1836 Nostris, ut e principiis Rationis Studiorum docerent, viverentque juxta ipsius Instituti leges, concessit [3].

Dum sic igitur, favente Deo, Galiciae Provincia formatur, dispersa quoque a multis annis Provincia Neapolitana reviviscere paulatim coepit. Tirocinio propriisque Domibus destituti, pauci exiguae Provinciae Socii in Sicilia atque in Italia operam in animabus juvandis semper navabant. Ubi vero primum Ferdinando, anno 1815, restitutum est regnum Neapolitanum, statim Societatem quoque ibidem suscitare conatus, a Patre Fortis, qui Praepositus Provinciae Italiae tunc erat, petivit ut Socii sibi 100 mitterentur. Quae erat admodum audax postulatio. Initio pollicitus est Pater Fortis Socios a se missum iri 20 :

« Quod statim revocare coactus est ob res nostras Romae mutatas; et nedum viginti illos, sed nullum prorsus mittere posse significavit, donec in Urbe, tamquam in vitae suae principio, in tantum

[1] * *Ibid.*, p. 26.

[2] * *Clades Societatis in Russia* etc. *Gal.* I-I. 1.

[3] Vide etiam P. Stanislaus Zalenski S. J., *Hist. S. J. in Polonia* 1555-1905. *Elenchus rerum*, Tom. V, part. II, §§ 55-77.

Societas coalesceret, ut sine disciplinae detrimento diffundi tuto posset ».

Nec felicius cesserunt conditiones, quibus in Sicilia res eadem tunc tractata est [1].

At anno 1821 Ferdinandus iterum, ut Jesuitae mitterentur petens, ea de re adivit Patrem Fortis, qui Praepositus Generalis interea erat factus. Qui jam:

« Cunctandum minime duxit, sed rem statim Patri Josepho Vulliet, Siculae Provinciae Praeposito, demandavit.... Difficultatibus, quae neque parvi momenti neque paucae numero objiciebantur, tandem superatis, hunc in modum res compositae sunt: Praecipuas Sociorum curas in puerorum instructione vertendas esse, hoc enim Regi in primis cordi erat; caeteras populi partes qua possent ratione curarent. Cum perpaucos mitti posse Rex intelligeret, veterem Professorum Domum, quae iis in primordiis scholas etiam et Tirocinium exciperet, ac aliam Exercitiorum concessit. Modo ut commode ali possent, annua duodena ducatorum millia e bonis stabilibus eos esse accepturos promisit; novis deinceps Domibus novis redditibus consultum iri. Regio diplomate (3 Septembris 1821) res tota firmata est ».

Numerabantur Socii ad id tempus haud amplius 17, e Provincia Italiae 11, 6 vero e Provincia Sicula, qui, magno Neapolitanorum cum gaudio, anno 1821, ipsa die S. Francisco Xaverio sacra, scholas inaugurarunt. Initium sane exiguum fuit; attamen insequenti jam anno Tirocinium pararunt, eo quod multi:

« In Socios cooptari desiderarunt. Quare Tirones quatuor missi sunt Roma ex Quirinali Domo, qui caeteris exemplo et vivendi ratione anteirent; atque ineunte anno 1822 prima in hac:

« Provincia Tirocinii fundamenta posita ipso die S. Josepho sacro ». Eodem anno 1822 erecta est a Praeposito Generali Aloysio Fortis Provincia Neapolitana, cujus Praepositus constitutus Pater Josephus Vulliet [2]. Numero mox ac viribus ea Provincia crevit. Anno 1824 restaurare coeperunt Collegium Beneventanum:

« Atque rem tanta celeritate Eminentissimus Archiepiscopus Joannes Baptista a Bussi urgere coepit, ut in fine autumni ejusdem

[1] * *Historia Collegii Neapolitani* etc. *Anno 1815. La Compagnia in Napoli 1822.*

[2] * *Hist. S. J. in Prov. Neap.*

anni socios excipere potuerit et 13 Decembris scholae inchoatae sint » [1].

Anno dein 1826 Neapoli restaurata est Domus nobilium Convictorum, dum antiquum Societatis Collegium anno 1828 Lupiae (Lecce) est refectum. Augmentum Provinciae felix adeo fuit ut ineunte 1832, in 6 Domibus, Socii essent 157.

Quibus rebus omnibus apparet, duce Patre Aloysio Fortis amplum fuisse Societatis augmentum. Etenim die quo ille e vivis cessit, 27 Januario 1829, Provinciae denuo erant 9, duae etiam ad ipsum Praepositum Generalem immediate pertinentes Missiones. Qui ubi mortem obiit, communis omnium ingentis doloris fuit declaratio. Qui defuncto amicissimus fuerat, Antonius Saxoniae Rex, brevi postea ad Vicarium Generalem haec scripsit:

« Cum summo meo dolore jam accepi infaustum nuntium, nostrum Ordinem venerando illo suo Praeposito Generali orbatum esse. Nostrum Ordinem dico; haud enim ignara Vestra Reverentia erit, ab illo mihi concessam gratiam fuisse, ut meritorum ejusdem atque orationum essem particeps. Ac Vestrae Reverentiae gratias ago, quod certiorem me hujusce rei fecerit. Velim persuadeat sibi, me, non obligationis tantum verum etiam amicitiae causa, ingentis istiusmodi calamitatis esse admodum participem. Vita ille functus venerandus vir, quomodo vixit, sancte inquam, ita mortuus est; neque dubito quin S. Pater et Cardinales suas cum nostris lacrymas permiscuerint. At S. Pater secutus illum cito est, amboque simul, quod quidem spero, suae virtutis praemio jam gaudebunt. Simul Ecclesia ac Societas suo sunt orbatae capite, ac mihimetipsi amborum morte damnum illatum est ingens. Utrique vero advigilabit ipse Deus » [2].

Ac spei sane plenus dicere poterat pius ille Saxoniae Rex, etiam Societati advigilaturum Deum. Societate enim tam miris modis restituta, manifesto apparuit eam Dei providi voluntatem esse, ut florendo illa augesceret, militantis Ecclesiae subsidium futura.

« Sublato e vivis R. Patre N. Aloysio Fortis, R. Pater Vincentius Pavani, Provincialis Italiae, ex ejus relicta scheda renuntia-

[1] * *Ibid. Hist. Soc. in utriusque Siciliae Regno, ad annum 24.*
[2] Boero, *Menologio della Comp. di Gesù*, I, p. 512-513.

tus Vicarius Generalis, de Patrum Assistentium sententia Congregationem Generalem indixit in 29 Junii ejusdem anni » [1].

Allata tamen mora aliqua, coetus postridie ejus diei initus. Tum, 9 Julio, ut scriptum invenimus:

« Qua die alma haec Urbs prodigiosum Patrocinium B. Mariae Virginis gratulabunda recolit, omnibus religiose servatis, electus est in Praepositum Generalem R. Pater Joannes Roothaan » [2].

Quam electionem liquido constat ab ipso Deo directam fuisse, quippe qua Societatis Praepositus Generalis ille prodierit, qui « Pater restitutae Societatis Jesu », vel, ut alii dixerunt, « secundus Societatis fundator », vel « secundus in universo orbe institutor » jure fuerit nominatus. In Congregatione e junioribus fuit, annos quippe natus haud amplius 44.

« Ac videor mihi, inquit Pater Minini, etiam nunc videre eum sedili insidentem, brachiis manibusque ad genua deflexis, demisso vultu, dum obsequii recipit tributum, quod tamquam communi Patri nostro ei tunc primum dèferebamus: victimam diceres, quae Deo pro suis filiis se offerret, illa quoque ipsa re Redemptorem nostrum imitando, qui pro hominum salute victimam se Patri obtulerat: *Dedit se ipsum redemptionem pro omnibus.* Intellexit quippe ille, cui suam vitam seque ipsum totum in posterum impendere deberet » [3].

Julio 15, Praeposito Generali recens electo additi sunt a Congregatione Assistentes sui quattuor; qua de re ita scriptum invenimus:

« Electi sunt: Assistens Italiae, Pater Vincentius Pavani; Assistens Germaniae, Pater Aloysius Landes; Assistens Galliae, Pater Joannes Rozaven. Quoniam vero difficultates Provinciae Hispanicae, unde nec Provinciales nec Electores venerunt, non ferebant hominem illinc abstrahi, qui in Assistentem eligeretur, statuit Congregatio non Assistentem Hispaniae jam eligendum esse, sed Substitutum Assistentis, qui tamen toto munere Assistentis fungeretur, quoadusque R. Pater Noster judicaverit esse in Provincia qui commode in Assistentem eligeretur. Quem Substitutum voluit Congregatio eligi posse ex quavis Provincia et ejus electionem permittendam Patri Nostro cum suffragio Assistentium et Provincialium, eo

[1] *Congr. XXI.* decr. 1, in *Instituto S. J.*, Florentiae 1893, II, 477 s.

[2] *Ibid.* decr. 2.

[3] *Esortazione Domestica recitata nella Casa de' Professi in Roma il giorno 28 di Giugno dell'anno 1853*, Roma 1853, p. 17-18.

prorsus modo, quo extra Congregationem Generalem creatur Assistens in locum Assistentis demortui. Eligit tum R. Pater Noster Joannes Roothaan, probantibus Assistentibus et Provincialibus, in Substitutum Assistentis Hispaniae, Patrem Thomam Glover »[1].

Praeposito Generali eximiae erant animi dotes, religiosa virtus egregia, multumque expeditus agendarum rerum usus. Ea quidem omnia abunde sunt comperta, cum annis 24 Praepositi Generalis munere summa cum laude functus sit. Erant e Neerlandia Septentrionali primus, qui universae praeesset Societati. Amstelodami, 23 Novembri 1785, natus parentibus piis simul probis ac strenuis, Societatis notitiam atque aestimationem adeptus primum est per virum egregium illum Patrem Adamum Beckers, qui animo ejus puro ac docili prima commisit semina intimae istius erga SS. Cor Jesu devotionis, qua se ipsum pariter atque commissam sibi Societatem Pater Roothaan ad sanctam vitae rationem perduxit. Annis amplius quattuor summa cum laude in Gymnasio Amstelodamensi scholarum sex curriculum decurrit, praemium extraordinarium adeptus ad ternas vices. Qua vero ratione annis 1800-1804 in ejusdem civitatis Athenaeo Illustri, data litterarum studiis opera, doctrina simul ac virtute eminuerit, testis est ille, etiam extra Neerlandiae fines laudem consecutus, praeceptor ejus, David Jacobus van Lennep. Ad Patres enim, qui in Alba Russia erant, has ille literas dedit:

« J. Ph. Roothaan, inquit, quattuor annis hujus illustris Athenaei auditor fuit, quo tempore cum mihi, tum aliis praeceptoribus suis se ita probavit, ut dilectissimum discipulum non nisi inviti a nobis dimittamus.... Noram equidem, noram profecto, quanta essent Vestrae Societatis ab antiquo tempore in omnem literariam rempublicam, in bonas artes atque disciplinas egregia et nunquam obliteranda merita. Noram esse illud vestrae rationis atque institutionis decus, ut vel maximos nominis vestri obtrectatores subinde in laudem suam verterit, tum et veterem illam gloriam vos servare tuerique intactam, novis etiam meritis augere, constans apud nos ferebat fama. Jamvero is est J. Ph. Roothaan, ut si ad praeclaras illas animi ingeniique dotes, quibus nunc jam eminet, talis, qualem vestram esse audivimus, institutio accedat, nihil non egregium sperari exspectarique possit ».

[1] *Congr. XXI.* decr. IV-VI in *Instit. Ibidem.*

Denique, posteaquam, quanta esset discipuli sui in classicis, quae dicuntur, philosophicisque disciplinis doctrina, semetipso satis contentus, exposuit:

« Animi vero, inquit, dotes habet eas, ut pleniorem officii, probitatis, humanitatis, mansuetudinis adolescentem, non modo nullum unquam viderim, sed ne cogitare quidem possim » [1].

Quibus litteris munitus, Joannes Philippus Roothaan in Albam Russiam profectus est. Satis liquet, quam strenuae voluntatis signa, hac obeunda vocatione, ille dederit, quippe qui carissimos parentes, patriam, futuram in mundo conditionem honestissimam relinqueret, ut in regione longinqua, aliena atque inculta, invitanti Deo obsecundaretur. Ac reapse erat in eo firmitas animi egregia. Qua de re testantem audire lubet, qui per annos multos assiduus ei vitae comes fuit, Patrem Josephum Manfredini:

« Videri alicui poterit, inquit ille, indoles ejus fuisse ad pacem facilius composita blandaque, quasi natura sortitus esset ingenium bonum et temperatum. At e contrario res habet: erat ejus indoles irritabilis, strenua simul atque ardens, magisque fortasse ad ea quae subitanea et violenta, quam quae moderata sunt et mansueta propensus erat. Animo erat generoso ac quam maxime dici potest dulci blandoque, excelsa quoque mente, quae multarum rerum esset capax suaque ipsa vi ad magna negotia se ferri sentiret » [2].

In Societate porro institutionem egregiam nactus, et in universitate Polocensi Sacrae Theologiae Doctor creatus [3], eximia docendi facultate se pollere ostendit; postea vero, Brigae in Helvetia, adeo feliciter ei cessit concionandi munus, ut quas instituerat missiones, multis vel annis post, non monticolarum solum verum Nostrorum etiam memoria recolerentur. Qua de re haec invenimus:

« Licet Germanici sermonis non sat gnarus, primam sacram expeditionem obivit in Templo Collegii Brigensis tanta efficacia, ut populus permotus et compunctus palam in Templo alta voce vitio luxuriae valedixerit. Quod et in majori Templo Sedunensi praesti-

[1] Epistola haec saepius typis impressa est Latine, Neerlandice, Gallice, vid. J. C. Alberdingk-Thijm, S. J., *Levensschets van Pater J. P. Roothaan. Bijlagen*, p. 227 ss. P. Albers S. J., *De Hoogeerw. Pater Joan. Phil. Roothaan etc. Nijmegen*, I, 381.

[2] * Manfredini,, *Storia della vita del Padre G. Ph. Roothaan*. Lib. I, cap. V.

[3] Haec de Diplomate gradus Doctoris debeo Patri F. M. Gaillard, qui rem in Archivio Russiaco inventam, mihi magna caritate communicavit.

tit magno fructu et satisfactione Episcopi, capituli necnon regiminis Vallesiani et magistratus Urbis » [1].

Anno 1823 Rector nominatus Collegii Taurinensis, quod dicebatur, Provinciarum omnium admirationem ita movit, ut Pater Franciscus Pellico, qui Taurini primum a sacris ad aulam, postea Patris Roothaan Assistens Romae erat, haec de eo scripserit:

« Equidem sane, haud aversus a Jesuitis, tantisper tamen iis diffidebam. In Patre Roothaan vero videbar mihi videre viri sancti simul ac docti auctoritatem et prudentiam; coram quo parvulum me reperiebam ac timidum. Eum venerabantur simul ac timebant magistri et scholares illarum rhetoricae scholarum et inferiorum, quas cum visitaret delectabantur omnes, videndo quam apte interrogaret, resque scholares omnes calleret. Affabilem se tamen semper praestans bonaque voluntate contentum, omnes alta sui veneratione affectos reliquit, ac persuasum praeterea habentes cum Rectore rem sibi esse, quem quidem non deciperent sed qui neque cuiquam injuriam inferret » [2].

Tanti viri dotes, haud minus quam Pellico, agnovit Pater Vincentius Pavani, Praepositus Provinciae Italiae, eumque, Vicarius Generalis nominatus ipse, constituit ejusdem Provinciae Vice-Praepositum. Id vero, vir animo demisso, vix tulit; ut potuerit aliquis ejus vitae comes haec scribere:

« Tum prima vice, inquit, vidi eum facie obnubilata et taciturnitate prae se ferre majorem tristitiam, et tum demum cognovi causam hanc insolitae tristitiae, cum cognovi illi obtigisse et munus Vice-Provincialis et jus assistendi Congregationi Generali, nam praeter hunc casum in recreationibus et colloquiis omnes sua modesta hilaritate recreabat » [3].

Praepositus Generalis dein factus:

« In Societate, inquit, conditio, gradus, munera sunt simillima cucullo Patrum Capuccinorum, qui angustior fit qua propius ad fastigium accedit. Sic quo quis altius evehitur eo negotia ac munera in majores angustias eum conjiciunt: adeo quidem ut Praepositus Generalis prae angustiis movere se vix possit, Novitii e contra et Scholastici incedant liberrime » [4].

[1] * *Roothaan* 1 - I, 4.
[2] * *Roothaan*, 1 - I, 1.
[3] * *Roothaan*, 1 - I, 23.
[4] * *Roothaan*, 1 - I, 24.

Unde sequi dicebat, ut solatium ab unoquoque parandum esset Superioribus, suosque subditos ad abnegationem, caritatem, obedientiam hortari solebat, ad Societatem scil. accommodatis his S. Scripturae verbis: « Filii sapientiae ecclesia justorum et natio eorum obedientia et dilectio » [1]. Quibus rebus haec porro adjunxit:

« Enitendum, inquit, omnibus ut fungendis muneribus nostris quasi musicum concentum numerose conspirantem efficiamus, qui Deo hominibusque acceptus esse possit. Videte quippe musicos: suae quisque personae commoda suamque propensionem oblitus ac voluntatem, organi tantum sui memor, suas exsequitur partes. Quos imitemur oportet, officio quique suo incumbentes » [2].

Patris Roothaan, Praepositi Generalis, animum tempora, quamquam erant parum tranquilla, minime tamen fregerunt unquam. Alta filiorum mente manebat repostum, quod esset ejus, rebus omnibus afflictis, animi magnitudinis exemplum, quibusque verbis, ignem quasi spirantibus, suos ad virtutis constantiam cohortaretur. Occasionem videlicet ex eo sermone nactus, quo Pius VII in bulla *Sollicitudo* filios Societatis *remiges expertos et validos* esse dixit, his eos verbis alloqui solebat:

« Agite, nautae, incumbite remis; confidite; nobiscum Deus. Etiamsi occiderit me, in hoc ego sperabo » [3].

Solitus propterea erat Pater Le Blanc hoc eum vocare nomine: « Intrepidum nostrum ducem ac strenuum ».

Annis 24 quibus Societatem moderatus est, quaecumque suppeditabant mentis corporisque vires, plane ei devovit. Qui aliquando Collegii Romani Rectori dixit, se ter de die animo sibi fingere, quasi, cubiculo egressus, universam circumiret Societatem, ejusdem Domibus Collegiisque omnibus benedicens ac si coram adessent. Quem in aliis quoque Societatis amorem, in dies magis magisque accendere conabatur praeclara illa sua epistola, in qua genuinum filiorum amorem his verbis complectitur:

« Quare, inquit, hoc prae ceteris ratum fixumque sit nobis, si vere Societatem amemus, paratos nos esse debere ad generosum nostri ipsorum sacrificium, voluntatis, inquam, ac judicii nostri, et inclinationum nostrarum, et temporis omnis nostri, eorum denique

[1] *Eccli.* III,1.
[2] * *Roothaan.* 1 - I, 24.
[3] * *Ibid.*

omnium quae natura nobis pretiosiora fecit et cariora, cumque hujusmodi sacrificii faciendi sese offert occasio, quae quidem in nullo non officio frequens adesse solet, tum vero afferri nobis existimemus, in quo nostrum erga Societatem amorem verum ac sincerum demonstremus, ne alioqui vana sit nostra amoris protestatio, ne diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » [1].

Eodem Societatis amore plenae quoque sunt aliae illae praeclarae sane epistolae encyclicae, quae tum Societati ad quam dabantur, tum Praeposito qui eas dabat honori ducantur. Ubicumque diris vexata procellis Societas, navis quasi ponti insistens rector filios assidue monebat, ut bono essent animo neve subirent damna tempestatis. Manibus nimium volvi vix possunt quas ille scripsit epistolas *De tribulationibus et persecutionibus* (1831) [2], *De Praesenti calamitate* (1845) [3], *De temporum nostrorum acerbitate et studio perfectionis* (1847) [4], *De spe ex praeteritis calamitatibus concepta* (1851) [5]. Adventante tertii Societatis expleti saeculi festa die, describit ille ipsius tertii saeculi imaginem consolationis plenam, quippe cum Deus, cujus providam curam laudibus efferat, Societati benevolum se nusquam magis exhibuerit quam per eam, quae fuit in Europae quasi angulo mirabilis ejus conservatio, tum vero restitutio ejus, primum quidem tacita in Alba Russia et in ditione Parmensi, mox publica in imperio Russiaco, in utriusque Siciliae regno, in orbe tandem universo. Rerum quoque historicarum studiosis utilissima est epistola *In annum saecularem* (1839) [6], tum *Quae praestanda commendantur in hoc anno saeculari* (1839) [7]. Augescentis quoque Societatis cura sollicitum tenet Praepositum Generalem, dum scribit *De Societatis progressu et periculis* (1845) [8], qua nimirum epistola cavendum monet ab iis periculis, quae cum celeri ejusmodi progressu conjungi fere solent. Qui fuerit Jesu et Mariae Cordium insignis cultor, Pater Roothaan, dedit litteras illas pulcherrimas binas ex animo quasi sponte scaturientes, *De cultu Sacra-*

[1] Roothaan, *Ad Patres et Fratres S. J., Epistolae General.* ed. alt. II, p. 307 et 328.
[2] *Ibid.*, p. 332 ss.
[3] *Ibid.*, p. 443 ss.
[4] *Ibid.*, Tom. III, p. 457 ss.
[5] *Ibid.*, p. 28.
[6] *Ibid.*, Tom. III, p. 385.
[7] *Ibid.*, p. 415 ss.
[8] *Ibid.*, p. 421 ss.

*tissimi Cordis Jesu* (1848) [1] et *De cultu purissimi Cordis Mariae* (1848) [2]. Hic, quasi effusis piis animi cogitatis, haud solum extrinsecas, quae dicuntur, rationes ob quas colendum sit Cor Jesu exponit, verum id etiam ostendit, consolationis plenum:

« Quod in praesenti, inquit, calamitate solatium et auxilium nobis praebuit cultus Sanctissimi Cordis Jesu exercendus et promovendus. Etenim historia cultus illius et Societatis vicissitudines, praesertim si attendimus, quae ex Provincia Albo-Russiaca referuntur, suadent illum nobis peculiari modo proprium esse debere » [3].

Diligenter simul atque ardenter scripta epistola *De Missionum exterarum desiderio excitando et fovendo* (1833) [4], suorum omnium animos ita amore Missionum incendit ut Societas jure eum, una vel altera Missione excepta, primum ac praecipuum suarum Missionum fundatorem esse existimet. Ecclesiastico Praelato, miranti ab eo viros egregiis dotibus praeditos ad exteras Missiones mitti: « Ego vero, inquit, haud ita ratus, optimum quemque a me dandum esse censeo, quippe cum propagatio fidei sit omnium operum princeps ». Ad Rectores Collegiorum et Provinciarum Praepositos scribens, « Date, inquit, et dabitur vobis ». Porro ad excolenda S. Ignatii Exercitia Spiritualia, quantam quamque utilem operam ille contulerit aestimari vix potest. Encyclica enim data epistola *De Spiritualium Exercitiorum S. P. N. studio et usu* (1834) [5], intimam eorumdem cognitionem promovit, editiones paravit novas, curavit ut, conditis Exercitiorum Domibus, usus eorum augeretur, commentatores denique idoneos jussit institui. Neque ullum fuit animarum saluti profuturum opus, cujus promovendi se strenue studiosum non ostenderit.

At gaudio omnium maximo afficiebatur Societatis prospera solidaque propagatione. Provincias instituit *Taurinensem*, *Belgicam*, *Marylandiae* in America, *Lugdunensem*, *Venetam*, *Austriae*, *Tolosanam*, *Neerlandicam*, *Germaniae;* Vice-provincias quoque *Hiberniae* et *Missourianam*. Jam omisso Provinciarum et Vice-provinciarum discrimine, sed temporis tantum continua serie observata,

[1] *Ibid.*, Tom. III, p. 1 ss.
[2] *Ibid.*, p. 24 ss.
[3] Vide supra, p. 14.
[4] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 347 ss.
[5] *Ibid.*, p. 365 ss.

conandum ut praecipuas illas Patris Roothaan institutiones summis coloribus, ut fieri poterit, depingamus.

Tempore igitur prima est Vice-Provincia Hiberniae. Neque ante suppressam Societatem Hiberniae unquam Provincia fuit. Etenim scriptum ita invenimus:

« Missio Hibernica originem ducit ab anno 1542, quo in Hiberniam pervenerunt Patres Salmeron et Paschasius Broët a Sancto Patre Ignatio missi.... Optimi parentis exemplum secuti sunt Generales Laynez, Borgia, Aquaviva, missis in Hiberniam viris vere apostolicis, qui fideles gravissimis persecutionibus tentatos consolarentur et corroborarent » [1].

Concessit Pater Caraffa, ut Tirocinium erigeretur; irruente vero ex Anglia exercitu Cromwell, res Societatis fere omnes in Hibernia perierunt.

« Patres tamen nostri nunquam dereliquerunt hanc parvulam vineam praedecessorum sanguine consecratam ». Erecta saeculo septimo decimo Residentia Dublinensi, « alii Patres Hiberni ex diversis Europae Provinciis identidem succedebant ». In Provinciis enim Hispaniae et Galliae « juvenes Hiberni recepti et gratis omnino educati, cum ad tantum certamen bene instructi et apti videbantur, in patriam remissi sunt ». Qui fuit, suppressa Societate, ultimus missionarius, P. Thomas Betagh, mortuus est anno 1811 [2].

Multum postea Patri Callaghan debuit Missio Hibernica; qui, ut scriptum refertur:

« Tantopere sperabat proximam dilectissimae suae matris instaurationem, ut viginti et eo amplius elegerit juvenes, qui partim Stonyhurstii in Anglia, partim Panormi absolutis studiis, Societati renascenti jungerentur. Ac re quidem vera postquam anno 1811 defunctus fuisset ultimus qui supererat ex antiquis Patribus Hibernis, missi sunt ad instaurandam Missionem tres ex illis qui studuerunt in Sicilia, et Residentiae Dublinensis fundamenta posuere. Anno deinde 1814 quinque alii ex eadem Provincia in patriam regressi sunt; quidam etiam ex Anglia accersiti ».

Eodem etiam anno, in loco Clongowes dicto, Collegio « optimis

[1] * *De erectione Hiberniae in Vice-prov. Hib.*, 1, III; KENNEY, *Brevis notitia* etc. Improprie quidem Pater Kenney dicit Missionem Hibernicam originem ducere ex Missione anni 1542, cum expeditio duorum Patrum cum Missione saeculi XVII parum commune habeat.

[2] * *Ibid.*, KENNEY, *Brevis notitia*, etc.

auspiciis totaque plaudente Hibernia initium datum est; cujus quidem Domus ea fuerunt incrementa, ut post tres quatuor circiter annos quinquaginta et ducentos habuerit convictores » [1]. « Interea dum res satis prospere geri viderentur, de erigendo Novitiatu cogitatum est, et anno 1816 partim emptione partim donatione praedium... comparatum est in comitatu regio (King's County) prope Rahan in loco Tullabeg... ibique commoda Domus a fundamentis erigi coepta est ».

Anno 1817 a Praeposito Generali in Hiberniam missus, visitatoris potestate instructus, Pater Fidelis de Grivel, qui felici rerum nostrarum progressu summopere gavisus est. Insequenti deinde anno, cum perfecta esset Domus Probationis, primi Tirones missi eo sunt; Tirocinio adjectus quoque modicus Convictus.

Quamvis enixe rogantibus Episcopis Hiberniae, ut Societatis homines auxilio submitterentur, immo volentibus nonnullis sua etiam Collegia Nostris tradere, nihil tamen hi praestare potuerunt « praeter breves aliquas excursiones ad tradenda Sacerdotibus et clericis Spiritualia Sancti Patris nostri Exercitia ». Ceterum numero aegre creverunt neque suppetebat res familiaris. Atque animum sane movent, quae de Hibernis suppressae Societatis Patribus feruntur scripta:

« Pauperrima semper erat haec Missio. Cum Societas suppressa fuerit, vix erat summa capitalis, unde hauriri posset parva pensio annua viginti librarum Anglicarum pro singulis 17 Patribus, qui in Hibernia Societati superstites fuere. Quidquid vero acceperunt sive a suis familiis sive a fidelibus, vel quidquid ab parsimonia et paupertate, etiam post suppressam Societatem, religiosissime servata, lucrati sunt, id totum in unam summam principalem conjecerunt, Societatem iterum surrecturam fideles Abrahae imitatores in spem contra spem credentes. Ita decursu temporis haec summa crescebat, ut ineunte hoc saeculo (decimonono) triginta millia libellarum Anglicarum excederet » [2].

« Cum jam se morti proximum sentiret, illas omnes facultates per authentica documenta in manus Anglorum Patrum tradidit hoc pacto, ut si quando Societas in Hibernia restitueretur, redderetur Hibernis » [3].

[1] * *Ibid., Ex docum. P. B. Esmond.*
[2] * *Brevis notitia Patris Kenney.*
[3] * *Ex docum. P. B. Esmond.*

Quarum facultatum administratio per annos aliquot commissa est optimo ac venerando viro, Patri Marmaduko Stone, qui fuit primus a restituta Societate Praepositus Angliae. Is haud sine impigro labore servatas opes e condicto reddidit annis 1814 et 1816; quarum longe major pars in praediis et domibus emendis vel erigendis suppellectilique instruendis expensa est.

« Haud ad Angliae Provinciam pertinebat Missio Hibernica, sed inde a saeculo XVII pendebat a Provincia Romana; quamquam epistolarum commercium omne cum ipso Generali Praeposito Superior Missionis habebat. Jam anno 1820, cum Pater Aylmer, Superior Missionis, in Urbe esset, proposuit fuse rationes, propter quas Hiberniae vel Provincia vel saltem vice-Provincia constitueretur. Nihil tamen, neque a Congregatione Generali, impetratum. Novem deinceps, qui secuti sunt, annis Missionis augmentum tantum fuit, ut, vita functo Patre Fortis, anno 1829, denuo agitata quaestio sit. Pater igitur Vincentius Pavani, Societatis Vicarius Generalis, jussit Patrem Kenney specialem habere consultationem de praesenti statu Missionis Societatis in Hibernia, et sententias in acta relatas secum Romam afferre, ut sic aliquid melius ad normam Instituti nostri de ea Missione definitive statueretur ».

Diebus 6 et 7 Maji 1829 habita in Cluenensi Collegio consultatio, cujus acta Pater Kenney Romam secum detulit. Quibus scriptis rogatur praeterea a Missione « R. P. Superior, ut hanc rem et caetera ad Missionem Hiberniae spectantia fusius, quatenus opus fuerit, explicet et urgeat; et postquam Sociorum Hibernorum obsequium et obedientiam Admodum Reverendo Patri Generali futuro obtulisset (obtulerit), eorum omnium nomine eum per viscera misericordiae Dei obsecret, ut renascentem hanc Missionem foveat, et malis Religioni in hac insula irruentibus, meliori quo poterit modo, occurrat ad majorem Dei gloriam » [1].

Censuerunt Romae, exspectandam esse Praepositi Generalis electionem. Interea tamen ad Congregationem Generalem admissus est Pater Kenney, qui cum Patre Roothaan postmodum res suas ita composuit, ut autumno 1829 Hiberniae Vice-Provincia erecta sit [2].

[1] * *De erectione Missionis Hib.* etc. *Consultatio specialis, Hib.*, I, 3.

[2] * Dicitur quidem in nonnullis catalogis et relationibus tum mss. tum typo impressis, Vice-Provinciam Hiberniae constitutam fuisse Majo 1830, primumque ejus Vice-Provincialem fuisse Patrem Rob. St. Leger; at utrumque erratum. In epistolis enim mensis Januarii 1830 (*Ibid.*, 2. - I, 153) agitur de Vice-Provincia jam

Erant novae Vice-Provinciae Socii 65, Domus 5; primus autem Praepositus Pater Petrus Kenney.

Expedito vero primum, quod jam agebatur, negotio Hiberniae, ad Taurinum Pater Roothaan oculos animumque convertit. Cujus rei ratio prima quidem ea fuit, quod cordi illi Societas in Pedemontana regione erat, quippe ubi Rectorem egisset per annos sex; praecipua vero, cujusque solius mentio in decreto fiebat, e gubernii rationibus ducta: Italiae enim Provincia, quae anno 1831 Socios recensebat 731, in Domibus 26, sin minus aequo numerosior, at locorum distantiis longius interjecta certe erat. Quae est ipsa in erectionis decreto nominata ratio. Haec quippe sunt Praepositi Generalis verba:

« Cum propter nimiam suam extensionem, inquit, his praesertim calamitosis temporibus difficilior in dies evadat gubernatio Provinciae Italiae, utpote quae praeter Domos et Collegia status Pontificii, eas quoque complectitur Domos et Collegia, quae in ditionibus Serenissimi Regis Sardiniae, necnon in ducatu Mutinensi existunt; re diu multumque coram Deo considerata, auditis etiam in consultatione Reverendis Patribus Assistentibus, praesenti hoc decreto statuimus ac declaramus, Domos et Collegia, quae in ditionibus Serenissimi Regis Sardiniae existunt, a Provincia hucusque Italica nuncupata, et cui pristinum *Romanae Provinciae* nomen restituimus, separatas esse, easque in unam conjunctas Provinciam, cui *Subalpinae* nomen imponimus; ipsum quoque novum huic Provinciae praeficiendum Praepositum, cum suis successoribus, juribus et facultatibus Provincialium juxta Societatis Constitutiones instructum declaramus » [1].

Die 21 Aprili 1831 huic subscriptum decreto, quo Italiae Provinciae nomen in nomen Provinciae Romanae mutatum, illiusque Sociorum numerus valde imminutus est. Erant ineunte 1832 ejus Socii 472, Domus 15, Missiones 2; Subalpina vero recens creata Provincia ineunte 1833 in Domibus 11 Socios 237 numerabat. Cujus fuit ad 4 usque Junium 1831 Vice-Praepositus Pater Joannes Grassi;

creata et de Patre Petro Kenney primo ejus moderatore. Immo ex epistolis Patris Roothaan d. 30 Mart. 1830 (*Reg. Hib.*, 1, p. 1) et ex aliis documentis colligitur jam ante mensem Novembrem 1829 Missionem Hibernicam ad gradum Vice-Provinciae fuisse evectam, scil. ante discessum Patris Kenney ex Urbe. Discessit autem mense Octobri 1829.

[1] * *Regist. P. Roothaan*, ad 21 April. 1831.

hic enim ne Praepositus Provinciae nominaretur obnixus est. Qua de re 4 Junio nominatus Pater Julius Caesar Polidori.

Fuerunt vero qui nomine *Subalpinae* Provinciae eo vel maxime gravarentur, quod *Reipublicae Cisalpinae* renovaret memoriam. Pater Roothaan vero cum Assistentibus, haud ita rati, monuerunt eam esse incorruptam Latini sermonis integritatem. Propositum tamen cum illi semper urgerent, Pater Roothaan, datis ad Praepositum Provinciae, recens nominatum, Patrem Polidori, litteris concessit ut aliud eligeretur nomen [1]:

« Pater Grassi, inquit, multis me molestiis affecit de nomine Provinciae *Subalpinae* (quod nimirum istius, cujus tam malum augurium, Reipublicae Cisalpinae memoriam renovet); at nec Patres Assistentes neque ego quicquam ejusmodi sententia movemur, cum *Subalpinae* denominatio proprietatem Latini sermonis sequatur; Italice vero vocari poterit Provincia Pedemontii. Quod si Vestra etiam Reverentia in ea sententia esset, quam Pater Grassi sequitur, vocari posset Taurinensis, quo modo nunc dicuntur *Romana*, *Neapolitana*, et antiquitus *Veneta*, *Mediolanensis*. Parum refert cujusmodi nomen sit, dummodo, quod caput est, illa nostra parva soror, augescens virtute, prospere agat: *soror nostra es; crescas in mille millia* » [2].

Nec videtur Pater Polidori magis quam Pater Grassi Subalpinae nomini favisse. Ubi enim primum concessa venia est, in posterum *Taurinensis* est dicta Provincia. Quas autem illi Pater Roothaan, iisdem litteris quibus venia dabatur « mille, mille, mille benedictiones Domini Divaeque Matris » apprecatus est, reapse caelitus datas fuisse, vel ex eo augurari licet, quod uno anno (1833-1834) Sociorum numerus a 237 ad 275 fuerit evectus.

Quo tempore, numero multo pauciores erant in Belgio Socii, quippe quibus ante perturbationem anni 1830 libertas haud elucesceret. Impigre tamen, ut tempus sinebat, laborantes Provinciae Belgicae institutionem paulatim pararunt. Jam diximus, qua ratione, annis 1817 et 1818, nonnulli Patres in alias regiones profecti, Scholastici vero ac Novitii in Helvetiam demum missi essent. Attamen, ut scriptum reperimus, « Duo relicti erant in Belgio Sacerdotes cum uno Adjutore, sed Deo ipsorum laboribus incremen-

[1] * *Regist., ibid.*, ad 19 Maggio et 4 Giugno 1831.
[2] * *Regist., ibidem.*

tum dante, instar plurium fuerunt. Id eis imprimis commendasse Divina Providentia visa est, ut sociis Belgis qui in Helvetia et alibi degebant sustentandis providerent, novos candidatos si qui a Deo ad nostrum Ordinem acciti viderentur Societati adscriberent, in sacris Exercitiis tradendis sicuti perutiliter coeperant, assidui esse non desinerent, ac tandem seduli conservarent sedem, ubi sedatis tempestatibus, Socii ad majus Dei obsequium redintegrarent labores.... Tredecim hisce annis quibus Societas Novitiatu caruit in Belgio, quinquaginta et amplius missi sunt candidati qui deinde emisere vota. Numerus per se quidem non spernendus, sed major adhuc apparebit, si quis perpenderit quot et quantas his juvenibus ad divinam sequendam voluntatem opponerent difficultates: tum parentum et amicorum reluctationes, tum ipsiusmet gubernii minae et lex, quae eos propter voluntarium hoc exilium declarabat perpetuo inhabiles ad quodcumque in regno munus, tum etiam optimi plerique Sacerdotes qui metuebant ne hic lectissimus juvenum manipulus pro Belgio in omne tempus periret. Hinc etiam liquet quantum benefactores Belgae conferre debuerint pecuniae ad suppeditandas per tot annos expensas in sustentationem tot juvenum, sive Novitiatus sive studiorum aut Tertiae Probationis tempore » [1].

Pater Aloysius Fortis, anno 1821, Socios Belgas adjunxit ad Helvetiae Vice-Provinciam, quae aliquot post annis, nomine Germaniae Superioris, Provincia facta est. Patres interea in Belgio praesertim S. Patris Ignatii Exercitiis tradendis operam dabant. Anno autem 1824, « cum, ut scriptum legimus, folia publica classicum cecinissent adversus Nostros, qui hoc anno tradendis clero Exercitiis praecipue in dioecesi Tornacensi insudaverant, gubernium in has ut vocabat novitates inquiri jussit et paucis post diebus Rex litteras dedit ad Episcopos et administratores dioeceseon totius regni, eos rogans ne hujusmodi Exercitia permitterent ».

Neque obniti violentiae potuerunt; « Nec tamen Nostri minore diligentia ac sollicitudine, ubicumque licuit, vineam Domini excoluerunt ». Et quamquam insequenti anno 1825 severiora etiam mandata fuerunt edita, « Tamen hoc genus laboris nostri non quidem sine periculo continuarunt. Leodii Convictus, a Domino de Stas jam ab aliquo tempore incoeptus, anno 1824 Societatis curae erat commissus, in quo duo Patres et tres Magistri educationi discipulorum

[1] * *Litterae annuae Prov. Belg.*, p. 32-33.

incumbebant; anno 1825 una cum Seminario Culemburgensi, in quo ducenti numerabantur convictores, edicto regio sublatus est. Anno subsequenti Residentia Gandavensis dicta est Domus Professa »[1].

At mutatis, anno 1830, in Belgio rebus politicis, majore cum fructu Nostri laborarunt. Mox orta sunt Collegia Alosti Namurcique, Tirocinium Nivigellae. Erant praeterea in Hollandica Missione Domus Societatis complures: Neomagi, Culemburgi, Rotterodami, Hagae Comitis, Amstelodami duae. Neque ad Provinciam constituendam plures sane desiderari poterant; ea igitur cum ipsius quoque Patris Roothaan sententia esset, haud rogatus ille a quoquam, rem decrevit, quae Patri Petro van Lil minime opinanti accidit. Is erat tunc nostrorum in Belgio Superior, qui anno 1832 a Provincia Germaniae Superioris ad Congregationem Procuratorum delegatus fuerat. Erigendae autem Provinciae hae recensentur in decreto rationes: prima quidem, « Rationes, quae bon. mem. Patrem Aloysium Fortis movissent, ut eas Societatis nostrae portiones, quae per Helvetiam, Belgium et varias Germaniae ditiones essent dispersae, in unum corpus postea Provinciam Germaniae Superioris dictam conjungeret, jam non existere »; tum vero in dies difficiliorem reddi gubernationem, quae ad Domos et Missiones sese extenderet adeo longo terrarum tractu ab invicem dissitas »[2]. Die 3 Decembri, S. Francisco Xaverio sacra, subscriptum erectionis decreto Praepositusque Provinciae nominatus est Pater van Lil. Pertinebant autem ad eam Provinciam Belgium, Hollandia, unaque Dusseldorpii Domus; quae tamen anno 1842 esse desiit. Sociorum autem ad hanc novam Provinciam pertinentium numerus ad tres supra centum ascendebat, inter quos Sacerdotes sex et quinquaginta, Scholastici quadraginta, Coadjutores septem. Exeunte dein 1833, jam erant in Domibus 12, Socii 126.

Mox ad eas quoque Missiones, quae in Americae Statibus Foederatis erant, animum ac laborem Pater Roothaan convertit. Notum est, Societatem in iis regionibus ab anno 1804 Societati in Europa aggregatam, dein anno 1813 Pontificis auctoritate fuisse agnitam, majore etiam libertate usam inde a communi atque universa anni 1814 restitutione. Initio vix non omnes Baltimoren-

[1] * *Litterae annuae Prov. Belg.*, p. 38-39 s.
[2] * *Reg. Belg.*, I, 1.

sis dioecesis Sacerdotes e Nostri erant; postea vero saeculares etiam in illa vinea Domini operarii numero aucti, crescente tamen etiam Sociorum numero, ut anno 1818 jam 86 essent. Quibus labor praeclare successit, praecipue in Collegio Georgiopolitano, in Missione Missouriana, et anno 1831, quo tempore cholera morbus per Americam grassabatur. Insequenti anno, Missouriana regio a Marylandia separata jam est. Tum, habito, 23 Augusto 1832, a Superiore cum Consultoribus et Patre Kenney, qui Visitator erat, consilio, haec a Praeposito Generali petenda esse constituerunt:

« Primum, quod, uti innuerat Admodum R. P. Generalis mentem esse, imprimendi huic Societatis portioni formam definitivam, sic Provinciam potius ut hic erigat, quam Vice-Provinciam, sit obsecrandus. Secundo ut hujus Provinciae limites et nomen et sigillum determinare velit. Tertio demisse orandam Paternitatem suam, huic ut Missioni de novo adjungat Missionem Missouriensem, quae recens ab illa sejuncta est, atque ita novam sinat Provinciam, non secus ac pristina Missio, universos hos Status Foederatos complecti. Quod si fiat, Provinciae nomen esse poterit ab *Statibus Foederatis Americae Septentrionalis;* vel ab *America Foederata Septentrionali;* et sigillum habebit insignia Societatis cum circumposita inscriptione Provincialis »[1].

Cum vero Patri Kenney cum omni Consultorum sententia non plane conveniret idque non modo in America significasset, verum etiam scripsisset ad Praepositum Generalem, « tale propositum nunc non decere, nec nunc majorem Dei gloriam promovere », quibus nimirum verbis imprimis *petitio illa conjungendae Missionis Missouriensis* spectabatur; hiemali tempore, 1832-1833, res diu multumque agitata ac saepe cum Assistentibus discussa est. Denique, 2 Februario 1833, Pater Roothaan erigendam Marylandiae Provinciam statuit, decrevitque Statuum Foederatorum Missionem « prout uni eo usque Superiori subjecta fuisset, deinceps in Provinciarum numerum habendam esse sub denominatione Provinciae Marylandiae ». Cujus rei ita decernendae haec formalis ratio a Patre Generali datur, quod « satis jam accreverit Americana Statuum Unitorum Missio, nihilque ipsi desit eorum quae ad justam Societatis Provinciam efformandam requirantur, quippe quae idoneam Sociorum copiam, et praeter amplum Georgiopolitanum Col-

[1] * *Marylandia, Consilia proposita* etc.

legium, propriam quoque Tironum Domum pluresque Residentias numeret » [1].

Ineunte 1834, Provinciae Marylandiae, in Domibus 14, erant Socii 89. Quod igitur petierant, ut Missio Missouriana, quae modo, anno 1830, separata fuerat, iterum cum Marylandia conjungeretur, impetratum non fuit, sed illa sui juris Missio permansit [2], donec ipsa in Vice-Provinciam atque etiam in Provinciam constituta postea est.

Missionis autem Missourianae initia hoc modo referuntur: Ludovicus Gulielmus Dubourg, Episcopus Neo-Aurelianensis de opera Nostrorum adhibenda jamdudum cogitaverat; sed penuria operariorum, qua tunc (anno circiter 1820) omnes fere Societatis Provinciae laborabant obstiterat quominus votis ejus obsecundaretur. Occasione vero accepta a decreto, quod comitia generalia Americae Foederatae tulerant, jam saepius factas preces instauravit. Nec sine peculiari Numinis providentia obtigit, ut illo eae tempore pervenirent, quo R. Pater Carolus Neale, qui tunc Missionem Americanam moderabatur, decrevisset dissolvendum Novitiatum, quod facultates deessent quibus sustentaretur; tum etiam et praecipue, quia ne unum quidem Novitium Americanum, sed Europaeos tantum optimos quidem in spem futurorum videret. Ideo senex morti proximus inductus est, ut judicaret, satius esse, talem Novitiatum non esse, vel eum esse saltem trans flumen Mississippi [3]. Tirones ipsorumque Magister, Pater Carolus van Quickenborne, qui de petitione Illustrissimi Dubourg ne minimum quidem rescierant, enixis precibus rogarunt Patrem Carolum Neale, ne se Novitios e Societate dimitteret, sed mitteret potius ad Indos: ideo enim se, trajectis maribus, ad remotas illas adiisse plagas, quod eam faciliorem arbitrarentur esse viam, qua barbaris gentibus ad fidem convertendis se devoverent. Quibus victus rationibus, Pater Carolus Neale proposuit Episcopo, utrum hic vellet, quippe cum probati in promptu non essent operarii, Novitios accipere una cum eorum Magistro, cui alterum Patrem adjungeret. Libens ac sine mora annuit Praesul; consensit quoque Praeses Americae Foederatae, ut, quae quattuor Missiona-

[1] Decretum erectionis etc. * *Regist. Prov. Maryl.*, ad 2 Febr. 1833.

[2] Falso refertur hanc Missionem cum Belgica Provincia conjunctam aliquando fuisse. Verum quidem, ab anno 1837 catalogum Missionis, per modum appendicis additum esse ad catalogum Provinciae Belgicae.

[3] Hughes, S. J. *History S. J. North America*, London, Doc. n. 195-196.

riis destinata pecunia fuerat, expenderetur in fundanda schola pro Indica juventute, ad quem finem ipse quoque Praesul ducenta agrorum jugera promisit [1]. Rebus ita compositis, 15 Aprili 1823, loco White Marsh, in quo Probationis Domus adhuc fuerat, excesserunt, duce ipsorum Magistro, septem Tirones Scholastici. quibus adjuncti sunt Sacerdos unus et tres rei familiaris Adjutores, votis simplicibus jam obstricti. Erant ergo universi duodecim, omnes Belgae, si excipias Coadjutores duos, quorum Batavus unus, alter Americanus erat. Facto unius mensis et dimidii itinere molestissimo, 31 Majo 1823, advenerunt ad civitatem S. Ludovici, ubi a clero humanissime excepti sunt. Rector 2 Junio, ut omnia pararet, profectus Florissantium (Saint Ferdinand), qui locus solis septemdecim passuum millibus a S. Ludovico dissitus erat, et mox eo cunctos advocavit Socios. In quos, suis sibi manibus Sacellum aliaque aedificia comparantes, istis praecipue rerum initiis, Sorores, quae a S. Corde dicuntur, multa beneficia contulerunt [2]. Liquet eam Missionis quasi coloniam a Superiore Marylandiae fuisse dependentem. Nec mirum cuiquam videbitur, a Deo uberrime benedictum esse Missioni, cujus fundamenta adeo liberalibus in Deum animis posita fuissent. Anno 1827 Missionis Sacerdotes jam erant 7. In civitate Sancti Caroli Residentia erecta est, cui conjuncta puerorum schola. Erant praeterea loca 6, quae suis temporibus Nostri inviserent: Clarkville, Louisiana, Novum Londinum, Jefferson, Columbia, Franklin. Anno 1829 initia facta sunt Collegii in civitate S. Ludovici. Posteaquam decreto 25 Septembris 1830 Pater Roothaan statuit « Missionem Missourianam deinceps fore sub immediata jurisdictione Adm. R. P. N. Generalis », ideoque a Missione Marylandiae ipsa est separata [3], etiam majora augmenta cepit. erantque ejus, ineunte 1832, Sacerdotes 11, Scholasticus 1, Coadjutores 7 ; universi, Socii 19. Qui numerus sic erat distributus : In Collegio S. Ludovici, Socii 11 ; Florissantii, 6; Sancti Caroli, 2. Eodem anno, recurrente die Virgini sine labe conceptae sacra, beneficium haud levis momenti Missioni obtigit: Ludovicense quippe Collegium ad Universitatis gradum

[1] * *Litterae annuae missionis Missourianae*, p. 1-2.

[2] * *Ibid.* p. 2 ss.

[3] Cujus separationis ratio alia non erat quam « ut commodius gubernaretur illa Missio, prout jam ipse Pater Fortis in mente habuerat ». Cf. *Epistolas R. P. Roothaan ad P. van Quickenborne, 25 Sept. 1830; ad P. Mulledy, 16 April. 1831; ad P. Kenney, 2 Junio 1831.* * *Registrum Marylandiae.*

a gubernio evectum est. Ubi separatio a Marylandia facta est, cogitandum sane fuit de Novitiatu; cujus, S. Stanislao dicati, anno 1835 Tirones jam erant 5, e quibus 2 Sacerdotes. Fuerunt igitur, anno 1834, Socii omnino numero aucti [1].

Januario denique 1834, in tantum aucta Missio fuit, ut a Patre Generali petendum duxerit Pater J. B. Smedts, ut, si fieri posset, Missionem illam ipsis caram ad gradum *Provinciae* elevaret. « Hanc, inquit ille, gratiam omnes ardenter optamus et humiliter a Paternitate vestra petimus » [2].

A Patre Roothaan, magnanimo quippe viro, plurimum Missionem illam amatam fuisse, intelliget quicumque non fuerit ignarus, quanti ea Nostris steterit. Eo igitur ipso anno exaudivit illorum preces, atque constare Societati voluit eam tanquam mercedem tribui ingenti animo aerumnosisque laboribus Missionariorum:

« Volentes insuper, inquit, Sociis nostris in tam laboriosa vinea excolenda desudantibus satisfactionis fiduciaeque signum exhibere, simulque viam aperire qua per triennalem Congregationem, Procuratorisque ad Urbem expeditionem cum totius Societatis capite ac centro arctius commercium foveatur ».

Tum, in referenda erectionis causa motiva, Pater Roothaan prosperam Missionis conditionem ostendit, quae proxime superioribus annis tam laeta effloruisset, iisque de causis se eam libenter ad gradum Vice-Provinciae evehere, « cum Missouriana, inquiens, Societatis nostrae Missio ultimis hisce annis tum plurium candidatorum accessione, tum Collegii, prope Novam Aureliam sub Sancti Caroli invocatione jam pridem erecti, conjunctione, non levia acceperit incrementa, quippe quae praeter septem evangelicorum operarium stationes, duo numeret Collegia frequenti alumnorum convictu insignia, nec non idoneam Probationis Domum; ita ut spes sit fore ut ad justae Provinciae formam aliquando assurgat ».

Laetus igitur Pater Roothaan, 24 Decembri 1839, subscripsit decreto, quo Missio Missouriana in Vice-Provinciam Missourianam constituta est. Missionis quidem, ineunte 1837, erant haud amplius 45 Socii, in Domibus 6; novae Vice-Provinciae vero, ineunte 1840, jam fuerunt Socii 83, Domus 13 [3]. Vice-Provinciae Praepositus

[1] * *Ibid.*, p. 10 ss.
[2] * *Ex epist. P. Smedts ad Gen.*, 4 Jan. 1839.
[3] * *Regist. Missour.*, ad 24 Dec. 1839. Cf. *Catal. Prov. Belg.* 1837-1840.

nominatus est Pater Petrus Verhaegen, qui fuerat Missionis Superior.

Atque majus etiam fortasse erat Societatis incrementum in Gallia, ubi ingentem Provinciae amplitudinem valde incommodam evadere jam tribus ante annis Pater Roothaan censuerat. Neque id quidem ea de causa, quasi major esset Sociorum numerus, quippe qui, anno 1836 ineunte, 432 non excederent, sed quia Domus longius inter se erant dissitae. Quae res in causa fuit primum quidem ut Galliae Provincia in duas Provincias divideretur, tum ut ejusdem mutaretur nomen, denique ut Provincia exsisteret Lugdunensis. Die igitur 19 Julio 1836 A. R. P. Roothaan subscripsit decreto, quo « quum propter domorum numerum nimiamque regni extensionem, difficilior in dies evadat Provinciae Gallicae gubernatio », ita statuit:

« Provinciam Galliae Societatis Jesu, in duas separatam Provincias, quarum una, septentrionem versus, antiquo nomine Provincia Franciae nuncupata, Domos Parisiensem, Ambianensem, Metensem, Lavalliensem, Venetensem, necnon Collegium Brugelette, in Belgiae finibus situm, complectitur; altera, versus meridiem, antiquo similiter nomine Provincia dicta Lugdunensis, Domos habet Lugdunensem, Dolanam, Anniciensem, Avenionensem, Aquensem, Tolosanam et Lalovescensem ». Tum « exteras quoque Missiones ita inter utramque Provinciam dividit, ut ad Provinciam Franciae spectent Domus, quae in Americae Statibus Kentucky et Louisianae formantur, ad Lugdunensem vero Asiaticae Missiones in Maduré », etc. [1].

Ineunte anno 1837, nova Lugdunensis Provincia in Domibus 8 numerabat Socios 253, quorum Praepositus Provincialis erat Pater Franciscus Renault. Provinciae vero Franciae erant, ineunte 1837, in Domibus 9, Socii 242. Praepositus eorum erat Pater Achilles Guidée.

Est porro memoria dignum socios, cum in duas Provincias separabantur, statuisse ut qui prius in eadem Provincia simul conjuncti fuissent, in posterum quoque tempus, inter se post obitum praecipue meminissent. Etenim

« Quum ageretur de Provincia Galliae proxime dividenda, po-

[1] *Liber continens Epist. encycl. Visit. et Prov. Franciae S. J.* I. 1820-1886). Parisiis 1892, p. 106-107.

stulatum fuit ab Adm. R. Patre Nostro, ut in mutuae caritatis argumentum, suffragia quae pro defunctis in sua Provincia ab unoquoque fieri solent, fierent etiam ab omnibus Sociis antiquae Provinciae pro Sociis omnibus, qui ante divisionem ad eamdem Provinciam adscribebantur ». Sua Paternitas huic postulato annuit.

Censuit tamen solummodo caritatis fraternae titulo faciendum, quod ipsi animo tam liberali suscepissent: « dummodo, inquit, id non fiat ex regula aut praescripto, sed ex pia tantum conventione ». Qua de re uterque Provincialis A. Guidée et Fr. Renault, quibus uterque subscripserant, litteris haec suis Sociis significarunt:

« Igitur fient suffragia pro omnibus successive defuncturis Sociis, quorum nomina continentur in anni 1837 duarum Provinciarum catalogo, qui ideo in bibliotheca cujusque Domus asservandus est » [1].

Quae Provinciarum laeta incrementa Praepositum Generalem profecto magnam partem levarunt labore gravissimo perpetuisque curis, quibus ipse et Societas ipsi carissima nusquam non conflictabantur. Imprimis vero Romana Provincia, quae ipso inspectante exhauriebat certaminis labores omnes, magno eum gaudio affecit, quippe cujus insignis labor validumque Sociorum augmentum ex aequo procederent. Dum enim Provincia Italiae, anno 1831, in Provincias Taurinensem et Romanam dividenda fuit, jam annis quindecim post, id est 1846, haec accessus fecerat tantos, ut nova divisio necessario esset facienda. Ineunte quippe anno 1846 erant Provinciae Romanae Socii 720, in Domibus 29, quarum erant Collegia 23 ipsumque Collegium Romanum. Fieri igitur non potuit ut ejus Provinciae gubernatio non evaderet difficillima; quae ceteroquin ipsa unica divisionis ratio proposita est ab Adm. R. Patre Roothaan, cum 27 Septembri 1846 decreto subscripsit:

« Cum propter nimiam, inquit, extensionem, quam occupat Romana Provincia, difficilior in dies evadat ipsius gubernatio, cumque propter plurium Domorum et Collegiorum visitationem Praepositus Provinciae a sua abesse cogatur per dimidiam fere anni partem, detrimento haud modico rerum gerendarum.... declaramus Provinciam Romanam Societatis Jesu in duas dehinc separatam Provincias ».

[1] *Ibid.*, p. 107.

Provincia Romana, cui suum servatum est nomen, diminuta domibus 11.

« Altera vero, inquit Pater Roothaan, antiquo nomine *Provincia Veneta* dicta, Domum Venetam, Domum Probationis Veronensem, Collegium Veronense, Collegium Mutinense, Convictum Mutinensem, Collegium Regiense, Convictum Regiensem, Collegium Parmense et Placentinum » complectitur. Ineunte anno 1847, nova Provincia Veneta, suis 11 Domibus, Socios numerabat 216; primum autem Praepositum habuit Patrem Josephum Gioja. Augescente quidem in dies Sociorum numero, gravissima tamen recens creatae Provinciae procella impendebat. Etenim, ut scriptum reperimus, « clandestinarum factionum ardor diu compressus gliscere acrius per Italiam coepit, donec, anno 1848, ineunte Martio, in apertam seditionem erupit. Atque ut facilius incautos et imprudentes quosque deciperent, impii conjurationis duces Italici Imperii unitatem, potentiam et majestatem vi et armis conflandam, salva religione, praedicabant. At nullum sanae mentis hominem latebat, bellum atrox parari in sanctissimam Christi sponsam, et in id omne quod sacrum et sanctum colitur. Itaque primas acies primosque impetus in Societatem Jesu direxerunt, hortante et impellente scriptis suis Vincentio Gioberto et aliis ejusdem furfuris... Ii calumniabantur et rumorem in vulgus sparserant, foedus ictum inter nos et Austriacum Imperatorem contra status; Jesuitas protritae antiquitati addictos novis Italiae incrementis repugnare et obsistere » [1].

Atque usque eo progressa res est ut 21 Martio, erumpentibus undique conjuratorum turbis, Nostri in universa Provincia Veneta, periculo mortis expositi fuerint, conviciis, minis, vulneribus affecti [2].

« Ut igitur primus subsedit turbarum impetus, Nostri mutata veste dispersi sunt: alii apud parentes et consanguineos sese receperunt; alii ab amicis hospitio accepti; alii per pagos et castella digressi a curionibus perhumaniter habiti et in partem operis asciti; nonnulli ut in patriam remearent, longum et periculosum iter susceperunt; unus alterve facta sibi a praesidibus facultate, in Americam profecti; Scholasticorum quoque manipulus studiorum causa in Galliam missus, ubi partim Philosophiae, partim Theologiae cursum absolverunt » [3].

[1] * *Regist. Prov. Venet. ad 27 Sept. 1846.*
[2] * *Litt. ann. Prov. Venet.*, 1848.
[3] *Ibidem.*

In tanta igitur rerum civilium conversione atque in ipso Provinciae casu tam subito tamque luctuoso, praesentissimum Dei et B. Mariae Virginis et praestitum Angelorum Sanctorumque praesidium experti sunt. Dein vero, « extinctis tandem bellis et pace utcumque constituta, anno 1850 praeter omnem exspectationem rursum Jesuitis Provinciae Venetae patuere domicilia, a quibus pulsi fuerant. Non tamen omnia. Sed quia *Domini est terra et plenitudo ejus*, ipse alias alibi locavit vineas operariis suis »[1].

Quae tamen saevierat per duos annos procella, nonnullam clademfecerat. Etenim si catalogum ineuntis anni 1848, quo in Domibus 12 numerabantur Socii 226, cum catalogo[2] ineuntis anni 1851 contuleris, invenies Provinciam, diminutam Domibus 4 et Sociis 57, constare 8 Domibus et Sociis 169. Cum vero neque animi virtus defecisset neque in Deum fiducia, mox sua iterum augmenta Provincia cepit, ut, ineunte anno 1856, Missionibus haud adnumeratis, in Domibus 12 Socii 224 recenseri possent. Quarum rerum, post Deum, multa imperatoriae quoque domui Austriacae in acceptis referenda fuerunt.

Cujus familiae munificam benevolentiam Societas in ipsa quoque Austria experiebatur. Immo vero in votis sibi esse ut « propria eaque Germanica Ordinis Provincia formaretur », Franciscus I significarat. Diximus, Galiciam Provinciam tunc jam esse factam, cum e Russia Societas expelleretur. Deinde vero, « anno Domini 1829, primi Socii ex Galicia in Austriam veniunt, atque iisdem annuente Augustissimo Imperatore Francisco I derelictum a Patribus Piarum Scholarum Collegium in Gleisdorf, Styriae superioris oppido, inhabitandum traditur 4 Majo. Eodem anno mense Novembri repetentibus Patribus Piaristis Collegium, Nostri hinc migrare coguntur, atque postquam aliquamdiu in domo privata habitaverunt, vocante Celsissimo Principe Episcopo Zängerle, Graecium ipsam Styriae metropolim petunt, ubi in domo quadam privata prope Templum, quod *Lehkirche* appellant, in platea cui *Zinzendorferstrasse* nomen est, pedem figunt, primaque Tirocinii, atque adeo Provinciae Austriae fundamenta ponunt »[3].

[1] * *Litt. ann. Prov. Ven.* 1848 ss.

[2] Qui, lithographice primum, exemplaribus paucis, Romae 1851 exaratus, postea typis iterum impressus est.

[3] * *Prov. Aust. Hung. S. J. in ortu et progressu synoptice descripta usque*

Haud ita multo post Pater Roothaan Galicianae Provinciae nomen in Provinciam Galiciaham-Austriacam mutavit; anno autem 1837 Collegium Linciense ortum habuit. Nempe, ut scriptum refertur, « ab Archiduce Maximiliano ab Este, Ordinis Teutonici Supremo Magistro, domus in vicinia urbis Lincii Societati dono offertur, atque huc auditores Philosophiae Graecio mittuntur, ubi angustia loci multum pati necesse erat. Mense Augusti 1837 primi advenerunt Socii » [1].

Anno dein 1838 Oeniponti conditum est Collegium Theresianum Nobilium, nomenque Provinciae a Patre Roothaan mutatum in Austriacam-Galicianam. Mox, anno 1839, inchoatum est Collegium Oenipontanum, cui anno 1846 Convictus adjungitur. Cum igitur valde aucta esset Austriaco-Galicianae Provinciae amplitudo, nimiaque videretur Domorum Galiciae a Tyroli distantia, Pater Roothaan, itinerum longitudini, ut poterat, obvenire volens, 28 Decembri 1844, Praeposito Provinciae Austriaco-Galicianae [2], Patri Jacobo Pierling, vice-Provincialem pro Galicia addiderat.

« Verum hoc etiam adjumento, ait Pater Roothaan in decreto separationis 21 Junii 1846, cum gubernationis difficultas minime sublata visa sit.... declaramus Provinciam Austriaco-Galicianam Soc. Jesu in duas separatam Provincias ». Provinciae Galicianae suum servatum est nomen; dum « altera, inquit, antiquo nomine Provincia Austriaca nuncupata, Oenipontanum Collegium et Convictum nec non Convictum Theresianum Nobilium, Graeciensem Domum Probationis et Linciense Collegium complectitur ».

Ante separationem, ineunte anno 1846, Provinciae Austriaco-Galicianae erant, in Domibus 5 et 4 Missionibus, Socii 329. Separatione autem facta, ineunte anno 1847, Austriaca Provincia in Domibus 5 Socios numerabat 154, Galiciana in Domibus 5 et 4 Missionibus, Socios 133 [3]. Dubium non est quin ea Patri Roothaan res fuerit solatio plena, illam ipsam Galicianam Provinciam, in qua,

*ad annum 1881* (Graecium). Postea acceperunt Canonicorum S. Augustini domum, in qua etiam Fratres Praedicatores degerant.

[1] * *L. c.* (Coll. Linc.).

[2] Id enim nomen diximus datum anno 1838, cum Collegium Theresianum Oeniponti conditum est.

[3] * *Decret. separ. Reg. Prov. Austr. 21 Jun. 1846. Reg. Gulic. Ibid.* Hi quoque convenerunt ut ab omnibus Sociis separatae Provinciae Austriaco-Galicianae suffragia pro defunctis fratribus fierent.

ad annum 1820 usque, primos egisset religiosae vitae annos, ingenuaque Societatis mente imbutus esset, in duas jam esse separatam Provincias, quae fructu utraque uberes, multo etiam laetiorem segetem futuram pollicebantur [1]. Quod profecto solatium istis exsilii acerbissimis diebus, 1848-1850, illi fuit acceptum valde [2].

In iis ipsis exsilii sui itineribus contigit Patri Roothaan ut, 6 Januario 1849, eam Societatis sibi carissimae partem, quae in Neerlandia erat, ad Vice-Provinciae gradum promovere posset. Nec mirum; erat enim ejus animus beneficiorum apprime memor, quae Patribus Amstelodamensis civitatis, ubi ipse quondam ortus atque educatus, accepta referebat. Ibi quippe Patri Adamo Beckers, sacra facienti, ad altare cotidie inserviebat; ibi vitae suae Deo dicatae fundamenta posuit divinique solatii dulcedinem primum percepit. Cujus vivendi rationis quoniam gravissimum momentum fuerat in omne futurum tempus, rem totam tanquam iterum praesentem, hoc ipso anno 1849, animo contemplatus est. Ac reapse cum, Neerlandiam visendo obiens, ad Nostros, qui Amstelodami in Residentia De Krytberg erant, divertisset, die quadam cum Patribus antiquum ingressus templum, oratione pie fusa, res singulas coeperat inspicere. Qui ubi ad unum e tribus altaribus venit, « en, inquit, heic puer ego atque adolescens sanctissimo illi viro, Patri Beckers, sacra facienti acolythus inservii. Quot quantasque inde a Deo gratias accepi! O quantum est illud Sacro inserviendi officium! Quot animi collustrationes heic mihi infudit benignissimus Deus! Oh utinam semper ego ita innocuus vivendo perseverassem! » Ea dicenti vox faucibus haesit, obortisque lacrymis parumper constitit. Tum vero, quasi advertisset plura de semetipso dicta, mox, facetiis volens Patrum avocare animum, tintinnabulique arreptum funem agitans, « sinite, inquit, audiam, sitne semper idem, qui antea erat, sonus ». Ac subridens, « Soni, inquit, hujus equidem meminisse non possum ». Ridentibus omnibus alio ille sermonem divertit [3].

Patre igitur Roothaan adolescente (1785-1804) Amstelodami jam erat Residentia De Krytberg. Simili quoque ratione, suppressa So-

[1] Quicumque Patres habentur Austriacae Provinciae fundatores, in Alba Russia olim Societatem ingressi erant: Jacobus et Andreas Pierling, J. E. Mayr, F. H. Asum, Petrus Jacobs, Petrus Lange, Fr. Krupski, F. S. Scherer.

[2] Cf. (P. Bülow), *Gedenkblätter aus der Oesterreichischen-Ungarischen Provinz der Gesellschaft Jesu*. Tanquam ms. typis editum, Kalksburg 1901.

[3] * *Roothaan, P. Manfredini, materie*, I, 3.



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cietate, plures hujus Missionis Residentiae Nostris servatae fuerunt. Amstelodamensis Residentia altera, De Zayer, anno 1825 Societati fuit restituta. Notus ille Pater Fonteyne, qui anno 1792 ex Russia Neomagum se contulerat, senes ibi in Residentia invenit duos, qui Societatis Sodales olim fuerant. Anno autem 1796 factus est Superior. In Missione porro Culemburgensi anno 1800 diem obiit Pater Pathuys, qui jam ab anno 1767 Residentiam gubernaverat. Cujus etiam socio mortuo, Sacerdotes saeculares aliquot Missionem curarunt, ad annum usque 1816, cum denuo Patres nostri advenerunt. Ravenstenii usque ad annum 1811 degit Pater Voet, cui defuncto saecularis successit, a quo, anno 1840, Residentia reddita est Societati. Cum Nostri Hagae-Comitanam Residentiam, ubi Sacellum allegati Hispaniae curabant, jam ab anno 1767, Hispaniarum Regis decreto coacti reliquissent, Sacerdos saecularis Societatis amicissimus, qui eam curam susceperat, a Nostris petiit atque obtinuit socium, qui deinde succederet. Missus est e Flandria Pater Bernard, qui ad annum usque 1821 omnia ibi ministeria obivit [1]. Adde quod Collegium Catvicense, ab Illustrissimo Domino Cornelio Barone de Wykerslooth anno 1831 erectum, annis dein 1837-1842 paulatim e manibus saecularium Sacerdotum ad Societatem transiit. Seminarium vero Culemburgense, anno 1825, legibus Guilelmi I Regis suppressum, 19 Aprili anni 1841, denuo apertum est.

Quare prospera rerum conditio simulque aucta in dies difficultas gubernandi tot numero Domos per Belgium atque Hollandiam dispersas, in causa fuit cur de separanda satis ampla Provincia cogitaretur. Erant enim, ineunte anno 1847, Provinciae Belgicae, ad quam Neerlandica ditio pertinebat, in Domibus 27, Socii 426. Ceterum jam Majo 1847 Pater Roothaan Hollandiae Superiorem cum 4 Consultoribus instituerat. At transitorius ejusmodi rerum status eo vel minus obtinere diu poterat, quod rebus ita statutis Hollandia, dempto tantum nomine, Vice-Provincia revera esset. Incommodo obvium ivit Pater Roothaan, dato 6 Januario 1849 decreto erectae *Vice-Provinciae Neerlandicae*:

« Cum Divina, inquit, Bonitas Provinciae Belgicae initiis abhinc sexdecim annis constitutae tanta benignitate benedixerit, eamque ad hunc usque diem tam provide non solum conservare, sed ita promovere dignata sit, ut Sociorum Domorumque et Collegiorum

[1] *Compend. hist. Prov. Neerl.*

numerus ministeriorumque frequentia plures alias antiquiores Provincias facile antecellat; cumque Domus illae et Collegia in utroque regno, Belgio nempe atque Neerlandia, sita commode jam ab uno Provinciali nec visitari nec regi posse videantur, prout diverti utriusque regni mores ac leges praesentesque temporis requirunt necessitates, audito Patrum Assistentium consilio et sententia, decrevimus a Provincia Belgica separare, atque in Vice-Provinciam erigere Missionem Neerlandiae, quae modo complectitur Collegia et Convictus Culemburgensem et Catvicensem, Missiones Amstelodamenses in Krijtberg nempe atque in Zayer, Culemburgensem, Hagae-Comitanam, Neomagensem et Ravenstenianam; quam novae Vice-Provinciae erectionem praesenti decreto firmatam, Deum humiliter precamur, ut de coelo ratam habeat, novamque Vice-Provinciam ita fovere, ita Socios in ea degentes gratia sua roborare, ita eorum operam adjuvare ac promovere dignetur, ut *populus* in Neerlandia *ipsi serviens numero* et *spiritu* usque et usque *augeatur* in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen »[1].

Erant novae Vice-Provinciae, postquam anni ejusdem die 14 Majo Residentia Rotterodami condita est, in Domibus 9 Socii 95. Divinae autem benedictionis, quam pius illi Praepositus Generalis pro ea deprecatus erat, mox fructus provenerant in eam uberrimi. Jam enim anno 1850 Vice-Provincia a Patre Roothaan evecta est ad Provinciae gradum. Eodem ineunte anno Ravenstenii instituta est Probationis Domus, cujus anno primo Novitii fuerunt 22. Cum Nostri porro, die 20 Septembris 1851, Collegium Sittardiense, cui hactenus saecularis Sacerdos praefuerat, regendum suscepissent, intra paucos annos fecerunt ut eximie floreret. Residentiae Groninganae ortus referendus ad annum 1856. Accedit quoque Collegium Trajectense ad Mosam, cujus, 1851-1852 erecti, hoc ipso anno Theologiae auditores jam erant 31. Crescentis religiosae virtutis ac reliquae Sociorum in Neerlandia prosperitatis causa, e sententia ejus qui illarum rerum historiam scripsit, fuit, praeterquam quod erecta esset Vice-Provincia, « laetabilis ille, nec ulla oblivione delendus Admodum Rev. Patris Nostri Joannis Roothaan in patriam adventus »[2].

[1] *Registrum Prov. Neerl.*, 1, 6 Jan. 1849.
[2] *Litterae annuae* etc. 1848-1849, p. 3.

Vixdum autem Praepositus Generalis ab exsilii itineribus in Urbem redierat, cum animum advertit ad eam dividendam Provinciam, Lugdunensem inquam, ubi per sat longum temporis spatium degerat; unde orta nova *Provincia Tolosana*. Cum, anno 1837, Provincia Galliae separata est, erant Provinciae Lugdunensis, in 8 Domibus, Socii 253; cujus tam validum incrementum fuit, ut, ineunte anno 1852, in Domibus 26 et 5 Missionibus, 775 Socii numerarentur. Nihil mirum, ubi tot numero essent Domus Sociorumque tam ingens numerus, censuisse Patrem Roothaan aequo difficiliorem factam esse Provinciae gubernationem. Ita quippe scriptum reperimus: « Porro momenta, quae priorem illam divisionem decernere suaserant et veluti necessariam fecerant, occurrere denuo aliquot post annos (anno 1852), cogebantque ut nova nostris temporibus partitio fieret. Varias inter aerumnas, multiplicibus probati et afflicti casibus Lugdunenses Socii, ut quondam stirps Jacobaea sub Pharaonitico dominatu, ita creverant numero, ut Praepositus unicus omnibus et singulis regendis, solandis, movendis par esse nequiret. Deinde reddita aliquatenus magisterii libertate tot nova orta erant Collegia, ut Provinciae domicilia universa intra annum invisere, quod muneris sui proprium est, Praepositus vix posset, et eorum statum apprime cognoscere. Cui hominum, domiciliorum et negotiorum exuberanti et crescenti in dies numero, accedebant Missiones quatuor [1], maximi singulae momenti » [2].

« Rebus ergo diu serioque perpensis, placuit A. R. Patri Societatis Praeposito Lugdunensem Provinciam in binas Provincias ita partiri, ut Lugdunensis totum illud quod in occasu Societatis (1773) habuerat, modo retineret, additis etiam e veteribus Provinciis Franciae et Tolosanae regionibus nonnullis; recens vero Tolosana e majori parte Tolosanae veteris et Aquitanae coalesceret. Obstabat (tali divisioni) inter caetera Sociorum futurus longe dispar numerus in utraque nova Provincia, maxime cum Lugdunensi addicerentur, prout locorum et veteris partitionis poscebat ratio, e Sabaudia oriundi Socii, universi duo supra nonaginta. Deinde in utriusque Provinciae domiciliis talis Sociorum permixtio

[1] In catalogo recensentur Missiones 5.
[2] * *Litt. ann. Tolos. 1852, Prooemium*, p. 7.

et velut necessaria operatio, ut e decreti executione ingens perturbatio et veluti confusio inducenda videretur. Cui utrique incommodo a communis parentis sapientia facile occursum est, addictis Tolosanae Provinciae Sociis omnibus qui in veteri Lugdunensi natales non habuerant et in ea tamen degebant, et Praepositorum Provincialium providentiae commissa facultate curaque suos sensim sine sensu, pro ratione temporum munerumque, in propriam Provinciam revocandi »[1]. Exteras quoque Missiones ita inter utramque Provinciam Pater Roothaan divisit, ut ad Lugdunensem spectarent Domus quae in Syria, Algeria et in Missione Neo-Aurelianensi formarentur; ad Tolosanam vero Missiones Madurensis et Insularum Bourbon et Madagascar.

« Sic inter utramque Provinciam optata quaedam inducta est aequalitas et firmata consensio, dum utrique latus ad excurrendum et laborandum aperiretur campus, viresque et subsidia suppeditarentur ad Dei opus impigre promovendum »[2]. Re quidem vera, in hac etiam tam sapienter disposita divisione, Lugdunensis Provinciae sors potior erat. Sua tamen parte Tolosana quoque contenta mansit, ac profecto annuarum Provinciae Tolosanae litterarum prooemii scriptoris voce usurpata: « non est, inquit, cur doleat aut miretur natu minor germana soror, cum usus consuetudoque ferat, ut natu maioribus vulgo praerogativa aliqua tribuatur et Tolosanae demum satis superque sit ubi laborem et studia sua exserat in Dei laudem animarumque commodum ».

Quibus dictis etiam Scripturae verbum illud addidit, quo recens erectam Taurinensem Provinciam olim allocutus Pater Roothaan erat: « Soror nostra es, crescas in mille millia ».

Separationis autem decreto subscriptum est ipso anniversario restitutae Societatis die, 7 Augusto 1852[3]. Provinciae Praepositus nominatus R. Pater Josephus de Jocas; erant autem ejus, in Domibus 14 et 3 Missionibus, Socii 472; constitutus porro Praepositus Tolosanae Provinciae R. Pater Ludovicus Maillard, sub quo in Domibus 14 et 2 Missionibus Socii erant 363.

Haud eo modo, quo Lugdunensis Provincia, Provincia Germa-

[1] * *Ibid.*, p. 7-8.
[2] * *Ibid.*, p. 8.
[3] * *Reg. Prov. Tolos., ad diem 7 Aug. 1852.*

niae Superioris erat prosperata. Cum enim, multarum Societatis Provinciarum nacta sortem [1], anno 1848 dispersa esset, aegre postea in priorem statum restitui potuit. Cujus erant, ineunte 1847, in Helvetia sedes: Collegium Friburgense, Convictus Friburgensis, Collegium Brigense et Brigensis Domus Probationis, Seminarium Lucernense, Collegia Sedunense, Staviacense, Suitense, quae erant Domus omnino 8, in quibus, cum Missione Cothen, Socii numerabantur 274. Luctuoso vero anno isto 1847-1848 adeo disjecta sunt omnia, ut Provinciae Germaniae Superioris jam nulla esset Domus, cui hoc ipsum nomen e vero fieret; Socii autem ejus, ad 245 redacti, dispersi vagarentur per regiones provinciasque plurimas. Tribus tandem post annis denuo aliquatenus conformata Provincia Domos nonnullas recensere potuit; verum, mutato loco, tota jam in Germaniam migraverat. Ibi insignis plane popularium Missionum successus, ipsos aliquos superiores magistratus propitios fecit Nostris. Qui animorum habitu illo benevolo usi statim sunt [2]. Etenim anno 1851 Residentiam invenies Aquisgrani unam, aliam Friburgi in Badena; Monasterii, Residentiam et Domum Probationis; Residentiam quoque Ostenfeldi, item in Westphalia. Reliqua vero Provincia etiam tum dispersa erat. Obvium est, ut ea loci mutatione nomen quoque Provinciae fuerit mutandum. In Germania enim Superiore pauci tantum degebant, dispersi illi quidem aut in Residentia Friburgensi conjuncti; longe vero major Sociorum pars in Inferiore Germania erant. Quibus de causis, ineunte anno 1852, nominatam invenies *Provinciam Germaniae Superioris et Inferioris;* quo nomine post unum ferme annum iterum mutato, ab anno 1854 deinceps *Provincia Germaniae* appellabatur. Erant anno 1852 Provinciae hujus Tirocinia duo: Monasterii et Gurhemii in Sigmaringia; Tertiae vero Probationis Domus in Seminario Paderbornensi erat. Degebant etiamtum in aliis Provinciis Socii Germaniae multi, dum Theologiae operam Scholastici dabant in Collegio Trajectensi ad Mosam. Propriae tamen Domus jam erant 6, in quibus Socii 282. Mox novas Domos institutas invenies Bonnae (1855), Confluentiae (1855), Treviris (1856), Feldkirchii (1856), Moguntiae (1859). Anno

[1] Confer ejus anni tam exiguo numero catalogos, annorumque qui sequuti sunt catalogos quibus inscriptum: Dispersa.

[2] B. Duhr S. J., *Aktenstücke zur Gesch. der Jesuiten-Missionen in Deutschland 1848-1872.* Freib. i. B. 1903. Imprimis cf. Praefationem.

jam 1852-1853 ortum habuit Coloniense Collegium, quo Theologi Trajecto ad Mosam migrarunt; anno dein 1863 exstitit Collegium Maria-Laach, cui imprimis a periodico *Stimmen aus Maria-Laach* nomen factum est clarissimum. Huic Provinciae Germaniae, cui tam prospera divinitus reservata fortuna erat [1], supremas quae supererant vires Pater Roothaan impenderat [2]. Anno quippe 1853 vita ejus sanctissima meritisque onusta ad finem vergebat. Id autem indefessa sua diligentia ac virtute eximia effecerat, ut et viribus augeretur Societas et numero. Quod fuit sane egregium viri solatium. Etenim qui, Societatis amore in Albam Russiam ductus, illius ibi, quamvis aerumnis depressae, adhaeserat vexillo, eamdem non modo per universum orbem restitutam, verum etiam rebus omnibus florentissimam videbat, quippe quae in Assistentiis 4 (quinta autem post ipsam ejus mortem, in Congregatione Generali XXII, instituta est) Provincias numeraret 17, et 2 Vice-Provincias, in quibus Socii essent 5209 [3].

Ad hos numerosos filios suos in vero Societatis spiritu promovendos, praeter media jam dicta, etiam Congregationes Procuratorum juxta Institutum nostrum strenue adhibuit. Primam in restituta Societate coegit anno 1833, et sic deinceps tertio quoque anno usque dum per aerumnas et persecutiones licebat. Omnibus in Congregationibus Patres Procuratores eloquenter et graviter simul alloqui solebat.

Multis gravissimisque laboribus ad majorem Dei gloriam toto quidem gubernii tempore exhaustis, ultimis tamen annis Praepo-

[1] Ejus enim, jam anno 1855, Socii fuerunt 378.

[2] Quae dicitur anno 1852-1853 instituta Provincia Germaniae, alia non est quam Provincia pridem in Pagis Helvetiae condita; id enim tum aliunde patet, tum ex eo quod Pater Antonius Minoux anno 1852 dicitur Provinciae praeesse a 21 Julio 1846. Verum haec unica Provincia varium habuit nomen et varias pro adjunctis regiones obtinuit, ut vel ex ipsis catalogis annuis colligere est. Scilicet: (1811) 1814-1821: Societas in Helvetia; 1821-1826: Vice-Provincia Helvetiae; 1826-1847: Provincia Germaniae Superioris; 1848-1851: Dispersa Provincia Germaniae Superioris. Socii per plura regna dispersi sunt; anno 1851 inchoantur domicilia Friburgense in Ducatu Badensi, Monasteriense in Westphalia etc. 1852-1853: Provincia Germaniae Superioris et Inferioris. Qua de re A. R. Pater Roothaan, 28 Febr. 1852, scripsit ad Patrem Minoux Provincialem: « Provinciae titulo, ut R. V. proponit, adjungi potest: et Inferioris ». **Registr. Prov. Germ. 22 Febr. 1852.* Et re quidem vera jam aliqua domicilia condita fuerant in Germania inferiori.

[3] The « Augmentum » in the old and the new Society, by H. Imoda, S. J. in *The Woodstock Letters*, vol. 29, p. 278.

situs Generalis e confessore factus est quasi martyr, qui una cum filiis suis eorumque ipsorum causa dolores perpeteretur acerbissimos. Quo enim fovebat amore Societatem, suo ipse animo persentiebat quaecumque illam mala continuo ingruebant. Istis autem diebus gravissima passam esse, conviciis ac persecutionibus impetitam Societatem, quis est qui ignoret?

« Joannes Roothaan, inquit Pater Minini, Jobi quasi sortem nactus est: vixdum ille unius calamitatis nuntium integrum audierat, cum ecce alterius majoris etiam cladis denuntiatio adjungebatur ... magis semper magisque appropinquabat fremitus procellae ... Tum vero dubium nemini neque obscurum esse potuit, qualis Urbi fortuna impenderet. Suspicionibus, timoribus, dubiis, periculis, minis, insultibus plena erant omnia. Neque tamen miserrima ista rerum conditio optimum Parentem e concredita sibi statione dimovere potuisset unquam, nisi ipse Jesu Christi Vicarius significando invitasset, ut ipse Sociique in tutum cederent. Stetit ille cogitabundus; tum, Dei se committens voluntati, coram sepulchro Ignatii Patris prostratus, Ecclesiae illacrymans pro omnibus filiis suis precatus est, sive longe distabant sive aderant praesentes, sive fugiebant sive remanebant; atque sic illi commissa Societatis sorte universa, clam neque ipsis nobis observantibus profectus inde est Galliam versus, exsul ipse Jesu Christi ».

« Inde vero quae Societatis nostrae historiis pagina deerat, ipse eam adjunxit: ut nempe totius Ordinis Praepositus Generalis ipse visendo obiret tot numero Provincias, tamque varias inter se ac diversas. Quid vero vos[1], Patres Reverendi, dixistis, cum quasi ex improviso coram adstare vidistis sanctum viatorem illum? Gratias vobis, gratias quam possumus plurimas pro singulari caritate ista qua tot fratres nostros vestro sinu excepistis, qui ex hac Italica terra exsules ad vos confugerant. Cujus tam benevolae hospitalitatis compensationem sane accepistis a communi Patre nostro, cum ille consolator angelus vestras Domos vestraque Collegia visendo circuivit in Gallia, in Belgio, in Hollandia, in Hibernia, in Anglia: omnes eum vos audivistis patria vestra lingua alloquentem, heic Exercitia, illis devota tridua proponentem, ubique vero piis adhor-

[1] Habitus est sermo in Domo Professa Romana coram Patribus Congregationis XXII.

tationibus fervorem animorum exstimulantem, augentem vocationis amorem, fiduciam omnibus inspirantem, auscultantem singulos, universos consolantem » [1].

Fuit porro Sociorum, eum in Italia, anno 1850, iterum aspicientium gaudium ingens. At vero mox haud erat ille Pater Roothaan: immutata quippe facies, incedens pronum corpus, vires exhaustae, angusta spiratio. Nec longe abesse vitae illius exitum facile quisque persensit. Faece tenus potarat doloris calicem. Quae Romae contra Societatem inimicitiae gerebantur, eum perpetua quasi vexatione agitabant. A Pio IX quidem benigne semper exceptus, haud ita gratus iis erat, qui Pontificem circumstabant, quippe qui Praepositum Generalem rationi atque inclinationi temporum, qualis tunc erat, contrarium putarent. Quibus rebus omnibus factum ut, ad finem usque gubernii, in mutua ejus cum Pontifice agendi ratione quaedam quasi retentio obtineret, quod quidem Patri Generali valde molestum accidit. Atque die quadam, cum a Patre Roothaan sermo fieret de conditione satis ardua Patris Aquavivae, qui se Clementi PP. VIII parum placere sciret, secum ipse reputavit Pater Rubillon Assistens: de te fabula narratur. Caeterum Pius IX, virum sanctum ac prudentem summa veneratione amplexus, Junio mense 1853, in S. Joannis Lateranensis basilica palam eum laudavit. Et electoribus insequentis Congregationis Generalis, exoptare se affirmavit ut qui in locum Patris Joannis Roothaan successurus esset, eadem qua ille sapientia prudentiaque polleret, aequalique ratione esset Deo acceptus. Eodem ineunte anno, Pater Roothaan Assistentibus consilium aperuerat, quo Generalem Congregationem convocari vellet, eosque quo id commodiore tempore, quo aptiore modo fieri posset consuluit. Suspicati sunt in animo illi esse ut Vicarium eligendum curaret, cui gubernanda committeretur Societas. At 8 Majo 1853 supremum diem Pater Roothaan ante obivit, quam Congregatio Generalis, quae in 21 Junium indicta ab eo fuerat, convenire posset.

Qua die cum convenisset Congregatio Generalis, P. Jacobus Pierling, qui Vicarius Generalis a Patre Roothaan designatus erat, hunc in modum Congregatos Patres allocutus est:

[1] *Esortazione domestica, 28 Giugno.* Roma 1853, p. 23 ss.

« Utinam, inquit, eum a Deo Praepositum Generalem suscipiamus, qui (ut unius e decessoribus meis utar verbis) sanctitatem Ignatii, sapientiam Laynez, humilitatem Borgiae, prudentiam Mercuriani, fortitudinem Aquavivae, patientiam Vitelleschi, paupertatem Caraffae, - quibus dotibus id mihi sumo ut addam: fidelitatem Roothaan, in se uno conjungat ».

Quod desiderium quamquam ad ea quae vulgo dicuntur « pia vota » tuto deputari poterat, certe Congregatio, die 2 Julii, qui erat festus Visitationis B. M. V., Praepositum Generalem elegit praestantissimum, A. R. Patrem Petrum Beckx, qui ipse sibi Patrem Roothaan tanquam vitae exemplar proposuit. Etenim, datis ille ad Societatem litteris:

« Versatur vero mihi, inquit, potissimum ob oculos Joannes Roothaan decessor meus, cujus in agendo singularem prudentiam, in gubernando eximiam caritatem ac fortitudinem, in perferendis arduis invictam constantiam, erga Societatem miram fidelitatem et in omni vitae tenore praeclaram modestiam ac sanctitatem totiens demirati sumus et gratissima usque memoria recolimus. Haec, inquam, cari parentis in Societatem merita dum grata mente commemoro, vos et ipsius et meo nomine obtestor, ut ad eum perfectionis gradum pertingere nitamini, ad quem tum praeclaris suis exemplis, tum paternis suis monitis atque doctrinis nos totiens provocavit. Scitis enim toto gubernationis tempore nihil aliud eum quaesivisse, nihil aliud anhelasse, quam ut essemus sancti omnes et accepti coram Deo, et ut talis esset nostra Societas, qualis ex mente Sancti nostri Fundatoris esse debet, talis, inquam, ut per omnia Deo placeat et apta ac digna inveniatur ad promovendam assidue divinam gloriam et animos immortales coelo inserendos » [1].

Pia haec veneratio praestantissimae decessoris vitae sanctaeque illius memoriae haud minus Praeposito Generali recens electo, quam ipsi Patri Roothaan honori fuit. Contentos profecto atque securos esse licuit Congregationis Generalis Electores, qui talis viri curis gubernandam Societatem commisissent. Erat enim Pater Beckx vir secundum cor Dei, qualem celeberrimus ille concionator Pater Xaverius de Ravignan, Elector Provinciae Franciae, qui Patrum

[1] P. Beckx *ad PP. et FF. S. I.* in *Epist. Gener. Ed. alt.* Rollarii 1909, Tom. III, p. 40-41.

votis ad concionem ipsa die electionis habendam designatus erat, Praepositum Generalem Societatis descripserat. Assistentes quattuor, 9 Julio, Praeposito additi sunt. Nempe:

« Electi sunt: Assistens Italiae Pater Josephus Ferrari, Provincialis Venetae; Germaniae Pater Jacobus Pierling; Galliae Pater Ambrosius Rubillon, uterque hoc munere proxime functus; Hispaniae Pater Emmanuel Gil, Visitator Nostrorum in America meridionali ».

Jam innuimus, pro eo quod erat validum Societatis incrementum, in iis regionibus, ubi Anglica lingua utuntur, necessarium esse factum ut nova Assistentia erigeretur.

« Igitur petentibus Provinciis Angliae et Marylandiae ac Vice-Provincia Missouriana, ut pro Provinciis et Vice-Provinciis lingua Anglica utentibus quinta constitueretur Assistentia, ipsemet R. Pater Noster Petrus Beckx, quo citius expediretur, in Congregatione hujusmodi postulatum proposuit. Re diu multumque compluribus actionibus disputata, decretum est, quintum Assistentem, reliquis omnino parem, concedendum esse et Angliae Assistentem nuncupandum. Ejus autem electio condicta fuit in diem 27 Julii, et electus est Angliae primus Assistens Pater Joannes Etheridge, Provincialis Angliae » [1].

Porro quoad externam Societatis gubernationem decretum a Congregatione est, nonnullos e Nostris dispersos revocandos esse ad Domos Societatis; Collegia non admittenda aut aperienda nisi haberentur Domus aptae, sufficiensque tum sustentatio tum convictorum et Nostrorum numerus. Tribuit insuper Congregatio Patri Nostro Generali facultatem quaedam Collegia dissolvendi. Tum, decretis pluribus salubriter latis de paupertate stricte servanda, de religiosa disciplina, de Ratione Studiorum, A. R. Pater Noster, in ultima sessione: « Singulis commendatum voluit, ut in id operam suam conferrent assidue, quo Provinciae et Domus nostrae magis ac magis ad eam normam in die perficerentur, quam S. Pater Ignatius in suis Constitutionibus proposuit, atque ad hanc ipsam normam exigeretur nostrorum juvenum institutio, a qua Societatis uni-

[1] Institut. S. J. Tom. II. p. 483 ss. Is fuit primus Assistens pro regionibus in quibus Anglica lingua utuntur, quippe quae ante suppressam Societatem ad Assistentiam Germaniae pertinerent.

versae salus omnino dependet. Quibus dictis et, ipso praeeunte, actis Deo de more gratiis ex praescripto Formulae, cum magna charitatis significatione finis impositus est huic Congregationi XXII die 31 Augusti 1853 »[1].

Ultimo quem habuerat ad Congregatos Patres sermone, suam ipse Pater Beckx agendi rationem plane dictis expresserat, eos scilicet hortando ut impigro labore Constitutiones ad majorem Dei gloriam sartae tectae servarentur; ut continuae porro incumberent abnegationi, qua inexhausta impenderetur caritas tum proximo cuilibet, tum vero maxime ipsis Societatis filiis. Quae tempore praeterito ita praestiterat, ea etiam perfectius in posterum erat continuaturus, eximia animi simplicitate vitaeque sanctitate conspicuus.

Petrus Joannes Beckx, 8 Februario 1795, in Belgii pago, cui Sichem nomen, non divitibus sed piis parentibus natus, prospere adolevit. In plateis parum, multum in templo visus, ubi pia animi devotione Sacro cotidie inserviebat. Eo discipulo valde gloriatus magister, magis etiam tam bono filio laetata mater, quae jam ante filii sui carissimi nativitatem viro orbata fuerat. Lectitanda vita Joannis Berchmans delectabatur puerulus, qui forte vel ideo ab aliquibus « parvulus Berchmans » dicebatur; quod ei nomen opinari etiam licet inde factum, quod, Disthemiensis Joannis exemplum secutus, Virginem Asprimontanam singulis Sabbati diebus deprecabundus adire solebat. Anno 1808, cum, quid Petro fieret, parum mater et consanguinei inter se convenirent, Pater quidam Nijs oportere asseruit ut puer, Magistro Joanne Baptista Peeters, in schola Latina, quae erat in loco Testelt, litteris daret operam; manifesto enim apparere eam esse Petri vocationem, cum quod ingenio esset adeo egregio, tum quod sacris inserviendo atque ecclesiastica ministeria per lusum imitando tantopere delectaretur. Per annos quattuor (1808-1812) operam dedit magistro illi, qui non modo docebat sollerter, verum etiam Latini sermonis apprime peritus erat. Inter discipulos 100 princeps Petrus, ut die quadam abreptus admiratione, magister ad eum accesserit: « Te, inquiens, vel Papam aliquando habebimus »! Ad Societatem vero propensio ejus ad eum diem refertur, quo, inventam S. Ignatii Loyolensis imaginem attenta consideratione inspiciens, contremiscendo expalluit,

[1] *Ibid.*, p. 495.

animoque intime commoto: « Talis, inquit, vir et ego evadam oportet »! Per annos tres (1812-1815) Petrus litteris dedit operam in Collegio civitatis Aerschot, ubi rhetoricae praemium obtinuit; annis deinde 1815-1819 disciplinis philosophicae ac theologicae studuit in Seminario Mechliniensi; quo peracto tempore, aliquandiu in loco Uccle prope Bruxellas Curionis adjutorem egit. Autumno 1819 Societatem ingressus, Tirocinioque Hildesheimii absoluto, anno deinceps 1826 viro ab haeresi converso, Ferdinando Duci de Anhalt-Koethen, Sacerdos a confessionibus factus est. Eximia venerationis significatione ad aulam exceptus, « sanctus » nominabatur atque « angelûs », « qui S. Aloysii Gonzagae exemplum plane referret ». Quam utilis ibi viri diligentis ac prudentis opera fuerit, Deus ipse novit solus. Vita functo Duce, operam saluti animarum navavit in Austriaca Provincia, unde cum fratribus anno 1848 pulsus, in Belgio Socius Praepositi Provinciae factus est, tum, anno 1850, Rector Collegii Lovaniensis. Quam multum autem Pater Roothaan ipsi fideret, vel ex eo apparet, quod Austriacae Provinciae restaurandae ac gubernandae mandatum ei dederit. Quae fama cum ad Collegium Lovaniense pervenisset, erant nonnulli Patres, qui pollicerentur vicies se Sacrum facturos, si Rectorem servare licuisset. Ast a Deo vocatus Pater Beckx, futurum erat ut Belgicam terram jam non adspiceret. Mirum quanta diligentia ac sedulitate Austriaci Socii hoc suo Praeposito eminuerint. Mortuo 8 Majo 1853 A. R. Patre Roothaan, a viro quodam rerum civilium valde perito dictum ferunt: « Nisi Beckx nunc eligant Praepositum Generalem, jam utrum sagaces reapse sint Jesuitae ego dubitaverim ».

Atqui Patrem Beckx Congregatio Generalis revera elegit Praepositum. Ipse vero, profusa lacrymarum vi, ad pedes Patrum Congregatorum provolutus: « Imposuistis, inquit, crucem ferendam, illam ex obedientia suscipio; saltem vos miseremini et orate »; ac, decidentibus usque per genas lacrymis, fratrum consalutationem excepit. In regionibus vel maxime diversis facta electione contenti Socii fuerunt; etenim, ut scripsit Pater Matthijs, qui inter electores fuerat, « Pater Beckx primum ac praecipue vir Dei est, orationi plane deditus, egregie prudens bonaque gaudens fama in regionibus compluribus, ut in Belgio, in Germania, in Austria, apud illos vel maxime viros, qui auctoritate in Austriaco imperio pollent ».

Inter quos profecto numerari oportet praestantem illum civi-

libus artibus virum Principem de Metternich, qui 10 Julio has ad Patrem Beckx litteras dedit:

« Haud sane dubitaverit Reverentia vestra, quantum mea interfuerit electio, qua Praepositus Generalis Societatis Jesu constitutus es. Quod autem in tantam ego hujusce rei partem venerim, id non meae erga te amicitiae tantum, verum multo latius spectantibus motivis tribuendum. Quae si secus haberent, dubius haesissem ego, utrum amico ad gravissimum tolerandum onus evocato gratularer necne. Feliciter te electum censeo, si commoda spectare oporteat earum, quae vi atque auctoritate plurimum polleant, Ecclesiae dico ac Societatis. Factum tibi munus, cujus est summum momentum; quae autem ad fungendum illud requiruntur dotes, tuas illas esse ego mihi persuasissimum habeo. Non ad singularia omnia Societatis universae forte obtutus tui fixi directique fuerunt; sed tu, ipsis suis locis homines simul atque res cum expertus fueris, huic saltem periculo haud objicieris ne, nesciendo quid sit opus quove modo procurandum, in errorem inducaris. Vicissim quoque te sua fiducia vel ultro prosequentur, quos ipsos ut tractares vocatus adhuc fuisti. Maximi momenti munus tu perite explebis. Velim haec, quae e conscientiae officio me scripsisse fateor, tu ne verborum mera lenocinia putaveris. Dudum me meamque cogitandi rationem melius nosti quam ut ea tam vili pretio esse ducas. Mea vero inde profecta sunt verba, quod persentio, quanto momento suum rebus civilibus laborem impendere valeat Societas Jesu, cum ipsa unius viri strenui ductum secutura fuerit. Suscipiat, quaeso, Reverentia Vestra, quam animo plane sincero atque e conscientiae officio obviam illi fero venerationis meae amicissimae significationem » [1].

Quae vero ipsius Patris Beckx sententia fuerit [2], id in prima sua illa encyclica epistola *De votorum observantia* pulcherrime declaravit:

« Equidem, inquit, optime intelligo et intime sentio, quanti momenti officium quantique ponderis onus humeris meis, heu nimis debilibus, a sancta obedientia impositum susceperim, cum praesertim hoc munus, quod gravissimum semper sua sponte exstitit, in

[1] Scripserat Vindobonae, 10 Julio 1853. * *Epistola quam sua ipse manu scripsit de Metternich.*

[2] Confer quam ad suam sororem epistolam misit apud VERSTRAETEN, *Het Leven van den Hoogeerw. Pater P. J. Beckx.* Antwerpen 1889, p. 280.

praesenti habeat administrationem multis ac permolestis curis plenam atque impeditam. Societatis quippe nostrae praesens conditio in plerisque Provinciis peculiares suas offendit difficultates, temporibus anteactis fere incognitas. Aetas ipsa qua vivimus et incertus rerum publicarum status novas fere cotidie suscitat curas, nova offert discrimina: quae quidem vos omnes probe cognoscitis, quaeque pro suo quisque modo omnes sentimus. Cum igitur regendae Societati videam praepositum me, atque eo potissimum tempore videam, quo communis utilitas eximiam quamdam requireret consilii, prudentiae, sapientiae ac fortitudinis vim, cum regio propheta exclamare libet: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris*[1]! Sed hac ipsa de causa, quod de Dei dispositione dubitare mihi non liceat, nihil aliud superesse video, quam ut me quanta possum maxima animi demissione illius voluntati subjiciam, qui infirma mundi elegit, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus[2]. Illud vero non parum me consolatur, quod luculentius inde constabit, quam vere scripserit sanctus parens noster Ignatius in Prooemio Constitutionum: *Summam sapientiam et bonitatem Dei Creatoris esse, quae conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem Jesu, ut eam dignata est inchoare.* Haec, inquam, sancti parentis sententia incredibiliter me recreat atque confirmat, ut deposito omni humano timore plena in Deum fiducia onus caeteroqui gravissimum ac formidandum, non modo patiens, sed et firmus et erectus sustineam »[3].

Ac sane animo strenuo fidentique in Deum opus omnino erat. Gravissimis enim adjunctis, per annos 30, Pater Beckx prudentia conspicuus fortiter simul ac suaviter Societatem gubernavit. Provincias enim complures, unam post aliam, dissolutas vidit atque dispersas. Vidit, inquam, anno 1859 ex Italia[4] ejectos filios, ex Hispania anno 1868, tum anno 1872 e Germania expulsos, e Gallia anno 1880. Imo vero ipse, anno 1870, quam incolebat Professorum Domum, usurpatoribus coactus dereliquit.

[1] *Psalm. CXVII*, 23.

[2] I *Cor.* I, 29.

[3] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 30, 39-40.

[4] Reclamationem pulcherrimam, qua contra persecutores ad Victorem Emmanuelem, Regem Sardiniae, provocavit, vide G. MARTIN S. J. *Padre Pietro Beckx. Cenni Biografici e storici*, Torino 1909, p. 143 ss.

Quae porro passus sit, sollicitus ut erat pater, ad Societatem scribens declaravit. Nam si « singulorum, inquit, casus adversos non possum non graviter commiserando intueri, ut liceat mihi verbis uti apostolicis: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* [1] quanto magis animus excruciatur meus, dum gravibus aerumnis et multiplici calamitate permagnam Societatis partem, ac vix non universam affligi conspicio! » [2].

Quantam, per annos illos omnes, sollicitudinem quantumque laborem insumpsit ut quantumlibet vexatae Societatis spiritum vegetum ac strenuum conservaret!

Praeclarum illum decessorem suum imitatus, non tantum impigro labore vitaeque exemplo, verum etiam encyclicis litteris Societatis procuravit incolumitatem. Enimvero spirant illae ipsam ejus virtutem, simplicitatem, singularem caritatem ac benignitatem. Vixdum Societatis adierat regimen, cum exstimulandos subditos duxit ad observantiam votorum, quippe in quibus omnis sita sit religiosi viri perfectio. Sane, quam scripsit *De votorum observantia* (1855) epistolam [3], praestantissimum ejus generis opus jure dixeris; est enim asceticus tractatus ille pellucidus, efficax, qui ita commoveat animum, ut viro cuilibet religiosae vitae studioso, maxime vero Societatis filiis, sit summopere commendandus. Anno 1856, cum a Societate tercentesimus annus a pio Sancti Fundatoris obitu impletus celebraretur, Pater Beckx, datis litteris, tractatum filiis exhibuit *De spiritu S. P. N. Ignatii anno saeculari ab ejus morte excitando* (1856) [4]. Quotienscumque autem Societas vexationi atque expulsioni solito magis exposita erat, suorum conabatur confirmare animos, docendo qua ratione calamitates essent Christi causa perferendae, ita quidem ut ipsae solatii loco haberentur. Vexationibus quippe multiplicibus quibus exagitata regiminis ejus tempora fuerunt, datae referuntur epistolae: *Quo spiritu praesentis temporis tribulationes sint perferendae* (1864) [5]; *De ratione moderandae vitae et de causis solatii in calamitatibus Ecclesiae ac Societatis* (1871) [6];

[1] II *Cor.*, II, 29.
[2] *Epist. Gen.*, III, 102-103.
[3] *Epist. Gen.*, ed. alt., Tom. III, p. 38 ss.
[4] *Ibid.*, p. 36 ss.
[5] *Ibid.*, p. 102 ss.
[6] *Ibid.*, p 190 ss.

*De novis tribulationibus et de solatio ex beatificatione B. Petri percipiendo* (1872) [1]; *De Societate in Urbe et ditione Romana omnibus suis bonis spoliata* (1873) [2]; *De iis quae praestanda sunt in praesenti temporum calamitate* (1881) [3].

Neque vero obstiterunt tribulationes istae multiplices atque gravissimae ne animarum saluti impigram navare operam Societas pergeret; sed, scripta encyclica epistola, *De animarum zelo et de ratione eas juvandi* (1875) [4], stimulos Praepositus Generalis addidit ut ad majorem Dei gloriam promptiore semper diligentia Socii incumberent; tum, Beatorum Petri Canisii et Joannis Berchmans demonstratis exemplis, sermonem habet *De fructu e Beatorum Petri Canisii et Joannis Berchmans exemplis colligendo* (1865) [5]; ac labore fessos solatur, scribens *De refugio in Sacratissimo Corde Jesu quaerendo* (1870) [6].

Ac profecto animum vehementer commovent cohortationis atque confirmationis verba haec, quibus, cum gravissima Urbi ac Societati impenderent mala, 28 Augusto 1870, suos allocutus est. Ad fiduciam enim bonus pater filios excitans, qua benignissimum Cor Jesu prosequi debeant omnes:

« Me quidem, inquit, Reverendi Patres Fratresque carissimi, in hac tam ancipiti rerum publicarum commotione, mirum in modum erigit et consolatur ejus Sanctissimi Cordis cogitatio, cujus sunt illae voces coelestis dulcedinis et charitatis plenae: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [7]. Nostis enim quam tenero miserationis affectu omnes afflictos complecti et miris modis juvare et recreare consueverit. Ex hoc divino Corde prodierunt illa misericordiae sensa, quae totiens pia meditatione commentati sumus: *Misereor super turbam* [8], et numquid non saepe in nostris angustiis hujus misericordiae effectus experti sumus? Ipse est Jesus, qui dum in terris versabatur, *pertransiit benefaciendo* [9]. et ascendens in coelum intercessurus pro nobis, non reli-

[1] *Ibid.*, p. 225 ss.
[2] *Ibid.*, p. 233 ss.
[3] *Ibid.*, p. 268 ss.
[4] *Ibid.*, p. 238 ss.
[5] *Ibid.*, p. 130 ss.
[6] *Ibid.*, p. 185 ss.
[7] MATTH., XI, 28.
[8] MARC., VIII, 2.
[9] *Act. Ap.*, X, 38.

quit nos *orphanos* [1] in terris, sed nobiscum se esse futurum promisit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Hinc etiam pridie quam pro nostra salute pateretur augustissimum instituit Sacramentum, ut in hoc mysterio immensam divini sui Cordis caritatem contemplantes amore et fiducia inflammemur et apud eum auxilium quaeramus in omnibus necessitatibus nostris. Cor Jesu patet nobis, carissimi Patres et Fratres, ad hunc igitur inexhaustae bonitatis fontem nos quoque magna cum fiducia accedentes supplici voce clamemus: *Salva nos, Domine Jesu, perimus* [2]. Adjuva nos quoniam tui sumus; nam sub umbra nominis tui congregasti nos, ut te sequamur et tuis mandatis inhaerentes opus tuum perficiamus » [3].

Quamvis Societas vix non ubique persecutionibus objecta esset, magno tamen numero ad eam Tirones accesserunt. In admittendis quidem ipse severus Pater Beckx, eos quoque quibus examinandi cura commendaretur hortatus est: « ut severe potius quam remisse officio suo fungerentur, nec candidatos probarent, nisi inspecta intime eorum indole, ingenio, ceterisque animi et corporis dotibus, quae ad hauriendum genuinum Societatis spiritum et ad ministeria cum fructu et laude exercenda necessariae et aptissimae essent »; nihilo tamen minus Societas, eo gubernante, continuis augmentis tum numero crevit tum prospero laborum successu atque ipsa laborandi diligentia et vi. E vero dici omnino poterat, prosperam esse Societatis conditionem, quam ab ipso Patre Beckx in Congregatione Procuratorum, anno 1862, descriptam habemus. Erant sane adversae res complures, quae tamen Societatis diligentiae moram haud inferrent. Postea igitur quam Pater Beckx ad Procuratores de iis rebus dixit, quae ad Congregationem ipsam directe pertinerent:

« Omnium exspectationi satisfacturus de statu generali Societatis quaedam subjunxit [4], initium ab ipsa Assistentia Italica ducens. In locis omnibus, inquit, a Gubernio Pedemontano occupatis, Domus et Collegia esse suppressa, possessiones et bona Domorum

[1] JOAN., XIV, 18.
[2] MATTH., VIII, 25.
[3] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 186-187,
[4] A. R P. BECKX: *Allocutiones, ex act. Congr. Proc.*, 1862. Cf. *Letters and Notices*, 1863, p. 134 ss.

direpta, tres integras Provincias dispersas, Nostros autem, alios fuga et exilio vitam servasse alios continuis contumeliis et periculis expositos et dispersos vivere, et ex tota Italiae Assistentia nonnisi pauca domicilia in Romana et Veneta Provinciis superesse. Facile autem intelligi, quantum ex hac calamitate animi dolorem sentire oportuerit. Verum, inquit, solatio nobis fuit non levi, quod primo illo tempore, quo expellebantur Nostri, et sive in utriusque Siciliae Provinciis, sive in plerisque Status Pontificii civitatibus, sacra omnia ac profana ab invasoribus susdeque vertebantur, ex quolibet hominum ordine, etiam ecclesiastico et religioso, non pauci mendacibus perduellium promissis seducti et falsae libertatis vertigine abrepti, *cum adulteris*, ut Psalmstae verbis utar, *portionem suam ponebant;* magno, inquit, solatio fuit et Societati accidit valde gloriosum, quod *illo primo tempore* ex Nostris nullus sanctae suae vocationi aut religiosae vitae officiis defuerit ».

« De aliis Provinciis pauca venerunt observanda. Provincias *Belgicam* et *Neerlandicam* satis prospere crescere et strenue laborare, *Germaniae* quoque augeri et multum boni operari, ab instructione juventutis autem hucusque penitus a gubernio civili excludi. In *Austria* et *Galicia* sub protectione Aulae Caesareae prospera quaeque olim sperare licuisse, mutata autem ultimo tempore gubernii forma, felici nostrarum rerum progressui difficultates et obstacula variis modis objici coepisse. *Tres Galliae* Provincias crescere numero et strenue laborare, sive in ipsis Galliae finibus, sive in exteris Missionibus in quibus Nostri nunquam satis laudando zelo et ardore pro gloria Dei et fidei dilatatione sese impendere et superimpendere non cessant. Gubernium quidem nobis non favere, verum libertatem nobis relinquere, et adfuisse nobis hucusque divinae Providentiae auxilium, quod etiam deinceps non defuturum merito speramus. In *Hispania* Societatem prospere crescere : a Regina et familia Societatem amari, a gubernio etiam Societatem tanquam institutionem Missionibus utilem protegi et promoveri; hucusque tamen ab eodem concessum non fuisse, ut scholas ex Instituti norma haberemus ».

Sed lubet ipsius Patris hic referre verba de *Lusitania* jam agentis: « Dum de Hispania, ait, sermo est, magna cordis mei laetitia adjungere debeo, in contigua Lusitania aliquod initium restituendae Societatis factum esse; divina Providentia miris modis dispo-

nente prope Ulissiponem Tirocinium aperire potuimus: habemus ibi etiam Collegium inchoatum et parvam aliam Domum: et petente ac favente Lusitaniae Gubernio duo ex nostris Patribus cum Fratre Coadjutore missi sunt in Sinas, et Collegii Macaocensis directionem jam susceperunt: speramus autem primo tempore duos alios eo profecturos, ut tantae spei opus feliciter inchoatum promoveri et perfici possit. Atque ita continuo experimur divinae Providentiae admirabilem clementiam, quae, dum ex uno loco pellimur, in alio nobis praeparat Domum, ubi ad majorem Dei gloriam operam nostram impendere possimus ».

Tum de *Anglia* sermonem prosequens, « Nostros in ea Provincia ait ad salutem animarum strenuam impendere operam, et Domos nostras quae nomen Collegii quidem gessissent, attamen potius Missionum stationes fuissent, quotannis magis ad normam communem nostri Instituti efformari. In *Hibernia* quoque Societatem ultimo tempore novum induisse vigorem: et cum hucusque in tribus solum dioecesis Dublinensis Domibus contineretur, nunc in alias quoque dioeceses dilatatam, proprium aperuisse Tirocinium cum Domo Exercitiorum: ut autem fausta haec initia majori semper studio foverentur et crescerent, quae hucusque fuisset Vice-Provincia, hoc anno [1] Provinciae nomine cohonestatam esse, atque ita hoc anno prima vice Procuratorem suum rite ad triennalem Congregationem misisse.

« In Statibus porro Americae Unitis vel disjunctis, *Marylandiae* Provinciam, Vice-Provinciam *Missourianam* et Missionem *Neo-Aurelianam* variis belli intestini periculis exponi. Missionem *Neo-Eboracensem* minus quidem quam caeteras, sed tamen etiam ipsam belli incommoda sentire. Verum, quae Dei misericordia est, in tanta istius regionis calamitate parum hucusque Nostros passos esse: quinimo evangelica sua charitate, quam indiscriminatim erga milites utriusque partis belligerantis ostendunt, maxime vero erga aegrotos et vulneratos, Patres nostros utriusque partis admirationem atque favorem sibi procurasse. Quid vero, ubi tantae fuerunt irae et strages, deinceps in illis regionibus sit futurum, Deum justum et misericordem solum nosse.

[1] Videtur esse lapsus calami, cum Vice-Provincia Hibernica revera 8 Dec. 1860 in Provinciam erecta sit.

Addidit Pater Noster: « In illis Americae partibus, ut regularis disciplina et formatio Nostrorum non solum in spiritu, sed etiam in litteris et scientiis efficacius promoveretur, missum eo fuisse Visitatorem, qui Collegia et Domus lustraret, ejusque praesentiam hisce maxime momentis in illis partibus optatissimam esse ac utilissimam.

De *Mexicana* Missione, quae nomen Provinciae ab antiquo sibi vindicavit, pauca habuit A. R. P. N. quae commemoraret. « Non nisi paucos Religiosos ibi reperiri: ante quatuor annos eo missos fuisse duos Patres eximia virtute et scientia praeditos, ut si fieri posset, pro futuro tempore, aliquid ad Societatis incrementum tentarent, sed continuis partium seditionibus eis ingressum in rempublicam praeclusum fuisse; missum eo etiam esse Visitatorem, qui cum ex Americae Statibus Unitis prodiret, ingredi quidem in rempublicam, non tamen in tanta rerum perturbatione aliquid stabile constituere potuit. Atque haec quidem de singularum Provinciarum statu; quam descriptionem excepit de opera Missionum deque Nostrorum scholis brevis quaedam, sed perspicua atque exacta adumbratio ».

« Primum opus scilicet Missionum (ipsius sunt Patris Nostri verba) in diversis mundi partibus ingens sumpsit ultimis annis incrementum et, quae Dei misericordia est, ubique abundantem collegimus animarum fructum. Et licet non omnia in exteris Missionibus sint perfecta, Sancta Sedes tamen de iis sibi plene satisfactum esse demonstrat.... Subdidit: Missionum exterarum ministerium hoc tamen habuit gravissimum incommodum, quod ea occasione aliqui ex Nostris ad dignitatem episcopalem fuerint assumpti. Non potuit non graviter nos commovere haec Sanctae Sedis dispositio: et nostri officii esse duximus, sive viva voce sive scriptis litteris, tum apud S. Patrem, tum apud Emm. S. C. de Propaganda Fide Cardinales atque alios Praelatos, omni qua potuimus efficacia et pluries supplicare et insistere, ut a mitra episcopali liberi esse possemus. Si autem in illis Missionibus, quae ex integro Societati commissae sunt, ejusmodi dignitatem excludere non semper potuimus, nosse tamen vos oportet, nos singulis vicibus, quibus acceptata fuit, per obedientiam fuisse constrictos: et nostris saepe repetitis precibus a Sancto Patre id saltem obtinuimus, ut diversis Episcoporum, sive etiam Synodorum precibus, quibus ex Nostris aliquis pro Sede episcopali cum *propria dioecesi* proponebatur et postula-

batur, non annuerit Sanctissimus Dominus: quinimo mihi spem fecerit, etiam deinceps ad talem sedem acceptandam nullum ex Nostris esse cogendum ».

« Scholas nostras deinde quod spectat, eas, ut A. R. P. N. affirmavit, ubique bonum proferre effectum, quamvis fateri necesse sit copiosiorem sine dubio fore fructum, si majori in ratione instituendi gauderemus libertate, et si magistri nostri melius essent ad docendum formati. In diversis regionibus diversa exigi a civitatis legibus quae solidam juventutis institutionem plus minusve impediant: horum tamen justam aliquam rationem etiam a Nostris esse habendam. De magistrorum autem in litteris et scientiis defectu frequentem Nostrorum et externorum ad se delatam fuisse querelam, saepius sese verbis et scriptis monuisse Provinciarum Superiores, se autem dolere vota sua precesque nondum obtinuisse eum, quem desiderabat, effectum... ».

Ad Missiones exteras transiens, A. R. P. N. dixit: « Eas utique carissimas esse hominibus Societatis, verum etiam singularem curam et sollicitudinem exposcere, ut juxta Societatis spiritum foveantur et dirigantur. Quod autem omnibus non minus ac ipsi Nostro Patri solatio futurum sit, apostolicos illos viros non sine ingenti fructu in illis Missionibus laborare, et ab iisdem ferme ubique, Deo eorum laboribus benedicente, magnum miserorum peccatorum numerum ad agnitionem et amorem Dei et ad aeternam salutem perduci. Multos sane ex illis viris sacro suo labori succubuisse; et potissimum ultimo tempore plures strenuos ac fervidos operarios in vinea Domini nobis ereptos esse, eorumque praematurum interitum amare quidem a nobis defleri; verumtamen non ita, quin ea merito nos consoletur cogitatio, eos tanquam charitatis victimas cecidisse, unde pretiosam fuisse in conspectu Domini mortem servorum suorum: et quoniam Domino vineae ita placuerit, ut fideles sui servi tam cito ad aeternam laborum mercedem pervenirent, nos non posse non humiliter adorare sanctissimam ejus voluntatem. Sed esse et aliud, quod in hisce casibus nos consolari debeat: si enim multi laboribus succumbant, multos pariter in eorum labores subintrare ambire, plures a Deo excitatos sese sentire, et magno ardore se offerre ad sacrum ministerium Missionum continuandum, et vitam pro fratribus suis immolandam ».

« In Missionibus quidem, id quod facile quisque intelligat, non

pauca deesse solere virtutis incitamenta, quae in Collegiis magno fructu adhibeantur, et praeterea multa non raro in eis occurrere, quae ex sua natura virtuti et perfectioni noxia et perniciosa videri possint. Verum, quae Dei erga servos suos misericordia est, in illis Missionibus passim tamen vigere videri et amorem vocationis et obedientiae studium. Nullibi, id non sine intimo erga Deum grati animi affectu A. R. P. Noster commemoravit, nullibi offendi, neque in remotissimis terris, qui Superiorum mandatis obedire recusaverit: imo tantum esse solere in illis, qui longinquas illas regiones evangelica doctrina excolunt, obedientiae et religiosae disciplinae amorem, tam fervens et sincerum parendi studium, ut etiam in rebus minutis ad Superiores recurrere soleant, ut ab eis directionem accipiant et sanctae humilitatis et obedientiae merito non frustrentur ».

Quae perpendens jure addidit P. Noster: « Sane digitus Dei est hic et infinitam Dei clementiam continuo laudare debemus quae spiritum rectum innovat in fratribus nostris eorumque laboribus ultra omnem spem miro modo benedicit ».

« Non autem solum in Missionibus exteris singularem hanc Dei erga nos benignitatem manifestam fieri, verum etiam aliis Instituti nostri ministeriis pari clementia et abundantia Dominum benedicere, testes appellavit ipsos uniuscujusque Provinciae Procuratores, bene expertos ad nostros praedicatores et confessarios passim frequentem esse concursum, et utique abundantem colligi spiritualium fructuum segetem: etiam scholas nostras a numerosa juventute frequentari solere et Dominum institutioni nostrae abunde benedicere ».

Profecto haec si animo volvit, quis non Patris Nostri verbis consentiat? « Nos ....., PP. RR., non raro, et quidem merito, miramur, dum videmus, quanta fiducia parentes nobis tradant filios suos educandos, quanta devotione apud nos spirituale auxilium quaerant; nos, inquam, miramur, et sancto pudore suffundimur, dum ab una parte imperfectum nostrum, miseriam nostram, paupertatem nostram spiritualem consideramus, atque intime sentimus, quam debilia non raro sint et infirma instrumenta, quibus divina misericordia utitur ad stupendos hos salutis effectus producendos ».

« Ex hac vero divinae misericordiae atque ejus beneficiorum consideratione quid aptius deduci possit, quam illud », quod optimus

Pater Noster deduxit: « scilicet continuo ad gratiam referendam et ad fiduciam erga Deum moveri et impelli nos debere: gratum autem animum nulla alia re nos demonstrare posse, quam si, quae nostrae vocationis sint, omni diligentia praestemus, et per accuratam regularum nostrarum observantiam ad perfectionem ex debito vocationis tendentes Dei beneplacitum in omnibus quaeramus ».

« Unde, intulit, Patres Reverendi et in Christo carissimi, in hoc studium et operam serio et constanter intendamus, ut Societate Jesu dignos nos exhibeamus, et non degeneremus ab excelsis cogitationibus et actionibus filiorum Dei ».

Quae jam in fine hujus allocutionis ac veluti coronidis loco ab A. R. P. prolata sunt, quaeque de ipso Instituti nostri beneficio divinitus nobis concesso tractant, ea dedimus, prout dicta fuerunt. Non enim existimavimus verba tam sublimis sapientiae tantique plena amoris immutari aut contrahi posse, quin ingens eorum vis et pondus fere totum pereat. Ita igitur peroravit:

« Certe in hujus mundi malis mirari licet, quid sit Societas Jesu, et quanti facere nos oporteat nostram ad hanc Societatem vocationem. Longe absit a me, ut aliquid dicere velim, quo aliae sacrae familiae vilipendi videantur: verum pro affectu, quo omnes vocationem nostram amamus, exprimere mihi liceat, quod caeteroquin quisque in corde sentit. Instituti nostri ratio adeo excellens est atque perfecta, ut quid melius aptiusque ad Dei gloriam et animarum salutem promovendam ab homine excogitari possit, non videam. Omnia sancta sunt et ad sublimem finem nobis propositum apprime mensurata et adaptata. In Regulis et Ordinationibus cuilibet occurrenti necessitati mira sapientia est provisum, et dum novis exsurgentibus necessitatibus in aliis Religiosis ad reformationem et statutorum immutationem plerumque recurrendum est, nos in nostro Instituto pro omni eventu paratum invenimus remedium. Non in reformatione legum, sed in perfecta earum observantia salus nostra consistit. Sanctissimae, inquam, sunt Constitutiones, coelesti sapientia plenae Instituti leges, unde ut perfecti simus Religiosi, et ut floreat Societas, nihil aliud requiritur quam observantia et executio eorum, quae sapienter et provide statuta sunt ».

« Memini me olim Patrem Nostrum sanctae memoriae Joannem Roothaan in hoc ipso loco coram Provinciarum Procuratoribus cum gemitu et quasi cum lacrymis audivisse clamantem: *Executio*,

*Patres mei, executio!* et idem ego repetere cogor: *Executio, executio!* Habemus Regulas et leges, quantum in humanis rebus possibile est omni numero perfectas; unum deest, *executio.* Haec si adfuerit, prospere omnia cedent, et scopum nostrum abunde consequemur ».

« Hae nostri Instituti leges a divina Providentia datae nobis sunt tamquam vivendi norma, quam sequentes minime errabimus. Eaedem hae leges et Regulae venerandos illos efformarunt viros, qui in Societate nostra ad religiosae perfectionis culmen pervenerunt, et pro gloria Dei multa et magna praeclare gesserunt et invicta constantia passi sunt. Earum legum executio etiam nobis divinum beneplacitum procurabit, nos acceptos reddet in conspectu ejus efformabitque viros Societatis nomine dignos. Agite ergo, carissimi et Reverendi in Christo Patres, audiamus Sancti Nostri Parentis Ignatii vocem, ac fideliter ejus mandata custodiamus et exequamur. Utamur armis, quae nobis Sanctus Pater suppeditat, et quibus ipse humanae salutis debellavit hostes, et divinam gloriam propugnavit atque defendit: atque ita futurum confidimus, ut sub Jesu vexillo cum eo certantes in terris, cum ipso quoque coronari mereamur in coelis ».

Magno cum gaudio Procuratores exceperunt verba relationis, quae non modo Societati esset honorifica, verum etiam Patri Roothaan atque ipsi Patri Beckx magnam conciliavit laudem. In aperto enim erat tum numero tum maxime auctoritate ac vi Societatem augeri. Qua de causa, paucis a suscepto regimine annis, Patri Beckx de novis Provinciis erigendis cogitandum jam fuit. Ordine igitur prima fuit Vice-Provincia *Hiberniae.* Hujus, cum erigebatur, id est anno 1829, fuerunt in Domibus 5 Socii 69; progressus autem ejus fuerunt tam celeres, ut ineunte 1860 duplicata numero fuerit, Socios habens 117 in 7 Domibus, e quibus Collegia 4. Necdum tamen ipsa suam habens Domum Probationis, in Angliam Tirones mittebat. Cui inopiae mox prospectum. Jam enim mense Majo anni 1858 emptum est praedium Milltown Park, ubi Domus Exercitiorum fieret. Septembri 1860 adjunctum huic est Tirocinium, cujus incolae mox adfuerunt plurimi. Praeter Novitios quippe 16 Italos, qui in Hiberniam se receperant, sui Provinciae Tirones erant 14: communitas sane numerosa satis.

Quibus de causis R. Pater Josephus Lentaigne, Vice-Praepositus

Provinciae, e Consultorum sententia Adm. Rev. Patri Generali supplicavit, ut, si ita in Domino videretur, in Hibernia Societatis Jesu Provincia legitime institueretur. R. Pater Beckx, re diligenter, ut decebat, considerata, huic Sociorum Hibernorum desiderio satisfaciendum esse in Domino cum existimasset, ad Divinae Majestatis laudem et Societatis prosperitatem Vice-Provinciam Hiberniae Provinciam Societatis nostrae constituit, die 8 Decembris 1860. Ad Praepositum scribens Pater Beckx, Vice-Provinciae Hiberniae Socios summopere laudavit; nam:

« Eo magis etiam laetor, inquit, hunc vobis tribui potuisse favorem ut simul etiam sit signum satisfactionis meae propter Reverentiae Vestrae zelum in urgenda observantia regulari et Sociorum in fideliter submittendo se; praesertim etiam circa ea quae per recentes ordinationes in mentem revocata magisque stabilita fuerunt. Neque dubito quin omnibus jam crescat fervor et desiderium magis magisque in dies omnibus modis procurandi divinam benedictionem super Neo-Provincia, quam Reverentiae Vestrae et Sociis omnibus toto corde apprecor, per intercessionem gloriosae et Immaculatae Matris Nostrae ad majorem Dei gloriam » [1].

Invocata in ipsa Provinciae erectione Sanctissima Trinitas novam illi vim atque vigorem ita addidit ut jam anno 1862 ineunte Socii essent 142 [2].

Majus etiam ultimis praecipue annis *Hispaniae* Provinciae augmentum fuit, cui, anno jam 1815 erectae, cum gravissimis difficultatibus erat conflictandum. Ea scilicet summae Dei Bonitati est de Societate nostra cura ac sollicitudo, ut cum ex una parte afflictam videt ac prostratam, novas illi ex altera inserat vires. Quare cum in Italia (1860) nefaria sceleratorum manus florentissimas tres Societatis Provincias penitus delevisset, duasque reliquas ad angustos admodum coarctaret limites, extra Italiam nulla fere erat Provincia, quae laetum non caperet incrementum. At nuspiam fortasse latius propagata Societas est, nuspiam celerius quam in Hispania. Ita enim brevi Sociorum creverat numerus, ut plures jam essent quam qui unam conflarent Provinciam. Ac profecto mirum fuit Provinciae Hispaniae, ultimis ante divisionem annis,

[1] Edita in *Woodstock Letters*, 1911, p. 170-171.
[2] * Registrum Prov. Hib. 1860, 8 Dec. in Litt. ann. Prov. Hib. 1859-1860.

augmentum. Annis enim 1861-1863 Sociorum numerus e 762 factus est 868; augmentum igitur duorum annorum spatio fuit Sociorum 106. Domicilia praeterea et Collegia numerosiora erant et magis inter se dissita, quam ut commode ab uno Praeposito Provinciali regi possent ac perlustrari. Erant enim Provinciae Domus 25, per Hispaniam, Lusitaniam atque insulas sparsae; ad quas accedebant Missiones amplissimae 8 [1].

Peropportunum accidit ut anno 1862, Augusto ad finem vergente, haberetur Loyolae Congregatio Provincialis, quae Procuratorem crearet, Hispaniae Provinciae legatione functurum in generali Procuratorum conventu. Ex iis quae Loyolae utilia pertractata sunt, illud imprimis memorandum est, quod, a nonnullis Patribus Congregationis postulatum, omnium habuit suffragia, in geminam scilicet, quae tunc una erat, Hispaniae Provinciam dispertiri oportere.

Congregationis Provincialis votum cum Congregationi Procuratorum retulisset Hispaniae Procurator, res tota tradita est Adm. Rev. Patri Generali decernenda. Cui, omnibus mature accurateque perpensis, placuit Hispanorum Patrum postulationi annuere et per litteras prudentia et charitate plenas consilium Provinciae annuntiare [2]. In duas decrevit Provincias Hispaniam sejungi, quarum altera *Aragoniae*, altera *Castellae* nomine distingueretur; novaeque Aragoniae Provinciae Domos et Missiones attribui has: Seminarium Nostrorum et Domum Exercitiorum Balaguariensem, Domum Exercitiorum ac Tertiae Probationis Manresanam, Domum Probationis ad Silvam Constantinianam, Residentiam et Seminarium Barcinonense, Residentiam et Seminarium Sanctae Columbae, Residentiam Caesaraugustanam, Residentiam Valentinam, Residentiam Palmensem in Balearibus, Seminarium Canariense, Missionem ad insulas Philippinas, Chilensem, Paraquariensem, et, donec aliter statutum esset, Brasiliensem; insuper omnia domicilia, quae postea futura essent intra fines veteris Provinciae Aragoniae eosdem, qui olim erant, accepit. Castellanae vero Provinciae Praepositus Generalis reliqua domicilia dedit, ea dico quae extra praefatae Aragoniae

[1] *Cf. Catal. Prov. Hisp. 1861-1863:* * *Litt. ann. 1863. Prov. Orig. et incrementa.* p. 1-2.

[2] « Datum Romae in ipsis S. P. N. Ignatii solemniis, ejusque ope ardenter implorata », anno 1863.

Provinciae fines in ceteris Hispaniae regionibus erant erecta vel deinceps erigenda, et insuper Missiones ad insulam Fernandi Poo, ad Antillas, Missiones Aequatorianam, Guatemalensem et Lusitanicam cum Macaensi [1].

Ita scilicet temperata divisio est, ut alteri, quae Castellae Provincia vocatur, potiores tum regionum amplitudine tum domiciliorum numero deferrentur partes. Nec id sine consilio factum est. Fundatam enim Pater Noster fovebat spem fore ut cresceret Provincia Castellana denuoque jam scindi posset in plures, ac tandem pristinum Provinciarum numerum expleret Hispania. Quae revera spes, ut historia docet, Praepositum Generalem minime fefellit. Quaerenti vero causam, cur haec potius arriserit divisio, quam aliae quae proponebantur, politicis provinciarum in Hispania circumscriptionibus accommodatiores, respondetur, hanc magis placuisse ut historica sua redderetur Societati divisio, eamdemque rationem suasisse, ut Aragonia potius quam Catalaunia nomen renascenti impertiret simulque cum veteri Provincia vetus etiam nomen revivisceret [2].

Facta igitur Provinciae Hispaniae divisione, erant, ineunte 1864, Provinciae Castellanae, in Domibus 14 et 3 Missionibus, Socii 590; Provinciae vero Aragoniae Socii 358, in 11 Domibus et Missionibus 3 [3].

Edendo autem separationis decreto, Pater Beckx demisse fidenterque rogabat, ut Deus Provinciarum divisionem caelitus ratam haberet, utque populus istic Deo serviens et merito augeretur et numero.

In *Gallia* porro eadem Patris Roothaan oratio exaudita jam erat. Primam enim Provinciae Galliae divisionem in Provincias Franciae et Lugdunensem (1836) secuta jam erat (1852) divisio altera, qua creata est Provincia Tolosana. Anno deinceps 1863 ipsa quoque Franciae Provincia in tantum aucta erat, ut difficilior facta esset ejus gubernatio. Ineunte enim 1863, numerabat, in Domibus 22 et 4 Missionibus, Socios 1087. Nonnullis jam annis ante de divisione tractare coeperant; verum ipsa temporum incom-

[1] *Decretum divisionis, in Reg. Prov. Aragoniae et Castellanae, ad ann. 1863. Litt. ann. Prov. Arag. et Castell., ad ann. 1863.*

[2] * *Litt. ann. Prov. Arag., ad an. 1863.*

[3] *Catalogi, ineunte 1864.*

modo rerumque alia adjuncta causas differendi posuerant: tristandi pariter et laetandi argumentum. Si enim nihil est optabilius quam perpetuo copia fratrum augeri familiam, copiaque militum augeri exercitum, tamen *bonum et jucundum habitare fratres in unum.* Hinc sane, quantumvis res pluribus ab annis urgeret, morae nihilominus usque trahebantur. Praeterea vero non parum est haesitatum, quaenam ratio iniretur partitionis, et quinam novis Provinciis fines constituerentur. Vix enim ulla divisio proposita est, quae non vitio aliquo laboraret. Accedit quod in deliberationem tantisper venit, an non tota in Gallia Societas ad pristinum modum esset dividenda in Provincias quinque, et, paulo immutatis scilicet Lugdunensi ac Tolosana, quinque veterum Provinciarum tum nomina, tum, quoad liceret, etiam limites essent restituendi. At tandem omnibus rebus consideratis, satius in praesentia visum est, intactis fere illis duabus, duas novas sic definiri, ut altera ad Orientem versus antiquam *Campaniae* appellationem resumeret, altera ad Occidentem vel Parisiensis a principe sede sua diceretur, vel *Franciae* propriam nuncupationem retineret [1].

Decreto separationis Pater Beckx subscripsit 3 Decembri 1863: in quo hoc invenies peculiare, quod in designandis limitibus non Domus nominantur, sed Dioeceses, in quarum finibus sitae erant Domus. Itaque decernit, sic in duas Provincias dividendam Provinciam Franciae:

« Ut altera quidem Provincia Franciae nominari pergat, altera vero antiquum Campaniae nomen resumat ac tractus occupet, quos nunc habent ecclesiasticae Dioeceses Ambianensis, Atrebatensis, Cameracensis, Suessionensis, Remensis, Catalaunensis, Verodunensis, Metensis, Nanceiensis, Argentinensis, S. Deodati, Lingonensis, Divionensis, Senonensis, Trecensis, intra quem ambitum domicilia amplectetur tum erecta ibidem, tum erigenda; duasque insuper Missiones: Neo-Eboracensem et Canadensem sibi addictas habebit » [2].

De Divionensi vero Residentia, quae detrahenda esset a Provincia Lugdunensi, orta est difficultas. Quam separationem cum Socii

[1] * *Litt. ann. Prov. Campaniae et Franciae, ad an. 1863. et in nuperam Prov. divisionem Propempticum.*

[2] * *Decret. div. Registr. Prov. Camp. et Franc., 8 Dec. 1863.*

illius Provinciae et Divionensis Domus patroni aegre ferrent, Adm. R. Pater Noster novo rescripto declaravit, fore ut vis decreti divisionis, quod ad Residentiam Divionensem attineret, per decennium maneret suspensa. Elapsis autem annis decem, cum alia tria domicilia, in Lotharingia et Alsatia sita, bello fuissent Provinciae Campaniae erepta, Adm. R. Pater Noster statuit ut decretum sortiretur effectum suum utque Collegium ibidem inchoaretur; quod ita factum est ineunte Octobri mense anni 1873 [1].

Porro in dividenda Provincia Franciae divisio personarum non ita est facta, ut quo quisque loco reperiretur, ibidem remaneret, verum habita est ratio praecipua cujusque natalium. Neque vero, ut in divisione Lugdunensis Provinciae (1836) factum olim erat, optio data est sexagenariam aetatem egressis; sed decretum ut *omnes*, qui ex Dioecesibus quas diximus essent oriundi, ad Provinciam Campaniae jam pertinerent; quicumque vero extra Dioeceses illas, vel etiam extra Galliam ipsam fuissent nati, ii Provinciae Franciae manerent adnumerati; ita tamen ut qui Societatem in Missionibus Americanis ingressi fuissent, nulla natalium habita ratione, omnes de Campania censerentur. Consolationem in his attulit pia conventio, ut communibus utriusque Provinciae suffragiis ii post mortem adjuvarentur, quicumque in corpus Societatis ante divisionem illam fuissent admissi [2].

Divisione peracta, ineunte anno 1864, erant Provinciae Franciae, in Domibus 14 et 2 Missionibus, Socii 612; Campaniae vero Provincia, in Domibus 9 et 2 Missionibus, Socios numerabat 528.

Eadem, ut diximus, die, qua Provinciam Campaniae, Pater Beckx *Missourianam* quoque Provinciam constituit. Missionis enim Missourianae, quae 24 Decembri 1839 ad Vice-Provinciae gradum evecta erat, conditio fuit prospera valde. Quare cum, qui Assistens postea factus est, Pater Felix Sopranis, tanquam Americae Septentrionalis Visitator (1859-1864), Vice-Provinciam Missourianam lustraret, felici progressu ejus contentus ipse, putavit complures sibi suppetere causas cur eorum faveret desiderio, qui ad gradum Provinciae eam evehi cuperent: ejus enim ineunte 1863, in Domibus 16, Socii erant 194. Ineunte igitur anno 1863, ad Patrem Beckx scribens:

[1] * *Litt. ann. Prov. Camp., ad an. 1873.*
[2] *Litt. ann. Prov. Franciae et Camp., an. 1863.*

« Hinc et inde, inquit, non semel deprehendi in hac Vice-Provincia aliquod enutriri in corde desiderium, quod Paternitas Vestra e medio tollat illud *Vice* et decernat Missourianam esse Provinciam. Anno elapso cum Visitatorem hic peragerem, fuit qui voluisset mihi persuadere *id deberi*, sed ei ego tunc respondi, id negotii Adm. Reverendo Patri Nostro relinquendum. Nunc motu proprio rem hanc Paternitati Vestrae considerandam propono. Hoc enim si fieret, ut ego existimo, vehementer conduceret ad animos corrigendos horum Patrum, qui altioribus quidem studiis ut plurimum, sed non ex ipsorum culpa, destituuntur, non vero Societatis amore genuino et efficaci voluntate se totos impendendi et superimpendendi ad majorem Dei gloriam, juxta spiritum Societatis ejusdem. Addo insuper (ut minus sapiens loquor) hoc ut fiat aequum esse videtur comparatione instituta inter Hiberniam olim Vice-Provinciam et praesentem Vice-Provinciam Missourianam »[1].

Quae petitio, Romae accepta, quem optaverant, exitum habuit. Etenim anno ferme post, 30 Majo 1863, Pater Beckx Vice-Praeposito Ferdinando Coosemans dum renuntiabat, quantopere Vice-Provincia esset contentus: « Gratias, inquit, ago plurimas pro bonis notitiis super statu Vice-Provinciae, quae quidem magnam mihi consolationem attulerunt, cum videam Socios generatim non tantum optime dispositos et strenue laborantes, sed et abundantem fructum colligentes ».

Unde occasione arrepta dicendi de consilio, quod secum iniisset, ut ad gradum Provinciae eos proveheret, « Hinc et ego, inquit, jam cogitabam de tollendo isto *Vice* ut sit deinceps Provincia Missouriana, et cupio omnino hac in re, quantocius fieri possit, desiderio a Reverentia Vestra expresso satisfacere: at non levis hoc momento ratio obstat, scilicet politicus rerum status qui modo apud vos obtinet, et cum adeo incertus sit, prohibet ne definitive quid statuatur. Minime enim scimus adhuc, utrum, quae hodie cohaerent, disjungenda non sint; aut in unum sint conjungenda quae modo ab invicem sint disjuncta, facta scilicet nova Domuum nostrarum in Provincias divisione, prout status politicus Americae requisierit. Interim speremus fore ut Dominus pergat misericordia sua vos protegere et Providentia sua gubernare »[2].

[1] * *Sopranis* I-III, 9, (*2 Mart. 1862*).
[2] * *Reg. Miss.*, T. II, p. 112.

Eodem tamen exeunte anno, cum incerta ista, qua se impediri dixerat, rerum conditio suam nacta esset firmitatem, 3 Decembri, die Sancto Francisco Xaverio sacra, Pater Beckx, bona Sociorum studia fovere et augere cupiens, decrevit « ut ista Vice-Provincia in Provinciam nostrae Societatis erigeretur, atque juribus omnibus quae per Constitutiones et Congregationum Generalium Decreta Provinciis attributa essent, ab illo ipso die gauderet »[1]. Sic ille, bonus quippe Pater, in hoc ipsum intentus animo semper erat ut filios beneficiis afficeret, laudaret, animos eis faceret: nimirum, ut Franciscus ille Salesius, persuasum habens sibi, una mellis guttula plures capi muscas quam dolio aceti pleno.

Supremum autem ejusmodi beneficium a Patre Beckx collatum est in *Hispaniam* et *Lusitaniam*, erigendis, ipsa die Sacratissimo Cordi dicata, Toletana et Lusitaniae Provinciis. Diximus, in dividenda Hispaniae Provincia, anno 1863, Castellanae potiores tum regionum amplitudine tum domiciliorum numero factas esse partes; fundatam enim jam tunc ab Adm. R. Patre Nostro foveri spem, fore ut Provincia Castellana cresceret denuoque jam scindi posset; et jamjam innuimus ea spe Patrem Generalem minime destitutum fuisse. Etenim Provinciae Castellanae, cujus anno 1863, in Domibus 14 et 3 Missionibus, Socii erant 590, jam ineunte 1880, id est 17 post annis, Socii numerabantur 909 in 59 Domibus: quorum pars magna in Missionibus atque in Lusitania erant. Nil ergo miraberis, jam dudum de nova partitione instituenda consilium fuisse initum. Qua de re, in Decreto anni 1880, Pater Beckx: « Quum anno, inquit, 1863, die S. Patri Nostro Ignatio sacro, Hispaniae Provincia in Castellanam et Aragonensem divideretur, Castellanae fines ita designavimus, ut simul futurae ejusdem Provinciae partitionis eventui prospiceremus. Jam tum enim ex felici cursu, quem res nostrae Hispaniae in ipsa temporum iniquitate tenuerant, fas erat conjicere futurum esse brevi, ut Provincia etiam tertia constitui posset. Nempe laeta illa spes nos non fefellit, quum opitulante Deo, omnium bonorum auctore, strenuoque Patrum nostrorum labore atque industria effectum sit, ut abhinc elapsis duodecim annis jam alia partitio opportuna videretur, eademque ab ultima Congregatione Provinciae Castellae sit postulata, orta vero eo tempore nova

[1] *Reg. Missour., ad 3 Dec. 1868.*

regni Hispaniae perturbatione, ad effectum id quod postulatum erat, deduci non potuit. Annis vero, qui subsecuti sunt, lenioribus magis tranquillis ita usa est Castellae Provincia, ut numero aucta sit longe majore et ita fines extenderit suos, ut eam perlustrare, moderari omnibusque ejus partibus apte satisfacere, uni Praeposito difficillimum evaserit »[1].

Eas igitur ob causas, Adm. R. Pater Beckx, anno 1880, die 4 Junio, in festo Sacratissimi Cordis Jesu haec decernit: Castellanam Provinciam ita esse dividendam, ut, retento alteri parti Provinciae Castellae nomine, altera *Toletana* vocetur. Isti Toletanae Provinciae attribui Castellam Novam, Extremam Duriam, Murciam, Baeticam et insulas Canarienses: Domos proinde istis in regionibus sitas et praeterea Domos, quae postea constitui contigerit in tota ea regione, quae olim ad Provincias Toletanam et Baeticam pertineret. Provinciam vero *Castellanam* antiquos Provinciae ejusdem nominis fines complecti: Castellam videlicet Veterem, Legionem, Navarram, Provincias quae Vascae dicantur, Astures et Gallaeciam. Fore item ut Domos possideat istis regionibus contentas, quibus Seminarium Nostrorum Poyanense adjungatur. Ad Missiones quod attineat, penes Toletanam Provinciam fore Aequatorianam et nominetenus Portoricense Collegium. Reliquas Missiones, Peruviana, Centro-Americana et insulae Cubae Collegia fore ut ad Provinciam Castellanam pertineant.

Eam porro maximi momenti partitionem ipsasque novas Provincias Pater Beckx commendat Sanctissimo Cordi Jesu Salvatoris Nostri, ad quod demisse prostratus firma supplicat fiducia, ut ratam hanc de caelo habeat divisionem, novasque Castellanam et Toletanam Provincias gratia sua ita tueatur ac foveat, ut populus istic Deo serviens et merito et numero augeatur[2]. Qua facta divisione, Provinciae Toletanae erant, in Domibus 24, Socii 230, ad quos accedebant ex aliis Provinciis 168; Provincia vero Castellana, in Domibus 28, Socios numerabat 656. Neque vero omittendum hoc loco est, a Castellana Provincia eas quoque Domos Sociosque detractos, qui in Missione Lusitaniae erant, quippe quae eodem die, 4 Junio 1880, ad Provinciae gradum provecta sit.

Cujus erectionis decretum abs re haud fuerit aliquanto majori

[1] * *Regist. Prov. Tolet., ad 4 Junii 1880.*
[2] * *Registr. Prov. Tol., ad an. 1880. 4 Junio.*

diligentia attendisse. Sermonem igitur exorsus, A. R. Pater Beckx : « Quantopere, inquit, Societas nostra in tota *Lusitaniae* ditione olim floruerit, compertum omnes habemus. A primis enim suae originis annis a piissimis Regibus et Principibus expetita ac eorum auctoritate et patrocinio fulta, adeo praestantium Sociorum numero et qualitate excrevit, ut brevi non solum in toto regni ambitu sit diffusa sed ad ultimas usque Orientis plagas sacrum crucis vexillum deferre, innumeras gentes ad Jesu Christi cognitionem et amorem adducere, ac longa annorum serie sanctam Catholicam fidem tueri ac dilatare licuerit. Dum vero res omnes nostrae felici cursu procedere videbantur et semen evangelicae doctrinae quotidie laetiores edebat fructus, venit inimicus homo et in medio tritici superseminavit zizania. Inscrutabili quippe judicio permisit Deus ut calumniis atque insidiis appetita omnique contumeliarum genere vexata et oppressa, tandem, ad finem vergente anteriori saeculo, ex toto regno et universis regni possessionibus ejiceretur. Quae autem et quanta, hac saeviente persecutione, qua nulla acrior ac longior exstiterat, passi sint nostri antecessores, non est hujus temporis nec loci singillatim enarrare » [1].

Restituta postmodum Societas sero atque aegre renata est in regno Lusitaniae; magnis vero cincta periculis magnisque difficultatibus circumsepta, sensim adolescens corroborabatur. At dictu tamen vix credibile est, in ea regione, unde antiqua illa Lusitaniae Provincia tot exteris Missionibus, quas moderaretur, operarios submitteret diligentes ac strenuos, Societatem ad annum usque 1880 e Missionis conditione non esse eluctatam. « Forsitan, inquit annalium scriptor, ut solent Dei consilia ab nostris cogitationibus longe distare, haec ipsa languida et afflicta exordia vitam huic parti Societatis nobilissimae promittunt diuturnam ac florentissimam » [2]. Ac reapse si Domus excipias Ulissiponensem et Conimbricensem, quas ab anno 1830 ad annum 1833 vel 1834 incolebant e Gallia Patres, jam centesimus omnino volvebatur annus, ex quo Societas Jesu e Lusitaniae finibus per immane nefas exsulare jussa fuerat, cum denique, piis Patris Caroli Rademaker [3] desideriis et laboribus

[1] * *Decr. erect. Registr. Prov. Lusit., ad 4 Junii 1880.*

[2] * *Litt. ann. Proc. Castell., ad an. 1865, Missiones*, p. 28.

[3] Pater Rademaker, natus 1 Junio 1828, ingressus 26 Oct. 1846, primus Superior Ulissipone 1856. Anno 1886 Pater Beckx narravit Patri Martin et Patri da

obsecundante Deo, anno 1858, Sacerdotes duo et Adjutores Fratres nonnulli ab Adm. R. Patre N. Beckx in Lusitaniam missi sunt, qui eidem Patri Rademaker opem ferrent et Societatem restituere aggrederentur. His accesserunt juvenes aliqui Lusitani per id tempus in Societatem admissi; nec non alii atque alii exteri Patres, praesertim Itali, quos A. R. Pater Generalis suppetias venire jussit. Porro e catalogis apparet, numerum Sociorum, constituto anno 1860 Tirocinio, deinceps non esse unquam imminutum, verum quotannis incrementum adscribi potuisse aliquod [1]. Ineunte demum anno 1879 erant Missionis Lusitanae, in Domibus 8, 110 Socii; qui numerus anno insequenti factus est Domuum 9, Sociorum 118.

Plane igitur erat cur Pater Beckx, laeto gavisus incremento, haec diceret: « Tandem vero, inquit, clementissimus Deus misericordiae recordatus est: et ultimo tempore Societatem in hoc regno ad novam vitam revocavit. Quasi granum sinapis a Domino in terra absconditum, praeter spem exorta, paulatim radices egit et crevit in arborem ac in diversas urbes et loca ramos suos extendit. Qui attenta mente hujus novellae plantae ortum et progressum consideraverit, non sine pia animi commotione cum Psalmista exclamare cogetur: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris!*

« Auctus est brevi tempore Sociorum numerus et multiplicata sunt domicilia; erecta pro juventutis institutione tria Collegia; fundata Domus Tirocinii et Probationis, ubi nostri Ordinis candidati ad vitae religiosae normam efformantur et litteris ac scientiis operam navant. In quinque Residentiis Patres nostri animarum saluti suam impendunt operam, vel per diversa loca excurrentes populos in pietate christiana ac bonis moribus erudiunt et provehunt ».

Quamobrem P. Beckx cum ad gratam animi memoriam erga Deum atque strenuos illius Missionis Socios se ferri diceret, voluit ipse, bonus pater filiis, eximio beneficio donatis, novos animos addere. Etenim:

« Insignia, inquit, haec divinae misericordiae beneficia grato animo recolentes ejusque consiliis obsecundare cupientes, ac certa

Cruz, qui erat ad Congr. Procuratorum delegatus: « Quand je devins Général (1853) la Province de Portugal se composait d'un membre et demi. Le membre était un Père vivant en cachette à Lisbonne, le demi-membre un novice au Noviciat de Turin ». P. CHANDLERY, in: *Le Très Rév. Père Luis Martin*, p. 31.

[1] * *Litt. ann. Prov. Lus. 1880 ss. Prooemium.*

spe freti validos nos addituros stimulos Lusitanae Missionis Sodalibus, ut praeclara majorum exempla impensius aemulentur, quod jam diu erat in votis, Lusitanam Missionem in Provinciarum numerum cooptandam tandem decrevimus ».

Demonstrabat porro, quoniam probe cognosceret, quantum ab origine sua Societas Sanctissimo Cordi fuisset addicta, quanto zelo et studio ejus cultum tum in Lusitania tum alibi propagasset, hinc solemnem diem divinissimo Cordi sacram esse a se electam, ut eam Lusitanae Provinciae gratiam praestaret. Itaque ratione habita Lusitaniae, quod regnum esset nulli alteri potentiae obnoxium, libenter annuente Castellana Provincia, a cujus Praeposito Lusitani eousque regerentur, adhibito Patrum Assistentium consilio et suppliciter implorato lumine Spiritus Sancti, decretum a se esse, Lusitanam Missionem elevandam ad proprii nominis Provinciam, ad eamdemque pertinere Collegia et Domus, quae in Lusitaniae regno exsisterent aut imposterum Deo favente essent instituendae. Finem denique hujus documenti facturus, quo pater ipse aetate provectus intimum animi amorem filiis exhibet, Deum omnium bonorum fontem humiliter deprecatur, ut quae ad ejus majorem gloriam decreverit, rata habeat et confirmet, novam Lusitaniae Provinciam superno tueatur praesidio eamque incolumem conservet et donis caelestibus continuo augeat, Sociosque omnes, qui adsint quique futuri, sua gratia excitet et juvet ad istius populi pacem et salutem aeternam comparandam. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Erant, ineunte 1881, recens erectae Provinciae, in Domibus 9, Socii 128.

Eam fuisse ultimam a Patre Beckx erectam Provinciam, jam diximus. Praeterea quidem Provinciae alicujus mutatum nomen est [1] et pauca quaedam in Missionibus ab eo statuta, verum dilatandae Societatis egregium opus absolutum ei erat. Ejus enim diuturni regiminis tempore, id est ab anno 1853 ad 1884, quo gubernandam Societatem Patri Anderledy tradidit, Provinciarum numerus e 17 factus erat 23; Sociorum vero census, quo 5209 antea numerabantur, jam Sodales referebat 11.480.

[1] Ineunte 1871, Provincia Austriaca, quippe cujus essent in Hungaria Domus aliquot, dicta est Austriaco-Hungarica.

Praeterquam vero quod numero Societatem augeri spirituque vigere vidit Pater Beckx, multae fuerunt aliae res solatio plenae, quibus regiminis sui tempore, commotissimo simul atque aerumnoso, frui tamen ei licuit. Ipse enim caelestis Pater, inter innumeras vexationes, suis animum daturus servis, tristes laetis diebus solet commutare. Ita Praeposito Generali septies contigit ut Socios ad altarium honores a Pio PP. IX evectos viderit: *Beatos* 77, *Sanctorum* praeterea fastis adscriptos 3. Qui erant Patri Beckx laetissimi dies. Annis quoque 1869-1870 communi totius christiani nominis laetitia exsultavit, celebrato Concilio Vaticano, cui intererant e Sociis Vicarii Apostolici 7; multi autem sive Pontificis sive Episcoporum theologi.

Supremos regiminis annos 10, ab exeunte 1873 ad 1884 ineuntem, Pater Beckx in exsilio degit. Spoliatus nimirum Domo Professa ad Templum Farnesianum, Collegio Romano, Exercitiorum Domo Sancti Eusebii, Probationis Domo Sancti Andreae et Templo Sancti Vitalis, tum vale suis dicto, longaque coram altari S. Ignatii fusa oratione, osculatus denique carissimi sibi sanctuarii solium, 30 Octobri 1873, Faesulas, prope a Florentia, profectus est. Suprema ejus ad Socios vox fuerat haec: *Beati estis cum persecuti vos fuerint*[1], qua ipsius sane Praepositi Generalis conditio imprimis referebatur: beatus quippe vir, qui, soli Deo impensa vita integra, tandem martyrum corona aliquando cinctus vita cedit. Ad Faesulanam dehinc solitudinem, quasi ad loca sancta, peregrinantium more, non Societatis modo filii, sed alii quoque plurimi se conferre solebant, exsulem senem sanctum veneraturi.

Eorum quippe unus, « Juvat, inquit, intimo meminisse animo senis illius tam demissi, a quo exceptus ibi sum; meminisse, inquam, cum magno meo gaudio, juvat quam esset ille comiter venerabundus, quam expeditus obsequio mentis, quam ample ac pellucide sagax, quanto imprimis fervore intime Deo devotus. Me certe agrorum iste prospectus amoenissimus, dum e summo colle amplissimam Tusciae partem delectatus conspiciebam, minore quasi defixum admiratione tenebat quam vultus ille atque aspectus viri mitis et tranquilli, A. R. Patris Beckx. Animi quidem dolor gravesque aerumnae faciem illius nobilissimam quibusdam quasi sul-

[1] Matth., v, 11.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cis inciderant, deturparant vero aut deformarant nequaquam; sed limpidissimam frontem ejus mansuetudo pacifica tanquam emissis circumcirca radiis collustrabat » [1].

Pater Beckx per annos 30 ita praefuerat Societati, ut regiminis ejus indolem recte quis his verbis, *suaviter et fortiter*, haud scio an priorem illam prae altera voce paulo magis premendo, referre possit. Quam a Patre Roothaan acceperat tesseram, *Paulatim et solide, sed tamen provehi cupio*, eam agendi rationem perpetuo exsequebatur. Si qui forte, acriore industria abrepti, eum in agendo esse lentiorem censuerant, procedente tamen tempore confessi sunt omnes, eum recte sensisse atque egisse; ut haud incongrue de eo quispiam dixerit: *Disponebat omnia suaviter, attingebat a fine ad finem fortiter*. Ac sane, ut erat in dijudicandis rebus difficillimis sagaciter perspicax, in iis vero pertractandis paratissimus, atque in exsequendis decretis animo firmissimus, dicendus est insigni sapientia gubernasse Societatem.

Aetatis annum undenonagesimum, supremi vero in Societate regiminis tricesimum ingressus, Pater Beckx, « litteris ad omnes Provinciales datis, die 11 Maji anni 1883. Congregationem Generalem a se decretam significavit, et deinde eam in diem 15 Septembris indixit. Inchoata igitur est Congregatio Romae in Collegio Germanico die proxime sequenti, 16 scilicet Septembris, qua dies festus Mariae Perdolentis recolebatur. In primae actionis ingressu Adm. R. Pater Beckx declaravit praecipuum Congregationis cogendae finem fuisse electionem Vicarii, qui sibi aetate jam provecta et viribus sensim deficientibus auxilium praeberet et deinde jure proprio cum plena potestate succederet. Hoc consilium diu antea cum Patribus Assistentibus agitatum, iisque omnibus consentientibus, se Pontifici Maximo, Leoni XIII, exposuisse, qui rem diligenter cognitam approbavit et illius efficiendae facultatem benignissime concessit. Statuit Congregatio Vicarium perpetuum eligendum esse, qui Patris Nostri adjutor esset et jus haberet ei succedendi; Vicarii potestatem nequaquam a Congregatione definiendam esse, sed tantum ei attributum iri auctoritatis quantum Pater Noster qui ejus auxilio sublevandus esset, ei impertiri voluisset. Die igitur 24 Septembris, prima suffragatione, mira concordia conspirantibus

[1] Ill. DE CABRIÈRES, Alloc. habit. in exseq. A. R. P. Beckx, Monte Pessulano.

paene tribus suffragiorum quartis partibus, electus est Pater Antonius Maria Anderledy, Assistens Germaniae.

« Quum PP. Assistentes et Admonitor laudabiliter officium suum renuntiassent, die quinta Octobris electi sunt Assistens Italiae Pater Matthaeus Ciravegna, Rector Domus Probationis Cheriensis; Assistens Germaniae Pater Gaspar Hoevel, Rector Collegii Ditton-Hall, quod in Anglia habebat Provincia Germaniae; Assistens Galliae Pater Guilelmus Blanchard, Elector Provinciae Tolosanae; Assistens Hispaniae, Pater Joannes Josephus de la Torre, Elector Provinciae Toletanae; Assistens demum Angliae Pater Josephus Keller, Rector Collegii Woodstockiensis »[1].

Ab eadem Congregatione Generali complura deinceps discussa ac salubriter statuta sunt de studiis ordinandis, de Nostrorum externorumque institutione, de paupertate et de disciplina domestica severe observanda.

Tandem per acclamationem Congregatio: « universae Societatis nomine, Admodum Reverendo Patri Nostro Petro Beckx grati animi et amoris sensus » significavit, « tum ob prudentem sollicitudinem et charitatem, qua et providisset, ut Vicarius perpetuus cum jure successionis, annuente Summo Pontifice, eligeretur, et in hujus aliorumque negotiorum tractatione ita Congregationi praefuisset, ut omnia debita charitate et libertate secundum leges nostras peragerentur; tum etiam ob insignem prudentiam, fortitudinem, constantiam atque patientiam, quibus Societatem in tantis tempestatibus tam multis annis gubernasset ». Denique « Congregatio declaravit, Societatem Jesu lubentissimo et gravissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere, a D. N. Jesu Christo ipsi commissum, devotionis erga divinissimum Cor suum colendae, fovendae ac propagandae », statuitque « ut dies festus SS. Cordis Jesu inter solemniores in Societate haberetur et quotannis majori qua fieri posset pompa celebraretur »; deinde « ut die 5 Decembris proximi anni, quo occurreret dies festus saecularis, quo Prima Primaria Congregatio Mariana constituta esset, Societas, quemadmodum solemniter Sacratissimo Cordi Jesu se totam devovisset ac sacrasset, ita etiam solemniter se totam devoveret, ac sacraret

[1] *Congregatio XXIII*, decr. I ss. In *Instituto S. J.*, II, 496 ss.

SS. Cordi B. Mariae Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluisset, coleret, ac cultura esset » [1].

Facto deinde verbo, quo paterne, solemniter ac nervose suis gratularetur, actisque gratiis eos cohortaretur, Pater Beckx, 23 Octobri 1883, Congregationi finem imposuit.

Tum, die 11 Majo 1884, Pater Beckx, ad Societatem scribens, vale fratribus omnibus dicturus, actis Domino Deo gratiis, « Post Deum, inquit, vobis omnibus sint gratiae, Patres et Fratres carissimi, pro vestra in me benevolentia, cujus plura atque etiam praeclara testimonia, meo in corde sculpta, usque ad vitae exitum peramanter servabo. Vobis tamen praecipuae sint gratiae, qui in partem regiminis vocati, ad vestrum pro me studium in Societatis administratione etiam levamen atque auxilium contulistis. Digna pro factis praemia singulis vobis rependat Deus. Interea vero mihi Deus testis est, quod semper, uti filios meos, vos omnes dilexi, ac proinde vestrum bonum prae oculis habui. Si vires defecerunt, nunquam defecit haec mea firma voluntas. Sed neque unquam deficiet paterna erga vos dilectio, qua magis quam antea cor meum nunc fervet. Haec propterea vos omnes semper in Christo amplecti urgebit, haec fervidas pro vobis ad Deum preces fundere, haec pro viribus vestrae utilitati studere, haec in meo corde vos semper habere » [2].

Brevi autem tempore post, Pater Beckx, anno 1884 Romam profectus est, ad mortem se pie compositurus. Primum duos annos et dimidium in S. Andreae commoratus est; postmodum vero, cum sternendae viae causa ea Domus diruenda esset, per menses aliquot in Collegio Germanico degit, ubi pie in Domino defunctus est, 4 Martio 1887 [3].

Ex innumeris laudationibus, concionibus funebribus ac litteris, quibus, vita functus, Pater Beckx celebratus passim est, seligere lubet hoc loco exscribendum codicillum unum, quem pulcher-

[1] *Instit. S. J.*, II, p. 511-512.

[2] *Ad Patres et Fratres S. J.*, 11 Maji 1884.

[3] *P. M. A. Verstraeten S. J. Leven van den Hoogeerw. Pater Petrus Beckx, XXII Generaal der Sociëteit van Jezus*, Antwerpen 1889. Cujus libri compendium Germanice elaboratum est a Patre Jos. Martin, S. J. Ravensberg; quod in Italicam quoque linguam conversum est: *P. Pietro Beckx, Cenni storici e biografici*, Torino 1909. *Stimmen aus M.-L.*, B. 32 (1887), p. 265 ss. H. Gruber, S. J., *Ergänzungsheft, Stimm. a. M.-L.*, 45, p. 122-124.

rimum simul atque incognitum adhuc, Patri Anderledy 18 Majo misit Illustrissimus Ludovicus Ruffo Scilla, Archiepiscopus Chietensis:

« Rogo, inquit, Paternitatem Vestram, quae Societatis Jesu supremum est caput, ut doloris mei significationem accipere velit, quam in ejus persona universae Societati Jesu, mortuo Patre Petro Beckx, exhibere volui. Ille enim non modo benedictae Ignatii filiorum phalangis praeclarus Moderator, verum etiam ingenuum sanctitatis exemplar fuit. Quo erat zelo revera apostolico, quo angelico animo, qua incomparabili magnanimitate, dixerimus eum hominem plane singularem, inter eos adnumerandum, qui Ecclesiam nostrumque hoc saeculum maxime illustrarint. Nec solum id mihi propositum nunc est, ut una cum venerandis meis confratribus Episcopis debitum tanto homini impendam honoris tributum, cujus obitu plane dici possit lugere Ecclesia, verum etiam grati animi debitum reddere volo caritati illius ac Societatis, qui huic meae Dioecesi tot numero beneficia contulerunt atque etiam nunc conferunt » [1].

Diximus universam Societatem gubernandam jam ab anno 1884 commissam fuisse Patri Ant. M. Anderledy, Vicario, qui ipsa morte Patris Beckx Praepositus Generalis factus est. Berisali, in Helvetiae loco, natus 3 Junio 1819, literaria studia absolvit in Brigensi Societatis Collegio, ubi ingenio omnes facile superavit; ibidem Tirocinium ingressus 5 Octobri 1888, dein prioribus annis duobus, P. Josepho Kleutgen magistro, studiis operam dedit. Postmodum, magisterio per duos annos Friburgi in Helvetia functus, theologicis disciplinis incubuit Romae et Friburgi; ubi, ingenio excellens, disputator adeo tenaciter diligens erat, ut ei aliquando minitans Pater Perrone dixerit: « Quiescat, secus irascar ». Anno dein 1847, cum saeva Societati in Helvetia irrueret procella, omnibus quaerendum fuit quo tuti possent confugere. Genebam igitur petens Frater Anderledy cum a militibus invaderetur, qui furentes ei inclamarent « Jesuita es tu! ». « Quem, inquit ille, Jesuitam dicitis? ». Atque illis horrendum quodpiam portentum conviciando describentibus, indignatus ille « Mene igitur, inquit, scelestum ejusmodi hominem putasti! ». Quo audito liberum eum dimiserunt.

[1] * *Beckx*, vol. II.

Mox cum Camberiacensis quoque Collegii incolae expellerentur, a Superioribus Anderledy ad civitatem S. Ludovici in Americam Septentrionalem missus, ut Theologiae operam dare pergeret, Sacerdotio initiatus est 29 Septembri 1848. Qui cum Anglice, Gallice et Germanice loqueretur, inde ab autumno 1849 in Missionis statione loci Greenby sacro ministerio fungi coeperat; verum insequenti jam anno in Europam revocatus, tertio Probationis anno Truncinii in Belgio functus, deinceps ingenti popularium in Germania Missionum operi applicatus est. Non modo natus ille orator, verum etiam tum doctrina tum ipso rerum usu institutus, atque, quamvis juvenis esset, hominum mores et ingenia haud minus quam res gerendas rite edoctus, dogmaticae praeterea et moralis Theologiae scientia plene instructus, hominum animos, etiam ubi cum praeclaro illo Patre Petro Roh simul degebat, ita capere atque commovere valuit, ut insignis haud dubio Missionarius futurus fuerit, nisi corporis defecissent vires. Ea vero de causa Coloniensis Collegii Rector nominatus, jam ad mortem usque, tribus illis exceptis annis, quibus in Lacensi Nostrorum Collegio Lectorem egit, Superioris munere functus est. Anno autem 1870 vocatus Romam, ut Assistens Germaniae esset, gravissimum istud munus ad eum diem obivit, quo, 24 Septembri 1883, Vicarius Generalis creatus est.

Superior ille ac Praepositus Generalis, hoc semper inceptum et studium prosecutus est, ut virorum animos, ad Christum hujusque Ecclesiam reductos, Sacramentis suscipiendis vitaeque ingenue Christianae assuefaceret. In hac enim sententia erat, haud debere fidem ac religionem, impia quae tunc erat animorum dispositione quasi fugatam, intra monialium claustra, puellarum domos, infantiumque cellas se recipere; verum immensa antiquarum basilicarum spatia esse denuo viris implendas; per virum porro moderandum religione familiis, per virum religione penetrandam scientiam. artes, vitam popularem ac civilem, universam denique hominum societatem, ita ut in Christo omnia instaurarentur. Hoc igitur propositum sibi habens ut viriles faceret animos, dulciculae recentiorum spiritualis vitae institutioni haud usquam pepercit, verum ad priscos illos pietatis magistros dicebat esse redeundum.

Neque alium finem, scholastica institutione tenaciter vindicanda, persecutus est. Qui cum esset infestissimus voluptatum cupiditati delicataeque vitae. cui faveret modernorum levis eruditio ac cele-

riter conquisita encyclopaedica ista quae dicitur scientia, nostrae Rationi Studiorum firmiter inhaerens, scholasticam ubicumque poterat Philosophiam ac Theologiam promovit. Mirum igitur non est, qui jam, Provinciae Praepositus cum esset, scientificos Germaniae labores adeo provexisset, ut Garciae Moreno petenti magistros polytechnici, quod dicunt, instituti, praestare potuerit, ab eodem. Generali Praeposito, nihil non tentatum ut Scriptoribus doctisque viris auxilio subveniret.

Societatis autem persecutionem, quae neque ipso gubernante deerat, Pater Anderledy praecipuum honorem ac quasi ornamentum esse censuit, quod ab illo ei concederetur Duce, qui inde a praesepio ad crucem usque in paupertate, infamia, conviciis ipse vixisset, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. His ille rebus gloriatus, scripsit *De cruento BB. Edmundi Campiani et sociorum ac de incruento nobis subeundo martyrio* (1887) [1]. In eodem magnam partem argumento versatur, quam per occasionem canonizationis Petri Claver, Joannis Berchmans ac Alphonsi Rodriguez dedit epistolam, *De repetenda subinde Sanctorum Petri, Joannis et Alphonsi praeclare gestorum memoria* (1890) [2]. Magna quoque dicendi vi ad religiosam virtutem filios incitavit, in saeculari S. Aloysii memoria datis litteris, *De vanitate rerum humanarum exemplo S. Aloysii contemnenda* (1891) [3]. Nec vero Jesu ille Socius fuisset, nec Societatis Jesu Praepositus Generalis, si Sacrum Jesu Cor ardentissima veneratione non fuisset prosecutus. Omnium igitur in animis amorem Jesu Cordis confirmare, praecipue vero Sacerdotibus dilatandum eum cultum summopere commendare volens, scripsit *De munere provehendi cultum SS. Cordis Jesu Societati nostrae abhinc duobus saeculis demandato* (1888) [4]. Fuit autem Patris Anderledy erga S. Sedem obedientia singularis, quam praecipua quadam vi proposuit data epistola *De litteris encyclicis Sanctissimi Domini Leonis PP. XIII: Humanum genus* (1884) [5], in qua: « Decet hoc in primis, inquit, nostram Societatem, quae non alia de causa instituta est, quam ut serviat et obediat Summo Ponti-

[1] *Epist. Gen.*, Bruxellis 1908. Tom. IV, p. 26 ss.
[2] Ibid., p. 116 ss.
[3] Ibid., p. 218 ss.
[4] Ibid., p. 95 ss.
[5] Ibid., p. 1 ss.

fici. Auctore enim Sancto Ignatio nostrum est: *Sub Crucis vexillo Deo militare et soli Domino atque Romano Pontifici ejus in terris vicario servire*[1]. Hoc caput est in Instituti nostri formula, Vicario Christi a S. Patre Nostro oblata, eamque formulam consecuta est approbatio pontificia »[2].

Eam vel splendidius testatus est obedientiam sua significata assensione litteris illis, quas de subjectione a Catholicis ephemeridum scriptoribus Ecclesiae exhibenda ad Ill. Guibert scripserat Leo PP. XIII (1885).

Qua re summopere gavisus, Leo XIII Patri Anderledy multum fidedat; ad quem etiam Breve illud dedit *Dolemus inter alia*.

In gubernanda Societate, Pater Anderledy quamquam a 11.840 ad 13.275 Sociorum numerum auctum vidit, nova tamen erigenda Provincia haud opus esse ratus, Canadensem tantum Missionem, a Provincia Anglica separatam, sui juris esse jussit (1887). Obiit autem 18 Januario 1892 Faesulis, ubi toto regiminis tempore exsul degerat[3].

Vicarius Generalis designatus fuerat R. Pater Ludovicus Martin, Secretarii Substitutus, qui Patris Anderledy, cujus ipse mentem rite assecutus erat, his verbis obitum narravit:

« Ingenita animi fortitudo, quam semper prae se tulerat, nunquam ei ne cum morte colluctanti deesse visa fuit, sed ad extremum usque spiritum idem, qui semper fuerat, esse perrexit. Tandem post duos reliquos dies, viribus destitutus et morbo confectus, placide obiit in osculo Domini, mercedemque laborum suorum a Deo impetraturus, in coelum, ut speramus, evolavit »[4].

Litteris 23 Martio 1892 datis, R. Pater Ludovicus Martin Congregationem Generalem ad eligendum novum Societatis Praepositum indixit, nullo interim graves ob causas designato nec die nec loco. Eo autem quod in Urbe Congregationem Generalem ultra paucos dies protrahi non oportere judicaretur, Pater Vicarius, lit-

[1] *Constit. Pauli III, Regimini* in *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 4.

[2] *Epist. Gen.*, Tom. IV, p. 2.

[3] Indolem Patris Anderledy apte adumbravit P. Alex. Baumgartner, S. J., *Stimm. a. M.-L.* 1892, 42 B. p. 241 ss. Cf. A. Zimmermann, S. J., *Ergänzungsheft Stimm. a. M.-L.*, 63, p. 61-63.

[4] R. P. Martin, *Epist. ad PP. et FF. S. J.*

teris 20 Julio datis, Congregationi Generali inchoandae diem 24 Septembrem et locum Domum Loyolaeam praescripsit. Constituto igitur die, qui erat Beatae Mariae Virginis a Mercede sacer, Congregatio incepit, et die 2 Octobri, in Solemnitate Sacratissimi Rosarii B. Mariae Virginis, electus est Praepositus Generalis R. Pater Ludovicus Martin, Vicarius Generalis. Porro 10 Octobri Assistentes electi sunt: Assistens Italiae Pater Rogerius Freddi, Rector Collegii Scriptorum Civilitatis Catholicae; Assistens Germaniae Pater Mauritius Meschler, Rector Domus Probationis Blyenbeek; Assistens Galliae Pater Franciscus Grandidier; Assistens Hispaniae Pater Joannes Josephus de la Torre, uterque hoc munere proxime functus; Assistens Angliae Pater Jacobus Jones, Elector Provinciae Angliae [1].

Aliquarum dein Provinciarum significatum desiderium est, ut Praepositus Generalis denuo Romae sedem haberet: « Et Patres Congregati, considerantes multa et gravia incommoda, quae ex absentia Patris Nostri ab Urbe nascuntur, Provinciarum desiderium laudarunt et A. R. Patri N. Generali vehementer commendarunt, ut quam primum fieri posset, Romam remigraret. Ratione tamen habita difficultatum et periculorum, quae forte obsistere videntur, ejus prudentiae omnino reliquerunt perpendere adjuncta rerum, in quibus hujusmodi reditus, cum venia Summi Pontificis, tentari posset » [2].

Cum antea Provinciis extra Europam exsistentibus privilegia quaedam [3] in Procuratoribus mittendis facta essent, nunc vero Provincia Missouriana et Marylandiae-Neo-Eboracensis, ratae eadem itinerum incommoda jam non obtinere, peterent ut propter mutata temporum ac locorum adjuncta a privilegiis eximerentur, Congregatio fere unanimi consensu libentissime annuit [4]. Quaedam praeterea in Congregationibus habendis utiliter mutata sunt. Severe decretum quoque est de paupertate et de observanda religiosa disciplina. Habita dein ab A. R. Patre N. Ludovico Martin oratione, qua praecipuas Deo gratias egit ob singularem erga Societatem providentiam ac tutelam, in toto Congregationis apparandae,

[1] *Instit. S. J.*, l. c., p. 514-515.
[2] *Instit. S. J.*, l. c., p. 515-516.
[3] *Formula Congr. Prov.*, n. 37. *Instit. S. J.*, l. c., p. 610.
[4] *Instit. S. J.*, l. c., p. 516.

promovendae ac conficiendae negotio patefactam, absoluta sunt comitia [1].

Pater Ludovicus Martin Garcia natus est 19 Augusto 1846, in loco Melgar de Fernamental, passuum 25 millibus a Burgos sito, in Hispania. Erat quidem pater ejus solidis imbutus principiis vir; at matri praecipue, feminae egregie piae, multum debuit. Absolutis in Seminario minore studiis, annos natus 18 Burgos ad Seminarium S. Caroli venit, philosophicis disciplinis operam daturus. Tum ex improviso ejus quasi expergisci ingenium coeperat, quod esse mediocriter quidem bonum, at insolitis dotibus instructum ad illud usque tempus nequaquam apparuerat. Ipso quoque intime mutato animo, viam, qua ad sanctitatem eniteretur, strenue carpsit; at cogitatio religiosam vitam ineundi, immo ingrediendi Societatem, si quando subiret, eum quasi terrore perculsum tenebat. Neque vero dimisit eum divinae gratiae sollicitatio. Cum, anno 1863, in civitate Burgensi sedem Nostri fixissent, ad Octobrem anni 1864 producta colluctatione, Ludovicus Martin Societatem ingressus est Loyolae. Absoluto Tirocinio, humanioribus disciplinis operam dedit, magistro scilicet Patre illo Josepho de la Torre, qui postea Hispaniae Assistens factus est, primum quidem R. Patri Anderledy, dein ipsi suo discipulo Ludovico Martin (1883-1906). Qui primo statim initio tum ad litterarum studia et ad stilum, tum ad eloquentiam sacram exercendam praeclaris se dotibus ornatum ostendit. Anno 1868, civilium rerum perturbatores aufugiens, in Galliam se recepit. Disciplinis porro philosophicis ac theologicis operam dedit Valli et Poyanne, in regione Pyrenaeorum montium; anno dein 1876 Sacerdotio initiatus, triennio post dogmaticae Theologiae Lector nominatus est. Cujus cum ad gubernandum nihilo essent minores dotes, 25 Martio in Salmanticensi Seminario Rector simul ac Lector factus est. In docendo pellucide solidus, in regendo rerum agendarum peritus erat, cui duci tuto fidere possent; ceterum omnium animos ille sibi fiducia facile devinciebat. Verum infirma valetudine laboranti, anno 1885, periodicum, cui nomen *El mensajero del Corazon de Jesús*, dirigendum ei commissum est; quod eo moderatore valde profecit. Sed ad majora vocatus, anno 1886 magnum illud Bilbaense Col-

[1] *Instit. S. J.*, l. c., p. 520-524. Cf. etiam CHANDLERY S. J., *Le T. R. P. Luis Martin*, p. 60 ss.

legium inchoavit. Eodem quoque anno, cum ratione aetatis ad Congregationem Provincialem evocari nondum posset, electione tamen ad Congregationem Procuratorum deputatus est. Ubi cum Pater Anderledy insolitas ejus ad gubernandum dotes magis etiam spectasset, 8 Decembri eum Castellanae Provinciae praefecit. Anno dein 1887, a Patre Nostro invitatus est ut solemniis canonizationis Petri Claver, Joannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez spectator interesset. Tum vero, munere Praepositi Provinciae, anno 1891, decedentem Pater Anderledy Faesulas accivit. ut Substitutum Secretarii pro Assistentia Hispaniae eum constitueret; ejus enim in adornanda nova Instructione pro Ordinatione studiorum consiliis uti volebat. Haud vero ita multo post, 18 Januario 1892, vita cessit Adm. R. Pater Anderledy, Vicario Generali designato Patre Ludovico Martin. Quae erat ipsi gravissima plaga, eam Deus sapientissime disposuerat, ut ad universam Societatis praefecturam illum compararet; ea enim ipsi a Congregatione XXIV fuit demandata. Erat cur tali Praeposito Societas gauderet; unus quippe omnium in aestimandis egregiis viri dotibus consensus: ingenium sagax, scientia praeclara, rerum agendarum sensus egregius, ingens animi vis atque vigor conjunctus cum blanda facilitate, natus ille dux, intrepidus, in decernendo expeditus, firmus atque constans in exsequendo.

Electione peracta, Praepositus Generalis, annuente summo Societatis moderatore, Leone PP. XIII, complures Societatis Provincias obeundo invisit, in Gallia, Anglia, Hibernia, Belgio, Neerlandia, Germania, Italia; unde 10 Januario 1893 Faesulas venit. Annis dein amplius duobus post, 13 Januario 1895, Romam profectus, in Collegio Germanico sedem collocavit. Praeterquam quod consueto regiminis labori magna cura et diligentia diebus singulis incumbebat, continuo mente perpendens agitabat, qua ratione amori illi suo, quo in Societatem ferebatur, facere posset satis.

Praecipuas illi gratias Societas debet, quod tanto studio atque « animi insolito vigore curavit ut res nostrae antiquitus gestae scriptis historiis consignarentur. Inchoatum diu quieverat opus, quippe quod ulterius progressum non esset quam quo ab historiae Scriptorum nostrorum insignium ultimo illo, Patre Cordara, deductum fuerat. Prima igitur Praepositi Generalis cura fuit ut inquirendi methodus ac ratio, ad ipsas historiae leges modernorumque homi-

num studia quam maxime exacta, statueretur. Immo vero ipse, labore propemodum infinito temporisque ingenti dispendio, singulos Scriptores et tabulariorum inquisitores docebat, qua illi ratione opus exsequerentur suum » [1].

« Ille quippe, inquit Pater Pollen, adeo erat rerum historicarum, juxta scientiae quidem normas exactarum, toto animo studiosus ut pari diligentia instructos nusquam invenias multos, minime vero in iis regionibus, ubi litterarum studia et scientiae contemplatio ab historico inquirendi labore animos fere solet avertere » [2].

Qui cum Societatis historicas res e scientiae praeceptis atque absoluto labore describi percuperet, nosset vero ingentes praeparandi curas eo impendi oportere, omni qua poterat diligentia instabat ut tabularia perquirerentur singulaeque argumenti partes ex ordine in lucem ederentur. Ea igitur de causa *Monumenta historica Societatis* ut edi pergerent sedulo curavit; historicam quoque Societatis descriptionem confici jussit; nova institui voluit periodica, cujusmodi illud cui nomen *Razon y Fè*. Cui nec opinanti feliciter contigit ut historiae illius ipse videret partem primam, quam conscripsit Pater Astrain; dum, quo die mortuus est, anno 1907, Londini sub prelo jam erat pars prima ejus quae inscribitur *History of the Society of Jesus in North America*, auctore Patre T. Hughes. Fervebat, eo ipso tempore, aliorum complurium opus, ut Patrum Duhr, Braunsberger, Mercier, Tacchi Venturi.

Quod opportunum valde concessum ei solatium fuit, quippe cui permultas molestias Societatis in Gallia vexatio afferret.

« Gratias, inquit, agamus Deo pro cruce hac gravissima. Nimium enim quantum nos ad S. Petrum imitandum propensi sumus, abeuntem scilicet Appia via ut vexationem declinaret.... A quo tempore Praepositus Generalis constitutus sum, nostris in dies auctis molestiis, pejores semper factae sunt res Societatis. Vix aliquo ego in Societate vixi temporis spatio, quo non aut urgeret aut minitando impenderet persecutio. Anno 1868 expulsi Hispania sumus, e Gallia ejecti anno 1880. Meae, cum Praepositus Provinciae eram, sarcinae scriptaque prompta semper ac parata jacebant, ut quovis temporis

[1] CHANDLERY, *Le T. R. P. Luis Martin*, p. 75.
[2] *The Academy*, April 1906.

momento proficisci cum eis possem. In Germaniam vero ut redire possint Patres nostri, spes abjicienda omnis » [1].

Die 3 Majo 1912, quo tempore Nostri maxime misere expelli coepti sunt, Leo PP. XIII accivit Praepositum et ut vidit eum compellando, « Veni, inquit, huc, Pater Generalis, veni et mecum parumper conside ut consolemur inter nos: sunt enim tuae tibi sicut mihi meae graves molestiae ». Quo dicto integrae horae spatio conversati sunt. Rei autem a se narratae Praepositus Generalis addidit, diebus istis tristissimis fuisse sibi validae consolationis loco paternum illum Leonis XIII erga Societatem affectum.

Solabantur quoque Patrem Martin, quae saepius celebrata sunt, beatificationis solemnia. Summo enim honore illo insigniti sunt: Aprili mense 1893, Antonius Baldinucci et Rodulphus Aquaviva cum sociis; anno 1895, Bernardinus Realino; anno 1903, ex Hungaria Martyres tres. Neque minoris gaudii causa fuit Societatis, mediis etiam persecutionibus, laetum incrementum.

Quem eventum felicissimum, in ea, quam *De periculis temporum nostrorum cavendis* dedit, epistola filiis commonstrans, « Hortor vos, inquit, ut promeritas mecum solvatis laudes et gratias Deo ac Domino nostro, Patri misericordiarum, qui minimam hanc Societatem benignis aspexit oculis, ac postremis hisce temporibus fecit potentiam in brachio suo, ut illam contra irruentium inimicorum impetum suo numine tutaretur, et per medias difficultates augeret et propagaret. Qui enim summa largitate et sapientia usus est fideli ministro, ut illam a fundamentis excitaret, idem ac unus ipse, *ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae* in bonitate super nos in Christo Jesu, illam ab excidio revocare dignatus est. Nec satis fuit illam a funeribus excitare, quin etiam uberrima alens gratiae suae munerumque copia, mirifice suffulsit ac sustentavit, per totum diffudit terrarum orbem, ad eumque statum brevi perduxit, ut veluti prodigio, non modo obstupescant adversarii infensique hostes, sed nos ipsi vehementer admiremur ».

« Incredibili enim successu perculsi, illam numerosiore fecundam sobole, latiusque per orbem hisce primis octoginta annis propagatam gratulamur, quam totidem a primis exordiis factum fuisset. Neque haec ad rem exaggerandam et amplificandam dicta exi-

[1] Chandlery, *Le T. R. P. Luis Martin*, p. 96.

stimetis : prostant enim domesticae tabulae, Domorum Sociorumque numerum censentes, quae rem legentibus non dubiam testantur. Quo autem manifestius in hoc secundissimo rerum cursu appareat praesens miserentis numen ad Societatem tuendam atque dilatandam, prae oculis habendum est, primis illis conditae Societatis temporibus, cum ubique fides vigebat penitusque insita haerebat omnium animis, majores nostros non modo populorum, sed etiam publicae rei moderatorum praesidio et munificentia saepe usos fuisse, nactosque Romanos Pontifices, Ecclesiae Principes, sacrorum Antistites, Reges, optimates, magistratus, qui Professas Domus et Templa conderent, amplissima Collegia non solum exstruerent, sed et laute reditibus augerent, nostras ubivis Missiones proveherent et munifice sustentarent ».

« Sed vertit fortuna post restitutam Societatem. Ex quo enim Ecclesiam perduelles filii bonis omnibus spoliarunt, vel ipsis, qui amplissimis in illa aucti sunt dignitatibus, quique Societati nostrae sese mire propensi praestant, saepe facultas adempta est illa nobiscum liberalitate utendi, qua semper usi fuerunt qui in iisdem magistratibus anteiverant. A summis autem populorum ducibus reique publicae administris quandoque opem auxiliumque retulimus; sed saepe etiam omnis generis molestias et insectationes experti sumus. Nam multi falsis illis opinionibus, quas irridendo *liberales* vocant, enutriti alteque occupati, tantum abest ut Societati faverint illiusque incoepta secundaverint, ut non semel palam, ad internecionem usque indicto bello, illam inexorabiliter lacessiverint, infamia notaverint, bonis expilaverint, ac veluti humani generis perniciem ac pestem e suis urbibus exulem, extorrem egerint; nihil denique intentatum reliquerint ad illius nomen delendum. Deo igitur, Deoque uni accepta referenda est vita qua fruimur : illi Domus quae nos recipiunt; illi mira virtutis exuberantia, qua Societatis arbor ramos exserit lateque protendit ; illi omne genus adjumenta, quae abunde suppeditant ad Dei gloriam et animarum salutem procurandam. Ingenui ergo gratique est animi illi de tot benefactis, quae hucusque contulit, promeritas referre laudes et gratias; in eoque spes nostras omnes reponere et firmissime confidere praesentissimum illius numen nec in posterum nobis defuturum » [1].

[1] P. Martin, *Ad PP. et FF. S. J., Epist. Gen.*, Tom. IV, Bruxellis, 1908, p. 270-272.

Catalogos quotannis recipiens, Pater Martin primum omnium eam partem inspicere solebat, quae inscribitur *Conspectus Societatis Jesu* universae, visurus nimirum, cujus Provinciae amplissimum esset augmentum: perpetuum enim illud atque constans incrementum ajebat esse firmum divini erga Societatem amoris argumentum. Anno sane ineunte 1893, quo summum Societatis regimen suscepit, Socii erant numero 13.292; qui numerus brevi ante ejus obitum tempore excreverat ad 15.661.

Nec solum vita religiosissime sancta verum etiam verborum stimulo ad virtutem excitabat ingentem illum filiorum numerum. Hominum quippe naturae perspiciendae rerumque tractandarum valde peritum, sagaci quoque ac latissimo ingenio pollentem Pater Martin se exhibet ea, quam ad universam Societatem dedit, epistola *De aliquibus nostrorum temporum periculis cavendis* (1896) [1]. Ostendit enim, temporibus nostris duas esse praecipuas tentationes, animi levitatem et falsae libertatis amorem. Quas tentationes ait solido studiorum labore, iisque remediis quibus mentis effusioni obnitamur, esse vincendas; monet igitur ut Nostri caveant ab ista vana lectione, quae mentis levitatem enutriat atque Ignatiano spiritui e directo adversetur. Contra falsam vero libertatem enitendum obedientia, humilitate, modestia, vero Societatis amore. Quae dicta dein confirmat exemplis Beatorum illorum, qui altarium honoribus aucti nuper erant, Rodulphi Aquaviva et sociorum, Antonii Baldinucci, Bernardini Realino.

Anno denique 1900 Apostolicas Societati mittit litteras, « quibus Sanctissimus Dominus Leo XIII spiritualia Beati Parentis et Conditoris nostri Exercitia praeclaris cumulat laudibus; amplissimisque paternae caritatis significationibus prosequitur Provincias illas, quae Domos statuerunt, quo plures per annum in sacrum Exercitiorum secessum Christiani operarii se reciperent », addita etiam instructione, *Quo studio tradenda sint Exercitia Spiritualia S. P. N. Ignatii* (1900) [2].

Morbo cum jamdudum colluctatus esset bonus pater, neque ullo remedio juvari potuisset, sed dexterum brachium fuisset ei amputandum, quamquam affirmabat multo futurum fuisse optatius ut divinus noster Medicus ac Redemptor ipsum ex humanis istis mi-

[1] Ibid., p. 268 ss.
[2] Ibid., Tom. IV, p. 333 ss.

seriis eripuisset secumque recepisset, Patrum tamen Assistentium consiliis obsecutus, Societatem oravit ut ad Sacrum Cor Jesu secum Nostri vellent confugere. Tum vero « gratissimum mihi, inquit, est palam profiteri Societati universae, quam probata mihi fuerit et accepta facilitas, observantia, obedientia, quam mihi duodecim amplius his gubernationis meae annis semper praebuit, quaeque mihi gravissimum hoc onus tolerabilius reddidit, laudare simul tot eximiae caritatis significationes ».

Monet dein ut Redemptoris nostri vitae, passioni, morti et resurrectioni diligentissime commentandis se dedant, juxta methodum, quam Sanctus Parens noster Ignatius in Spiritualibus Exercitiis divino afflatu nos edocuerit [1]. Hoc ipsum ejus quasi testamentum fuit (1905); recreatio enim quae subsecuta est ex morbo haud longum tempus obtinuit. Nam ad Patres et Fratres Societatis Jesu scribens R. Pater Vicarius Generalis, Rogerius Freddi: « Februario mense, inquit, anni 1906 ineunte, iterum in morbum incidit, qui Patrem Nostrum dilectissimum brevi consumpsit. Heroicae patientiae, perfectae erga medicos ac infirmarios obedientiae, pietatis et aequanimitatis praeclara exempla praebuit, donec diu conflictatus animam Deo placidissime reddidit, die 18 Aprilis anni 1906. Erat vir egregiis prorsus mentis animique dotibus a natura ornatus, eximiis gratiae ac virtutum donis locupletatus a Deo, atque ad omnia fere munera, quibus in Societate Sacerdotes funguntur, peridoneus factus, in eisque ac praesertim in docendi gubernandique officiis magna cum laude versatus est. Vixdum juventutem egressus ad supremum Societatis magistratum a Congregatione Generali XXIV evectus, summo divini obsequii studio, eximia in Societatem atque adeo in universam Catholicam Ecclesiam caritate, perfecta in Summum Pontificem obedientia, indefesso labore, patientia invicta, singulari erga omnes sibi subditos benevolentia atque aequitate laboriosissimum ac perdifficile munus administravit » [2].

R. P. Rogerius Freddi, qui hanc encyclicam epistolam ad universam Societatem dedit, Vicarius Generalis a Patre Martin designatus erat, quo id fieri solet modo, obsignatis quippe litteris, quae

[1] *Epist. A. R. P. N. Ludovici Martin, gravissimi morbi sui occasione missa.* Ibid., p. 337 ss.

[2] *Epist. R. P. Vic. Gen. Rog. Freddi ad PP. et FF. S. J.*, 1906, 19 Aprili.

adstantibus omnibus, qui Romae tunc aderant, Professis, ipso obitus die ad vesperam resignatae sunt. De consilio igitur Patrum Assistentium R. Pater Vicarius Congregationem Generalem, litteris datis die 30 Aprilis, indixit in diem 31 Augusti ejusdem anni, Romae in Collegio Germanico cogendam. Die primo Septembris habita est prima Congregationis XXV sessio, in qua praeter alia electio facta est oratoris ad habendam concionem ipso electionis die; cui muneri ad plura secreta suffragia electus est Pater Franciscus Xaverius Wernz, Elector Provinciae Germaniae. Die octavo Septembris, qui fuerat praestitutus ut electio Praepositi Generalis in festum incideret Nativitatis Beatae Mariae Virginis, praemisso secundum formulam quatriduo servatisque aliis omnibus in Instituto praescriptis, Praepositus Generalis electus est R. Pater Franciscus Xaverius Wernz, Elector Provinciae Germaniae et Pontificiae Universitatis Gregorianae in Urbe Rector. Sexto post die, decimo quarto Septembris, qui ultimus erat quatridui ad electionem Assistentium constituti et quo festum celebratur Exaltationis Sanctae Crucis, electi sunt: Assistens Italiae, Pater Rogerius Freddi; Assistens Germaniae, Pater Wlodimirus Ledóchowski, Praepositus Provinciae Galicianae; Assistens Galliae, Pater Eduardus Fine; primus et tertius eodem munere proxime functi; Assistens Hispaniae, Pater Mathias Abad, Elector Provinciae Castellanae; Assistens Angliae, Pater Jacobus Hayes, Elector Provinciae Angliae [1].

Accepta deinde sunt Beatissimi Patris Pii X postulata duo, quorum alterum spectabat Leonis XIII Breve *Gravissime Nos*, de altioribus in Societate studiis; altero autem « SS. Dominus Societati etiam vehementer commendavit antiquam ejus Missionem in Japonia et praesertim Institutum studiorum superiorum in illa exculta regione constituendum ».

Congregatio igitur Generalis « paratissimam se professa est, tum pro speciali obedientia circa Missiones summo Pontifici ex Instituto debita, tum in memoriam S. Francisci Xaverii, Japoniae Apostoli et tot Martyrum Societatis, qui in illa regione sanguinem suum pro Christi nomine fuderunt ».

Ubi porro cum acclamatione petitum est, ut Sancto Josepho universa dicaretur Societas, gavisam se testatur Congregatio, « Quod

[1] *Decreta Congregationis XXV, in Instit. S. J.*, II, p. 525 ss.

hac sibi oblata occasione potuerit solemni declaratione significare Societatis pietatem ac omnium Sodalium constantem ac veluti ingenitam devotionem erga Sanctum Patriarcham, quem ab ipsa sui origine Societas universa peculiari cultu et praecipua veneratione prosecuta est » [1].

Protestati quoque Congregati Patres, se animo adhaerere recens editis decretis de frequenti S. Communionis usu, antiqua quaedam ea de re praecepta temperarunt. Quaestio porro instituta de legendis libris, de studiorum labore, de Ratione Studiorum, de nova denique Ordinatione pro studiis superioribus.

Nimirum : « Salva unitate in substantialibus, Patri Generali sit potestas in rebus accidentalibus, atque potissimum in disciplinis positivis eas concedendi modificationes, quas singularum Provinciarum consuetudines et necessitates requirunt » [2]. Cui sane rei ita statuendae labor impendendus fuerat impiger. Habita Patris Nostri exhortatione, Congregatio Generalis XXV absoluta est 18 Octobri, qui erat dies Sancto Lucae sacer.

Biduo autem ante, id est 16 Octobri, Pater Generalis Congregatos omnes introduxerat apud Pium PP. X, qui perfectum illis gratulatus opus, « Perquam plurimas etiam, inquit, vobis agimus gratias, ex eo quod plena animorum docilitate et voluntatis obsequio Nostris votis vos respondisse noverimus circa ea omnia, quae vobis manifestavimus, illud adamussim adimplentes quod ab ipso sui exordio Venerabilis Societas Jesu Romano Pontifici devincta, ad Sanctae Sedis Apostolicae jura defendenda paratissima, se suaque omnia devovit. Quodsi incidimus profecto in mala tempora, et asperum quod fere ubique Ecclesiae ejusque sanctis Institutis infertur bellum, aeternam Christifidelium salutem in discrimen adducit, dum iniquam hanc rerum ac temporum conditionem vehementer dolemus, maximas Deo agimus gratias, qui vos Nobis exhibet veluti lectissimam militum aciem, belli peritam, ad pugnandum instructam et ad ducis imperium ac nutum paratam vel inter confertissimos hostes convolare vitamque profundere » [3].

Pontificis benedictione accepta, in suas quisque Provincias di-

[1] Ibid., p. 4-5.
[2] Ibid., p. 7 ss.
[3] In Audientia, a Summo Pont. Pio X PP. Congr. Gen. XXV, S. J. concessa, 16 Oct. 1906.

scessere Patres, ad majorem Dei gloriam laboraturi. Benedicente quoque Vicario Christi, auspice faustissimo, Adm. R. Pater Franc. Xaverius Wernz Societatem gubernare aggressus est.

Natus Praepositus Generalis est. 4 Decembri 1842, in Rottweil, Wurtembergiae loco, sextumque decimum aetatis annum agere modo coeptus, 5 Decembri 1857, Societatem Jesu ingressus Gorhemii, prope a civitate Sigmaringa. Qui posteaquam humaniora studia Gorhemii et Friedrichsburgi. Philosophiam autem Aquisgrani et in domo B. Mariae Virginis ad Lacum egregio successu absolvit, annis 1865-1869 in Collegio Feldkirchiensi egit magistrum grammaticae. Quo tempore in B. Mariae Virginis ad Lacum Theologiae operam dabat, anno 1870, Gallico-Germanicum exarsit bellum. Mox cum aegris vulneratisque militibus oppleta Germaniae hospitia essent, paratos se Nostri ostenderunt aegrorum suscipere curam. Cui caritatis operi Frater Wernz quoque a Superioribus est deputatus. Cum, S. Patris Ignatii festo die, ipse aliique pauci tranquilla B. Mariae Virginis ad Lacum Domo excessissent, mox, ubi factum est ad locum Spichern proelium (6 Augusto), operam in civitate Saarbrücken nacti sunt satis confertam. Ejusdem porro mensis die 18 iter perrexerunt ad Metensem civitatem; a qua cum prope abessent, in loco Corny his excepti sunt verbis: « Tanquam Angeli e coelo, Fratres, huc venistis! ». Impigrum deinceps exhauriendum laborem invenerunt in loco Gravelotte. Tum vero processum ad Ars, qui prope Mosellam situs est locus. Ubi vixdum ipse sociique aegrotantium ingressi aulam erant, cum vulnerati exclamarunt: « Bene habet, illos jam novimus Fratres: ejusmodi enim Friedrichsburgi prope Monasterium multi sunt; futurum jam ut sollicite curemur! ». Ac reapse quacumque poterant diligentia ac sedulitate caritatis expleto opere, mox ut laboris mercedem insectationes atque exsilium a gubernio receperunt [1].

Fuerat enimvero hospitiorum ministerium illud egregia ad Sacerdotium suscipiendum praeparatio; quo insignitus est autumno 1871. Ei reliquus erat, ante infaustum tempus *Majalium legum* quae dicuntur, quartus Theologiae annus in domo B. M. V. ad Lacum

[1] Marcus Rist, *Die deutschen Jesuiten auf den Schlachtfeldern und in den Lazaretten, 1866 und 1870-1871. Briefe und Berichte*, Freiburg im Breisgau, 1904, p. 53-59.

absolvendus (1872). Insequenti dein anno, denuo Feldkirchii magistrum agebat (1873). Tum vero, spiritualis doctrinae scientiaeque laboribus in locis Exaeten in Hollandia ac Ditton-Hall in Anglia, expleto biennio (1874-1875), paratus jam Pater Wernz Lectoris Juris Canonici Scriptorisque suum aggressus est opus illud, in quo non solum tot numero discipulorum sibi erat devincturus animos, verum etiam viri Sacrae Legis periti nomen celeberrimum acquisiturus. Prioribus quippe annis sex (1876-1882), R. Pater Wernz praelegit in Collegio Ditton-Hall, uno dein anno in Collegio S. Beunonis; quo expleto tempore, Lector Juris Canonici migravit ad Universitatem Gregorianam in Urbe.

Ibi vero Pater Wernz, immenso perfunctus labore, ingentem attulit utilitatem. Honoris atque admirationis significatione, in qualibet mundi parte, nomen ejus prosequebantur. Immo vel ipse Pius PP. X, gratam viri memoriam recolens, agnovit, « magnum quod attulit emolumentum Ecclesiae universae, illo suo docto in Universitate Gregoriana magisterio, quo fiat ut sit mundi pars vix ulla, ubi grato animo discipuli praeclara ejus merita non agnoscant »[1]. Unicuique enim notus Pater Wernz tanquam « validum ingenium », tanquam « animum sortitus virtutis amantem, firmum sanumque », tanquam « magni animi vir », « cujus vastissima eruditio », cuique docti de *Jure Decretalium* libri plausum conciliarint hominum earum rerum peritorum omnium.

Quaenam autem haberetur opinio in aula Pontificia de illo opere virique scientia, ipse ei Pius PP. X significavit, dato, 26 Junio 1905, Brevi, in quo, « Sollertium sane curarum, inquit, quibus doctores decuriales Lycei magni Gregoriani lectos frequentesque numero adolescentes rite sacris disciplinis instruunt, praeclarum specimen Nobis, Rector ipse Lycei, dedisti nuper de scientia et facultate tua. Volumina enim quatuor muneri obtulisti a te adhuc edita de *Jure Decretalium*. Quod opus, etsi susceptum habes, ut alumnis disciplinae tuae esset usui, sic tamen videmus probari, ut omnibus ecclesiasticarum legum studiosis, eis tamen, qui hanc ipsam profitentur doctrinam, accommodatum valde atque utile praedicetur. In quo quidem docti atque intelligentes viri et dispertitam subtiliter materiam laudant et singulorum copiosam eruditissimamque

[1] *Epistola autografa di S. S. Pio X*, 4 Dec. 1907.

tractationem capitum, et petita vel ab historia canonum vel a philosophia juris vel a finitimis doctrinis in rem lumina. Quum autem cetera merito efferuntur, tum numeris omnibus absoluta habetur ea pars operis tui, quae de Matrimonio est; ob singularem nempe summamque peritiam, quam diuturno usu ejus generis causarum, Consultor apud sacra Urbis Consilia, es consecutus. Est igitur, hoc tuorum laborum exitu, quod tibi et inclitae Societati Jesu gratulemur; idque quum libenter ex animoque facimus, te, ut instituta absolvere simili studio pergas, vehementer hortamur ».

Quod Pontificis votum expleri parum potuit; oppletus enim laboribus, P. Wernz Consultor erat Congregationis de Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, Commissionis pro redigendo Codice Juris Canonici; Consultor porro Congregationis S. Officii, Indicis, Concilii. Accessit quod ultimis annis gerebat Universitatis Gregorianae supremum magistratum. Quibus tamen rebus omnibus haud obstantibus, Pater Wernz opus absolvisset ipse suum, nisi, vita functo R. Patre Ludovico Martin, Societatis Congregatio Generalis XXV in eo varias illas agnovisset dotes, quibus, juxta Constitutiones S. Ignatii, ornari Praepositum Generalem optandum est. Quarum praecipue, in Constitutionibus adsignatae, hae sunt: Prima:

« Ut cum Deo ac Domino nostro quam maxime conjunctus ac familiaris, tam in oratione, quam in omnibus suis actionibus sit. Secunda, ut vir sit, cujus in omni virtutum genere exemplum reliquos de Societate juvet, ac praecipue in splendore caritatis erga omnes proximos, et imprimis erga Societatem, ac verae humilitatis, quae Deo et hominibus amabilem eum reddant, sit conspicuus.... Eo modo didicerit rectitudinem ac severitatem necessariam cum benignitate et mansuetudine miscere, ut nec se flecti sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore judicaverit, et tamen filiis suis, ut convenit, compati noverit.... Animi etiam magnitudo ac fortitudo est ei pernecessaria.... Tertia est ut praeclaro intellectu ac judicii dono polleat.... Quarta et imprimis necessaria ad res conficiendas est vigilantia, et sollicitudo ad eas concipiendas, et strenuitas ad easdem ad finem et perfectionem suam perducendas.... Quinta ad corpus pertinet, in quo, quod ad sanitatem, speciem externam et aetatem attinet habenda est ratio.... Sexta circa res externas est; inter quas quae magis ad aedificationem et Dei obsequium in eo officio conferunt, praeferri debent. Hujusmodi esse solent existimatio

et bona fama; et demum quae ex caeteris ad auctoritatem cum externis et cum iis, qui de Societate sunt, adjuvant» [1].

Congregatio igitur Generalis, eo Constitutionum capite, quod modo contractum retulimus, attente perlecto atque considerato, Patrem Franciscum Xaverium Wernz elegit Praepositum Generalem Societatis Jesu. Ipso autem electionis die, Pius PP. X, tum recens electo Praeposito tum Electoribus gratulatus, « Dilecto filio, inquit, Patri Francisco Xaverio Wernz, Venerabilis Societatis Jesu Praeposito Generali hodie electo, ex animo gratulantes, fausta quaeque et salutaria in Venerabilis Societatis regimine adprecamur, et una simul pariter dilectis Patribus Electoribus, gratiarum caelestium auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur ».

Congaudendo jubilos egit universa Societas, gratiasque habuit Domino Deo, qui Patri Ludovico Martin, multum deplorato viro, quem ad se evocasset, talem tantumque suffecisset parentem. Societatis autem exspectationem Adm. R. Pater Wernz plane expletam fecit, firma quippe ille eam dirigens manu, simulque filiorum sibi animos concilians. Quod sane ita esse testati sunt, quos ille, 5 Decembri 1907, quinquagenos ab inita Societate explebat annos. Quam laetam illam animorum commotionem, quam disertam significationem amoris! Carissimo quippe patre festum agente diem, gaudio redundabant filii. Ab extremis orbis terrarum finibus Missionumque quasi e latebris abditissimis vota orationesque dirigebantur ad Deum, non minus fervida quam quibus circumdedit eum filiorum caterva, quae patrem jubilantem eo die celebrare in ipsa Urbe poterat, splendida parata festivitate. Intimum autem filiorum amorem ipsi parenti gaudium esse maximum, id profecto Pater Generalis, laetissima die illa, animo persensit.

Verum ad ulteriora properandum. Quamquam igitur Adm. Reverendi Patris Nostri regimen septem tantummodo adhuc decurrit annos, ejusque sive incoepta sive gestae res, quae ad communem atque cotidianam gubernationem minus attineant, vel cursum suum nondum expleverunt, vel consecutiones habent parum definitas, vel publici juris fieri ad tempus quidem non possunt, historiis tamen Societatis consignari jam valent e regimine Adm. R. Patris Wernz

[1] *Constit. S. J. IX partis cap. II, Instit. S. J.*, Tom. II. p. 128 ss.

facta quaedam maximi momenti. Dicendum quippe occurrit primum de novis ab illo erectis Provinciis.

Quo in genere plurium ab America negotium fuit, quippe in quibus regionibus, una cum ipsa Catholica Ecclesia, progressus Societas habuisset laetissimos, ut Missiones nonnullae eam nactae jam essent maturitatem, qua ad Provinciarum gradum provehi omnino possent.

In *Mexico* restituta quidem 19 Majo 1816 Societas, anno tamen 1821 dispersa denuo erat, cum essent ejus, in Domibus 8, 39 Socii. Redierunt vero, ac strenue labori instantes, quantumvis vexati, numerum usque auxerunt. Constat enim, ut scriptum reperimus, « ab anno ultimi saeculi decimosexto eam maximis semper difficultatibus periculisque ac frequentibus insectationibus conflictatam esse, ita ut bonis spoliata, sedibus suis expulsa, per varia loca dispersa et ad minimum numerum redacta, vitam aegre traheret et aliquando pene extincta videretur ».

Saepe ut typis catalogus imprimeretur operae pretium non fuit. Provincia tamen, quippe cui aliae auxilio subinde succurrerent, esse haud destitit. Anno 1841 ejus erant non amplius 12 Socii. Anno 1867 erant, in 4 Domibus, Socii 18, ad quos addendi ex aliis Provinciis 9 [1].

« Sustentabatur nihilominus paucorum Patrum, qui residui erant, prudentia, constanti ac plerumque obscuro labore et spe magnanima. Cujus spei participes erant Praepositi Generales Societatis, qui, quamquam legitima Provinciae Mexicanae erectio semper in votis tantum fuerat, noluerunt tamen ut Mexicanae Provinciae nomen e nostris catalogis deleretur. Sustentabatur paterna et vigilanti Dei Providentia, qui afflictis et periclitantibus Sociis animos viresque spirituales addebat, ac simul Mexicanae gentis pietatem et ingenitam liberalitatem excitabat, ut Nostros favore, auxilio, copiosis vitae subsidiis omnique beneficiorum genere prosequerentur. Deinde, quando tempus ab ipso praestitutum adfuit, novorum filiorum copiam advocavit, quibus aucta potuit hodierna So-

[1] E catalogis sive Mss. sive impressis constat Mexicanae Provinciae statum diu fuisse humillimum. Erant quippe

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1816 | socii univ. | 15. | 1822 | socii univ. | 23. | 1859 | socii univ. 16. |
| 1817 | » » | 17. | 1836 | » » | 13. | 1876 | » » 19. |
| 1818 | » » | 22. | 1841 | » » | 12. | 1878 | » » 19. |

cietas Mexicana quatuor ad externae juventutis institutionem Collegia instituere, Residentias duodecim habere et Stationes apud Tharahumaras sex, Domum Probationis, bonamque copiam juvenum; neque carebat reliquis vitae nostrae reique familiaris praesidiis, quibus optimam faciebat sui exspectationem »[1].

Cui quamquam Deus, ineunte quippe anno 1907 habenti, in Domibus 23, 274 Socios, ubertim benedixerat, tamen eo usque potius transmarinae Missionis quam Provinciarum jure regebatur.

« Quum vero postremae Congregationes nostrae Generales, ut Provinciarum votis facerent satis, ac praecipua Societatis membra longe inter se dissita arctiore charitatis vinculo conjungerent, suis suffragiis aperte significaverint, Missiones nostras transmarinas, quae justos Provinciae numeros fuissent assecutae, non solum in Provincias erigi posse, sed etiam, mutata rerum temporumque conditione, ad caeteras Europae Provincias magis magisque conformari oportere », Adm. Rev. Pater Noster sedulo investigandum curavit, num quid obstaret, quominus Provincia Mexicana tandem in veri nominis Provinciam erigeretur.

« Quum autem nemo quidquam obstare putaverit, ne optata erectio, quanto citius atque opportunius fieri posset, perageretur, Adm. R. P. Wernz post multas ad Deum preces Mexicanam Provinciam, quae ad hoc usque tempus nomine tenus Provincia nuncupata est, iisdem cum ditione Mexicana finibus circumscriptam, die festo Sacratissimi Cordis Jesu, 7 Junii 1907, in veram Societatis nostrae Provinciam erexit, servata tamen norma a Congregatione Generali XXV, decreto octavo, proposita ».

Tandem filiis suis Pater Generalis precatur, ut quae decreta et sancita sunt Deus ac Dominus noster « firma prorsus et rata de coelo habere dignetur ac redivivam Provinciam Mexicanam divina sua ope ac tutela foveat, ac provehat, ut antiquae Provinciae Mexicanae, et Sociorum numero et omnium virtutum laude florentissima, quam maxime possit, veram in dies imaginem referat »[2].

Eodem die Adm. R. Pater Noster Fr. X. Wernz *Canadensem* quoque Missionem ad justae Provinciae conditionem evexit. Cujus

[1] Franc. X. Wernz, *Epist. ad PP. et FF. Prov. Mex.*

[2] *Decretum erectionis prov. Mexicanae.* Antiqua Provincia Mexicana ad eam prosperitatem aliquando pervenit ut 40 fere Collegia et Seminaria, Residentias vero et Stationes amplius 100 numeraret.

Missionis non solum res ante suppressam Societatem gestae celeberrimae fuerunt in fide propaganda, verum fuit inde etiam a restituta Societate clarissimum illius Missionis nomen. Petente porro Ill. Bourget, qui Episcopus salutis animarum erat cupidissimus, anno 1842 instaurata Missione, Nostri, insequenti jam anno, in aedibus cl. viri C. S. Roder, Novitiatum instruxerunt, qui anno 1853 ad locum Sault-au-Récollet translatus est, ibique firmam obtinuit sedem. Missio Canadensis obnoxia Provinciae Franciae fuit ad annum usque 1863, cum divisa Provincia, haud secus ac Missio Neo-Eboracensis, ad Campaniae Provinciam transiit, eique adnexa mansit usque ad annum 1869, quo est sui juris constituta Missio Canadensis-Neo-Eboracensis. Eo autem iterum amisso jure, Missio Canadensis ad Provinciam Angliae adjuncta est, quo anno 1879 Neo-Eboracensis Missio accessit ad Provinciam Marylandiae[1]. Anno denique 1888 ad eam conditionem efflorverat Missio Canadensis ut, a Provincia Angliae divisa, sui denuo juris constituta fuerit.

Duplici porro parte, omnino inter se differentibus, Missio Canadensis constabat: altera multos jam annos habita, occupata vixdum altera. Unde duas Dominici agri partes colendas Patres habebant. Quarum in altera, partim viget adhuc antiqua pietas atque floret, partim novae linguae novisque usibus exposita periclitatur jam aut ipsa fides aut solida et Catholica devotio; in altera vero, res novae quaecumque ortum aut sumunt aut brevi sument[2].

Erant porro, ineunte anno 1907, Missionis Canadensis Socii 308, ac teste Patre Nostro « praeter duas magnas Domos rite constitutas pro religiosa atque scholastica nostrorum juvenum institutione, Collegia habebat tria, Residentias sex cum apta Exercitiorum Dómo, Stationes decem et Missiones apud Indos quattuor. Neque carebat reliquis vitae nostrae religiosae reique familiaris praesidiis, quibus optimam faceret sui exspectationem ».

Quibus rebus omnibus inductus, Adm. R. Pater Noster Franciscus Xaverius Wernz Missionem Canadensem iisdem suis finibus, qui tunc erant, circumscriptam, cum adjecta sibi Missione Ala-

[1] Unde, ab anno 1880, factum est huic Provinciae nomen Marylandiae-Neo-Eboracensis.

[2] *Epist. Adm. R. P. Generalis ad R. P. Prov. et Socios ejusdem Prov., 7 Junio 1907.*

skensi Boreali extra Anglicam ditionem sita, quam deinceps a Provincia Taurinensi [1] disjunctam Provinciae Canadensi attributam voluit, die festo Sanctissimi Cordis Jesu, 7 Junio 1907, in veram Societatis Provinciam erexit atque constituit, servata tamen norma a Congregatione Generali XXV, decreto octavo, proposita.

Collaudata demum Missione, quae olim tam multo Nostrorum sudore exculta et sanguine fecundata « Missio Sanctorum et Missio Martyrum » appellari meruerit, Deum Pater Generalis precatur, ut nova Provincia Canadensis sub divina ope ac tutela in dies omnium virtutum laude floreat veramque majorum suorum referat imaginem [2].

Praeclaros in Missione Canadensi decessores vehementer admiratus, volensque filios in dies parentum consimiliores esse, Adm. R. Pater Noster, addita ad erectionis decretum epistola pulcherrima, his eos hortatur verbis, quae pro universae Societatis filiis omnibus momentum hodiedum habeant gravissimum:

« Habetis, inquit, Patres Reverendi et carissimi Fratres, quos imitemini in ipsa regione vestra praedecessores, Patres illos Fratresque dico qui patria relicta, idque saepe sine spe reditus, ipsoque civilis vitae cultu neglecto, in eos ad majorem Dei gloriam laborarunt, qui sive tanti sacrificii pretium animo comprehendere non possent, sive morte tandem afficerent quos amicissimos habere debuissent. Hos igitur tantos viros hodierno die prae oculis habete: horum exemplo fortes et orationibus freti non minora certamina, quamvis in diverso ordine, aggredimini. Nunc quidem deesse potest sanguinis illa effusio qua fides probetur, quum et hanc forsitan adhuc ab aliquo Provinciae Canadensis Socio exspectet Dominus Deus Noster; nunc cruciatus illi deerunt quibus animus per corpora tentari solebat, sed nunquam, Reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, nunquam defecit in Societate Jesu neque deficiet unquam sive totius corporis sive unius cujusque membri persecutio. Hanc petivit a Capite Nostro Sanctus Pater Ignatius, hanc Caput illud et Societati universae et Ignatio et aliis omnibus donavit. Quid enim aliud est, ut ad vos de vestra re loquar, labor iste improbus quem ponere omnes debetis, ut, difficultatibus quae occurrunt supe-

[1] Cf. *pulchram epistolam Praep. Prov. Taur. P. Jos. Chiaudano in Woodstock Letters*, 1908, p. 19, et *Resp. R. P. Prov. Canad. Ed. Lecomple*, ibidem.

[2] *Decr. erect. Prov. Canad.*, 7 Jun. 1907.

ratis, constantiam in via Dei teneatis? Quid aliud est illa multorum hominum erga vestra, eaque optima opera, incuria? Quid aliud est repugnantia ista, quae alios erga alios, diversae praesertim nationis homines affligit? Persecutiones istae sunt quam magno animo patiendas habetis »[1].

Eodem iterum die, 7 Junio 1907, Adm. Rev. Pater Noster Franciscus Xaverius Wernz ad verae Provinciae gradum evexit *Missionem Neo-Aurelianensem*, quae annos amplius 70 in illa Missionis conditione jam fuerat. Ejus enim instituendae ipse dies fuit 4 Novembri 1836, cum Ill. Episcopus Blanc pactum cum Nostris iniit, quo factum, ut jam 22 Februario 1837 Missionis operam Patres aggressi sint. Mox, 5 Januario 1838, in civitate Neo-Aurelianensi inchoatum est Collegium Sancti Caroli, quod erat futurae Provinciae domicilium primum [2]. Ejusdem anni 24 Julio, Missio haec, a Provincia Franciae ad Missourianam Provinciam translata, mutata dein iterum conditione, 16 Julio 1847, addita est ad Provinciam Lugdunensem, quem postea statum obtinuit usque ad 28 Aprilem 1880, cum facta est sui juris Missio. Quae, ineunte 1848, Socios numerabat, in 2 Domibus, 30; ejusdem autem, ineunte anno 1880, erant in 4 Domibus Socii 99. Annis porro his 17 in immensum fere progressa, Missio censebat, ineunte 1907, in Domibus 13, Socios 239 [3]. Nil mirum Missioni tam prospere agenti a Patre Nostro additum esse Provinciae nomen ac statum, quippe quae, praeter Domum Probationis cum Junioratu rite constituto, Collegia haberet septem, quorum duo inchoata, Residentias sex, bonamque copiam juvenum, qui aliis in Provinciis probe informarentur. Neque carebat reliquis vitae nostrae religiosae reique familiaris praesidiis, quibus optimam faceret sui exspectationem [4].

Festo igitur Sacratissimi Cordis Jesu die, 7 Junio 1907, Missio Neo-Aurelianensis, iisdem finibus circumscripta, in veram Societatis nostrae Provinciam erecta est, servata tamen norma a Congregatione Generali XXV proposita [5]. Quod erectionis decretum plenum vigorem habuit die 15 mensis Augusti, Beatissimae Virgini

[1] *Epist. ad PP. et FF. Prov. Canad.*, 7 Jun. 1907.
[2] * *Litt. ann. Prov. Franciae*, p. 161 ss.
[3] * *Elenchus Miss. Neo-Aurel.*
[4] *Decr. erect.*, 7 Jun. 1907.
[5] *Decr. VIII.*

Mariae in caelum Assumptae sacro, posteaquam in praecipuis saltem Provinciae Domibus more consueto publice ad mensam fuit praelectum. Laetissimi eventus memoriam his verbis consignatam reperimus: In omnibus Domibus « pridie illius fausti felicisque diei, jubente Rev. Patre Superiore Missionis, recitatus (Psalmus) *Miserere* ad divinam misericordiam in praeteritos annos implorandam. Die ipso cantatum est canticum *Te Deum* in gratiarum actionem, maxima omnium Sociorum devotione et laetitia. Peculiari splendore et apparatu maxime festivo celebrata est nativitas Provinciae in Collegio Spring Hill, ubi septem Patres e Nostris congregati erant ultima vota emittendi gratia, coram novo Provinciali Praeposito, Rev. Patre Joanne F. O' Connor, assistentibus novo Socio Provinciae, Patre Jacobo De Potter et ingenti corona Patrum, Scholasticorum et Fratrum. Nil laetitiae defuit, nil mutuis gratulationibus, die illo vere benedicto, oblivioni nunquam tradendo. Quod perpetuo felix, faustum, fortunatumque sit » [1].

Exstat praeterea quartum maximi momenti decretum, eodem die 7 Junio 1907, in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, promulgatum. Anno quippe 1840 a Patre de Smet fundata Montium Saxosorum Missio, in qua ipse aliique deinceps multi impigram in procuranda animarum salute collocarant operam, ineunte anno 1867, ad Taurinensem Provinciam pertinens, in Domibus 4 ac 4 Stationibus, Socios censebat 25. Eidem quoque Taurinensi Provinciae adnexa erat in California Missio, cujus eodem anno, in Domibus 4, numerabantur Socii 71. Illae autem in America Missiones quam prosperam nactae sint conditionem, ex hac vel maxime re manifesto apparet, quod earum erant, ineunte 1907, Socii 374, quibus addendi, confertissimo labori instantes, ex aliis Provinciis Missionibusque satis multi. Unde jamdudum in omnium votis erat, ut per novam aptioremque Missionum illarum distributionem quibusdam incommodis afferretur remedium simulque provideretur ut Nostrorum labores minore virium dispendio fructuosiores exsisterent; jamque ad negotium tanti momenti A. R. Pater Ludovicus Martin serio animum adverterat, cum morte interceptus rem ad exitum perducere non potuit. Quare Adm. Rev. Pater Noster, suscepto negotio ut unionem diversarum Missionum absolveret, litteris 7 Junio 1907 datis, haec decrevit:

[1] *Promulgatio Decreti constituentis Prov. Neo-Aurelianensem.*

1.° Ut Missiones Californiae et Montium Saxosorum una cum parte *australi* Missionis Alaskanae et duobus Statibus Dakota, septentrionali ac meridionali, ad Missionem Buffalensem Provinciae Germaniae ad illud usque tempus addictis, coalescerent in posterum in unam Missionem, cui nomen futurum *Missio Californiae et Montium Saxosorum*, quaeque sub regimine unius Superioris ad Provinciam Taurinensem pertineret.

2.° Ut pars *borealis* Missionis Alaskanae a Missione Montium Saxosorum sejungeretur et ad novam Provinciam Canadensem applicata exsisteret [1].

Californiae porro et Montium Saxosorum conjuncta Missio, ineunte 1908, in 25 Domibus, Socios numerabat 349, accedentibus ex aliis Provinciis 86; quorum omnium Superiori, Praepositi Provincialis ad instar, additus erat Socius cum Consultoribus 4. Pulcherrima ad Patres Missionis Californiae et Montium Saxosorum, 4 Junio 1907, in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, data epistola, Adm. Rev. Pater Noster hortatus est universos, ut « juncti invicem fraternae charitatis vinculo melius et efficacius possent divino obsequio se mancipare et auxilio proximorum impendere ».

Ejusdem quoque anni 7 Julio, in Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini N. Jesu Christi, ingens illa Buffalensis Missio a Provincia Germaniae divisa, diversis Americae Provinciis adjuncta est. Norunt omnes, atrocem illam religionis in Germania pugnam, quae *Kulturkampf* dici solet, in causa fuisse cur haec orta Missio floreret. E Germania enim expulsa, Provincia magnam partem in Americam transmisit, ut eum ibi animabus juvandis laborem impenderent, quo se carere posse putarent, qui in Germania rerum publicarum summam administrabant. Ea Missio cum haud plures initio quam Socios 21 in 3 Domibus censeret, mox tamen incrementa fecit praevalida, haud secus atque ipsa Germaniae Provincia, quae in Neerlandiam, Luxemburgum, Austriam, Daniam et Scandinaviam, Indias Orientales, Brasiliam Meridionalem et Americam Septemtrionalem dispersa ita numeris gradatim est aucta, ut, ineunte anno 1907, ad Sociorum 1447 ingentem numerum excrevisset. Erat sane cur illam restringi multitudinem percuperent. Accedebat « quod Provincia Germaniae, gravissimo sui ipsius onere

[1] *Epist. ad R. P. Jos. Chiaudano, Praep. Prov. Taur.*

jam oppressa, sustinendis in posterum tribus magnis Missionibus imparem se prorsus agnoscebat, nec nisi dolenter postulabat ut a procuranda dilecta sua Missione Buffalensi quantocius liberaretur. Aliunde vero Missio Buffalensis, suis tantummodo viribus relicta, vix sibi adeo sufficere poterat, ut de ea sui juris facienda, nedum in Provinciam erigenda, ulla spes conciperetur. Quare consultius visum est Missionem Buffalensem non uni tantum Provinciae vel Missioni annectere, sed viciniores inter Provincias vel Missiones pro locorum opportunitate dispertire iisdemque ita conjungere, ut egregia Missionis opera non modo nullum caperent detrimentum, sed aliarum Provinciarum vel Missionum subsidio commodius curarentur ac proveherentur; quo vicissim fieret, ut finitimae Provinciae vel Missiones tam validas nactae suppetias magnopere juvarentur. In primis vero Provincia Missouriana, quae Japonicae Missionis a S. Sede nobis commissae praecipuam fortasse curam susceptura est » [1], etc.

Divisione igitur suscepta Missionis Buffalensis, cujus erant, ineunte 1907, in 9 Domibus, Socii 280, Pater Noster decreto 7 Julii 1907 statuit ut:

I. Missio Buffalensis a die 1 Septembris anni 1907 a Provincia Germaniae penitus separata esset et haberetur. Tum, ut

II. Unaquaeque Domus Missionis Buffalensis cum omnibus suis bonis et debitis inde a die 1 Septembris anni 1907 illi Provinciae vel Missioni Americae Septentrionalis unita esset et haberetur, in cujus Provinciae vel Missionis territorio sita esset.

Decrevit porro ut hac ratione unirentur:

1.° Collegium et Convictus B. P. Canisii et Residentia S. Annae in civitate Buffalensi cum Provincia Marylandiae-Neo-Eboracensi.

2.° Collegium S. Ignatii Clevelandiae, Domus Probationis S. Stanislai prope Clevelandiam, Collegium inchoatum S. Joannis Berchmans Toletanum, Residentia Mankatensis, Collegium SS. Cordis in Prairie du Chien, cum Provincia Missouriana.

3.° Residentia S. Francisci et Residentia SS. Rosarii in Statu South Dakota cum Missione Californiae et Montium Saxosorum a Provincia Taurinensi dependente.

[1] *Epist. ad PP. et FF. Miss. Buffal. Prov. Germ.*

In divisione autem Sociorum, qui ad illud usque tempus in Missione Buffalensi ad Provinciam Germaniae spectassent, hac norma stari voluit, ut *omnes qui actu* in Missione versarentur, a prima die Septembris anni 1907 pertinerent ad illam Provinciam vel Missionem, ad quam spectaret Domus, cui die 1 Septembris legitime fuissent adscripti, exceptis paucissimis. Ut vero ii omnes, qui actu non in Missione versarentur et nulli Domui essent adscripti, ut Philosophi, Theologi et Tertiam Probationem agentes anno scholastico 1906-1907, a die 1 Septembris pertinerent ad illam Provinciam vel Missionem Americanam, ad quam ratione loci nativitatis vel civitatis jure in America Septentrionali pertinerent, paucis exceptis. Ut denique Novitii et Juniores omnes, salvis exceptionibus, pertinerent a die 1 Septembris ad Provinciam Missourianam [1].

Editis deinde nonnullis, quae ad Missionis bona pertinebant, mandatis, Adm. Rev. Pater Noster, facto ad Patres et Fratres Missionis Buffalensis Provinciae Germaniae sermone solatii pleno:

« Imprimis illud, inquit, vobis omnibus persuasum sit me neutiquam latere, nec nisi justas agnoscere praecipuas doloris vestri causas. Disjungitur nimirum carissima vestra Missio a carissima vestra Provincia, cujus curae ac sollicitudini vos ipsos in Societatem vocatos vestraque omnia penitus debetis. Nec disjungitur solum, sed dissolvitur quodammodo pulcherrima vestra Missio Buffalensis, quae vobis tanto exstitit carior, quanto eam studiosius ac laboriosius excoluistis majoremque in modum amplificastis et perfecistis.... Nihil igitur mirum, si a vestra Provincia vestraque Missione .... non sine intimo pii doloris sensu dissociamini, vosque praesertim, venerandi Patres Fratresque antiquiores, qui in Missione longiore tempore versati estis; nihil enim acerbius amittitur, quam quod diutius sanctiusque diligitur ».

Commonstratis deinde separationis faciendae rationibus multiplicibus atque ipsa necessitate, Adm. Rev. Pater Noster gravissimam Summarii Constitutionum regulae tertiae interpretationem addens, quae Sociis ubique omnibus maximopere cordi esse debeat,

« Summum, inquit, studium cujusque sit, quocumque fuerit a Superiore vocatus, cuicumque muneri addictus, ut in omnibus se exhibeat verum Societatis filium, cujus est vitam agere in quavis

[1] *Decretum de Miss. Buff. separatione*, etc.

mundi plaga, in quavis Societatis Provincia, in quavis Provinciae Domo, in quovis Domus ministerio, ubi majus Dei obsequium speratur. Et quoniam ex vobis alii adscripti estis Provinciae Missourianae, alii Provinciae Marylandiae-Neo-Eboracensi, alii Missioni Californiae cum Missione Montium Saxosorum recens conjunctae, sic in sua quisque nova Provincia vel Missione convivere studeat, non tanquam adoptivus in alienam domum assumptus, sed uti filius in domo sua natus, quem ubicumque terrarum amantissime complectitur Mater nostra Societas, quae una eademque omnium nostrum familia est. Optimos Provinciae et Missionis praesides fratresque suavissimos amisistis, optimos alios invenistis praesides, paternae in vos benevolentiae plenos, aliosque fratres concordissimos, quibuscum tanta intercedet fraternae charitatis conjunctio, tanta superni amoris necessitudo, ut omnium cor unum unaque anima esse videatur » [1].

Diximus modo, ad Missionem quoque Californiae et Montium Saxosorum adscriptam fuisse Buffalensis Missionis partem. Praevideri autem tunc jam potuit, conjunctas Missiones illas florentissimas haud longe ab eo distare ut ad verae Provinciae dignitatem ipsae eveherentur. Ac reapse, cum per duos annos, sub uno Superiore constitutae et a Taurinensi Provincia dependentes, sedulam Deo atque animabus collocassent operam, tam apto caritatis ac regiminis vinculo eas inter se cohaerere apparuit, ut de stabili ac felici earum conjunctione nulla dubitandi causa haberetur. Praeterea vero, quum unita haec Missio, sive spectabatur Collegiorum ac Domorum numerus, sive Sociorum multitudo et virtus, sive ministeriorum frequentia ac dignitas, sive rei familiaris copia, sive demum uberrimus tot tantorumque laborum fructus ab unita utraque Missione adhuc perceptus, jam omnia prorsus habere videretur, quibus ad Instituti nostri normam ipsa sibi sufficeret suoque jure regeretur, idcirco non solum Superiores Missionis, sed etiam Adm. Rev. Patrem Nostrum tenebat opinio de ea Missione in Provinciam erigenda agi quantocius posse [2].

Omnibus igitur rebus examinatis, nemo non affirmavit, Missionem ejusmodi eo jam progressam esse, ut inter Societatis Provincias cooptari mereretur. Qua unanimi suffragiorum concordia mi-

[1] *Epist. ad PP. et FF. Miss. Buffal. Prov. Germ.*
[2] *Decret. erect. Prov. Californ.*

rifice delectatus, Adm. Rev. Pater Noster, die 31 Julio 1909, in Festo S. Patris Nostri Ignatii, Missionem Californiae et Montium Saxosorum in veram Societatis nostrae Provinciam erexit, servata tamen ratione a Congregatione Generali XXV, decreto octavo, proposita; iisque conditionibus ut unico magisque vulgato nomine *Provincia Californiae* appellaretur; ut ab Assistentia Italiae penitus disjuncta, adscriberetur deinceps Assistentiae Angliae, ut iisdem finibus circumscripta maneret, iisdemque Collegiis, Domibus ac bonis omnibus potiretur, quibus Missio Californiae et Montium Saxosorum; ut, quod ad Socios attineret, sibi plane adscriptos retineret tanquam vera sua membra Nostros omnes, praesertim Patres et Fratres Provinciae Taurinensis, qui ad illud usque tempus Missioni Californiae et Montium Saxosorum adscripti censerentur; Sociis vero aliarum Provinciarum, eidem Missioni tantummodo applicatis potestas fieret, probante suo cujusque Provinciali, vel novam Provinciam ingrediendi vel in ea remanendi, cui antea essent applicati; tandem ut in mutui amoris gratique animi testimonium Provincia Taurinensis et Provincia Californiae, pro iis tantum utriusque qui tunc essent Sociis, cum vita functi essent, praescripta defunctorum suffragia persolverent. Denique, novae Provinciae Sociis demonstrato praeclaro majorum exemplo, Adm. Rev. Pater Noster precatur ut bene juvante intercessione B. Patris Nostri Ignatii, cujus festum eo die ageretur, pari virtutum laude cumulari ipsi quoque valerent [1]. Erant novae Provinciae Californiae, ineunte anno 1913, in Domibus 33, Socii 387.

Haec, quae scripta sunt, sedulo quis attendens, adverterit profecto, in narranda quattuor istarum Americae Provinciarum erectione, Mexicanae, Canadensis, Neo-Aurelianensis, Californiensis, cum de juribus, facultatibus, privilegiis omnibus concedendis diceretur, nunquam in decreto additum non fuisse verba haec: « servata tamen norma a Congregatione Generali XXV, decreto octavo, proposita ». Ac revera postrema Congregatio Generalis XXV Praeposito Generali potestatem fecit, ut usque ad proximam Congregationem Generalem quasvis novas Provincias transmarinas rite erectas iisdem juribus augere valeret, quibus regerentur reliquae Societatis Provinciae in Europa sitae; ea tamen lege, ut Provinciae ipsae transmarinae id legitime peterent. Quum igitur novarum

[1] Ibid.

Provinciarum Mexicanae, Canadensis et Neo-Aurelianensis Praepositi cum suis Consultoribus, aliisque omnibus ad Congregationem Provincialem jus habentibus, unanimi suffragio ab Adm. Rev. Patre Generali Fr. Xav. Wernz per litteras postulassent, ut quemadmodum eas ad Instituti nostri normam inter veras Societatis Provincias nuper cooptasset, sic communi cum aliis omnibus Provinciis jure easdem auctas vellet, Adm. Rev. Pater Noster per litteras 3 Decembris 1907 decrevit in Domino ac pronuntiavit: Transmarinas Provincias supra laudatas ab ineunte anno 1908 sub communi jure constituendas esse ac caeteris Societatis Provinciis penitus aequiparandas. Eadem porro jura Provincia quoque Californiae cum petiisset, accepit 3 Decembri 1909, ab ineunte anno 1910 possidenda [1].

Quibus rebus Adm. Rev. Pater Noster ingentem praestitit laborem, quippe qui Societatis Provincias quattuor florentissimas in Americanis regionibus illis, virtute tanta ac vi ad progressum enitentibus et ampliora in dies postulantibus salutis subsidia, a se erectas, juribus quibuscumque aequipararit Provinciis in Europa sitis. Hujus ergo beneficii, quod Societati, quod Americae, quod Catholicae Ecclesiae universae Pater Noster contulit, utinam Deus gratiam ei referat uberrimam.

Nec tamen de labore ille quidquam remittens, animum mox ad florentem illam *Austriaco-Hungaricam* Provinciam advertit, quippe quae novae ordinationis maximopere indigeret. Hungaricum nomen, anno 1871, Provinciae Austriacae additum esse diximus, quo tempore aliquas in Hungaria Domos jamdudum habebat. Praeterquam autem quod Sociorum numerus perpetuo deinceps auctus est, ut ineunte 1909 ad 752 evaserint, erat vel maxime Domorum (28) praegrandis multitudo, locorumque spatiis nimium quantum dissita. Austriam enim tenebant, Hungariam, Bohemiam, Teriolos, Bosniam, Croatiam, alias regiones. Quid mirum, magnum Domorum tam longe lateque sitarum numerum, nonnisi difficulter ab uno Provinciae Praeposito administrari provehique potuisse? Quid, inquam, mirum Adm. Rev. Patri Nostro multa cogitanti pro certo constitisse, aptiore modo utrique Provinciae parti consuli non posse, quam si Hungarica a parte Austriaca disjungeretur et Provincia

[1] *Decret. Adm. R. P. N. Fr. Xav. Wernz.* 3 Dec. 1907 et 3 Dec. 1909.

sui iuris constitueretur, simulque in regionibus nimis distantibus erigeretur Missio Croatiae? Idcirco maximum istud negotium Provinciae Austriaco-Hungaricae Praeposito cum suis Consultoribus aliisque, ut omnia et singula considerarent, Pater Noster proposuit. Quibus rebus rite peractis, omnes uno ore testati sunt, revera Provinciae gubernationem impediri, atque isti incommodo disjunctione proposita aptissime provideri; utramque porro partem ad haec prorsus maturam esse ac paratam, neque ullum exinde alterutrius partis detrimentum timeri, immo vero utramque praeclara sibi emolumenta Societati nostrae propria merito polliceri; omnes demum, ut Croatiae Missio erigeretur, vehementer optare [1].

Die ergo 15 Augusto 1909 Adm. Rev. Pater Noster decrevit Provinciam Austriaco-Hungaricam in duas veri nominis Provincias esse dispertiendam, quarum altera *Provincia Austriae*, altera *Provincia Hungariae* nuncuparetur. *Missionem* insuper erexit *Croatiae* dictam, eamque Provinciae Austriae adnexam voluit. Quod porro ad utriusque Provinciae et Missionis territorium, domicilia et bona quaevis spectabat, haec ordinavit:

Ut Provincia Hungariae intra fines regni Hungarici, exclusa Croatia et Slavonia, contineretur, eidemque attribuerentur domicilia sex, cum omnibus illorum bonis; ita ut Provincia nova Hungariae in sex suis domiciliis, ineunte anno 1910, suos haberet 224 Socios, ex aliis Provinciis 42 [2].

Ut Provincia Austriae intra suos, qui tunc essent, fines in Cisleithania comprehenderetur, eidemque attribuerenter domicilia 19, cum omnibus eorum bonis, et Missio Croatiae; ita ut haberet, ineunte anno 1910, simul 574 Socios, ex aliis Provinciis 63.

Ut Missio Croatiae, a Provincia Austriae dependens, intra fines Croatiae, Slavoniae, Bosniae et Herzegovinae, praetermissa interim Dalmatia, circumscriberetur et haberet tria domicilia cum omnibus eorum bonis, videlicet: Collegium Travnicense, Seminarium Sarajevense, utrumque in Bosnia, et Residentiam Zagrabiensem in Croatia, et in his domiciliis 56 Socios [3].

Quod porro ad personarum statum spectabat, generatim Adm. Rev. Pater Noster statuendum putavit, ut habita imprimis ratione

[1] *Decret. Adm. R. P. Fr. Xav. Wernz*, 15 Aug. 1909.
[2] *Catal. Prov. Hung. S. J. 1909-1910.*
[3] *Catal. Prov. Austr. S. J., ineunte 1910.*

originis et civitatis, ad eam Provinciam vel Missionem unusquisque Nostrorum, tanquam verum ejus membrum, pertinere censeretur, in qua natus fuisset vel civitate donatus. Quoniam vero pro Provincia Hungariae et pro Missione Croatiae habenda quoque erat ratio idiomatis, de hac re et de aliis, quae Praepositi Generalis intercessionem non postularent, utriusque Praepositi Provincialis prudenti arbitrio permisit. Nihilominus optavit, ut tam Provincia Austriae quam Provincia Hungariae in mutui amoris gratique animi testimonium pro temporis istius tantum utriusque Sociis, qui vita fungerentur, praescripta pro Nostris defunctis suffragia persolverent.

Quae omnia promulgata fuerunt die 7 Septembri 1909, in festo Beatorum Marci Crisini, Stephani Pongracz et Melchioris Grodecz, Martyrum Hungarorum.

Magni autem momenti partitionem Pater Noster plena fiducia commendatam voluit Duci nostro Jesu, per merita divinae suae Matris, magnae Dominae Nostrae, Beatissimae Virginis Mariae, cujus festum gloriosae in coelos Assumptionis agebatur, ut firma penitus sibique accepta haberet omnia, quae per litteras decreta essent et sancita [1].

Nec vero putaverit quispiam, illi tot numero Provinciarum erigendarum unico labori intentum fuisse Adm. Rev. Patrem Nostrum; simul enim, anno 1908, ingens susceptum est opus, quod SS. Dominus Pius PP. X in Japonia fieri cupiebat. Tum vero curae etiam accedebant innumerae, a Patre Nostro collocatae in ordinando Instituto Biblico, cujus, a Pio PP. X Societati nostrae commissi, autumno 1909 inchoandae praelectiones erant. Adde quod novo intentum labori Patrem Nostrum tenuit Domorum Professarum erectio, quarum jam una, anno 1908, erecta Valentiae in Hispania, Vindobonae in Austria, anno 1910, altera, tertia demum Matriti 1912. Erat vero penitioris etiam consilii atque diuturnioris laboris res, quam de studiis superioribus et nominatim de perficienda ordinatione studiorum theologicorum Congregatio Generalis XXV decrevit. Salva quippe in substantialibus unitate, concessa a Patribus Congregatis facultas est in accidentalibus «eas concedendi modificationes, quas singularum Provinciarum consuetudi-

[1] *Decret. Adm. Rev. P. N. Fr. Xav. Wernz*, 15 Aug. 1909.

nes et necessitates requirant » [1]. Ad quam ordinationem quanta requiratur consilii ac laboris vis, is facile assequetur qui adverterit Provincias Societatis esse hodiedum numero 27. Utinam igitur Deus, Patris Nostri collustranda mente animoque firmando, negotium hoc gravissimum, paene peractum usque perficiat!

Nam praeteritis temporibus divinum haud defuisse robur atque auxilium, id profecto compertum habere licet, considerantibus nobis, quae de Societatis progressu et conditione florentissima Adm. Rev. Pater Franciscus Xaverius Wernz in Congregatione Procuratorum, mensibus Septembri-Octobri 1910 Romae habita, commemoravit. Cujus adhortationis brevem conspectum hoc loco omnino censuimus esse referendum. Sessione igitur prima Pater Noster, posteaquam adesse Patres Procuratores gaudere se dixit, commemorato obiter Congregationis scopo, mox de statu nostrae Societatis incepit exponere.

Primo igitur loco « videbatur commemorandum illud opus erectionis quinque *novarum Provinciarum* », ab Adm. Rev. Patre Ludovico Martin strenue praeparatum et annis tribus illis ultimis (1907-1910) ab Adm. Rev. Patre Nostro « ad felicem exitum perductum ». Inde factum ut « tres Assistentiae, scilicet Angliae, Germaniae, Hispaniae novis augerentur Provinciis et in universa Societate jam viginti septem existerent Provinciae ».

Novis tamen Provinciis « novae, inquit Pater Noster, Missiones independentes non accesserunt, nisi aliqua ratione excipias novam *Missionem Japonicam* nobis a Sede Apostolica commissam, sed interim nulli certae Provinciae adscriptam. Lente haec Missio procedit in terra ista sanguine Martyrum consecrata, sed nunc admodum dura ac sterili multisque difficultatibus impedita. Nihilominus sperandum est, ut haec Missio a modestis initiis pro more aliorum Dei operum paulatim crescat et floreat, praesertim nunc postquam generosa Provinciarum contributione effectum est, ut intra modestos, sed sufficientes limites area comparari et domus congrue aedificari possit ».

« Praeter Assistentias et Provincias nobilissima Societatis membra sunt *Domus professae*.... Quarum Domorum erectionem multum promovit » ultimarum Congregationum Generalium manifestata

[1] *Congr. Gen. XXV decr. 14, in Instit. S. J.*, l. c., II. app., p. 8.

voluntas et « authentica declaratio Pii X, indultum apostolicum accipiendi stipendia Missarum etiam ad Domus Professas extendi. Hinc zelus diversarum Provinciarum excitatus est », et non solum prima Domus Professa Valentina in Provincia Aragoniae erecta jam est, verum etiam favente Deo brevi tempore futurum ut aliae plures erigantur: Viennae in Austria, Cracoviae in Polonia, Dublinii in Hibernia, Taurini in Pedemontio, Budapesti in Hugaria. « Item in Belgio, in duabus Provinciis Hispaniae atque in America septentrionali jam prima tentamina facta ad erigendas Domos Professas » [1].

Jam « post Domos Professas, inquit Pater Noster, secundum locum occupant *Collegia*, inter quae illa Nostrorum educationi destinata principalem curam videbantur exigere. Quare eo praesertim omne studium fuit conferendum, ut nostri Novitii, Juniores, Philosophi atque Theologi, Patres Tertiarii aliique Patres studiis specialibus addicti in optimis Collegiis et Domibus collocarentur. Quae res quamvis nondum ubique ad felicem metam pervenerit, tamen in compluribus Provinciis felices fecit progressus. Huc spectant, quae in Italia facta sunt, de novis Domibus Novitiatus in Provincia Veneta et Taurinensi, ... de Philosophis et Theologis Provinciae Venetae et Taurinensis in duobus distinctis Collegiis coadunatis, de communi Domo Tertiae Probationis pro omnibus Italiae Provinciis in civitate Florentina erecta, ubi jam in antiqua Societate fuit sedes Tertiae Probationis ».

« In ipsa vero Universitate Gregoriana etiam pro Nostris promptus est cursus superior Juris Canonici ad gradus academicos obtinendos et in Instituto Biblico biennistae quoque collocari poterunt ad studia specialia peragenda, imo forte etiam ad formandos concionatores ».

« In Assistentia Germaniae Provincia Austriae jam in eo est ut pro anno futuro in civitate Oenipontana non solum promptus sit novus Convictus, pro trecentis Theologis, sed etiam nostrum Collegium jam fieri possit verum Collegium maximum et primarium pro Philoosphia et Theologia aliisque studiis specialibus et scriptoribus, ad instar veri cujusdam emporii scientiarum pro universa Assistentia et Societate. Insuper decursu futuri anni scholastici

[1] Cf. quae de Domibus Professis supra dicta sunt.

efficietur, quod jam fuit secundum mentem Adm. Rev. P. Roothaan atque ex votis Adm. Rev. P. Beckx, ut Domus Novitiatus ex deserta valle Lavantina pro more antiquae Societatis transferatur in suburbium civitatis capitalis Austriae ».

« In Provincia quoque Galiciana sufficiens jam area empta est, ut in nostro Collegio Cracoviae ubi est centrum spirituale totius Poloniae, praeter Theologos, Scriptores, Patres studiis specialibus addictos, etiam Philosophi collocentur atque verum perfectumque Collegium maximum habeatur simul cum nova et pulcherrima Ecclesia Sacratissimi Cordis Jesu, quae nunc aedificatur ».

« Provincia Germaniae etiam, nunc ex suo territorio expulsa, in ditione Neerlandica magnam sibi construxit Domum Novitiatus cum adjuncta pergrandi Domo Exercitiorum.... Porro omnia jam in eo sunt ut Domus Scriptorum Luxemburgensis .... uniatur cum Collegio maximo Valkenburgensi cum non levi rei litterariae incremento ».

« Provincia Neerlandica solide et constanter promovit opus praeparandi magistros pro nostris Collegiis, ita ut vix ulla sit Provincia, quae tot habeat magistros laureatos etiam cum diplomate gubernii civilis; fructus sane non satis laudandus ordinatae et constantis industriae. Cui operi sine dubio corona imponetur, si, prout in votis est, tandem aliquando etiam Collegium maximum pro Philosophis et Theologis erigetur ».

« In Provincia Belgica Collegium Lovaniense pro situ suo felicissimo prope magnam Universitatem Catholicam magis magisque facta est sedes studiorum specialium »....

« Provincia Angliae sua optima aula Beati Edmundi in civitate Oxoniensi pergit universae Societati dare praeclarum exemplum, quomodo insigniores magistri formentur, neque dubitandum quin etiam alterum perficiatur, a P. Provinciali jam scite praeparatum, scilicet Collegium maximum in situ congruo pro utraque facultate philosophica et theologica ».

« Patres quoque Hiberniae multum laborant, ut sibi procurent aptum situm pro suo Novitiatu et Junioratu atque ut magis magisque ope novae Universitatis quasi Catholicae promoveant studia ad formandos aptos magistros in nostris Collegiis scholarum mediarum et superiorum »...

« In America Provincia Canadensis serio incumbit, ut sibi pro-

curet novum Novitiatum et Provincialis Marylandiae indefessus est in promovendo negotio novi Collegii maximi in civitate Neo-Eboracensi ».

« Provincia Neo-Aurelianensis in aptissima civitate Nashville amplissimam sibi emit aream cum Domo, ubi mox jam Philosophiae cursus inchoari, imo suo tempore etiam Collegium maximum erigi possit ».

« Provincia Mexicana, ut sperare licet, suum Novitiatum in loco infelici situm, in aliam regionem curat transferendum, quemadmodum Missio Brasiliensis Provinciae Romanae et Missio Argentina novas obtinuerunt easque optimas Domus Novitiatus ».

« Cum in Hispania jam Domibus et Collegiis Nostrorum generatim bene videretur esse provisum, non multa fuerunt consilia capienda de novis Collegiis fundandis, praesertim hisce incertis temporibus. Nihilominus Provincia Toletana ultimis annis bono cum successu sibi in civitate Murciensi constituit Collegium pro nostris Theologis. Alterum vero consilium, quod Provincia Aragoniae suum Collegium maximum potius haberet in civitate Tarraconensi quam in situ disjuncto minusque felici Dertusano, propter injuriam temporum aliasque rationes nondum executioni mandari potuit ».

« Patres Galliae, pro dolor! etiam nunc sedibus suis pulsi suos unitos Scholasticatus extra Galliam laudabiliter retinuerunt atque animo magno et generoso optimis professoribus suppetias tulerunt novo Instituto Biblico in Urbe et ipsi quoque Universitati Gregorianae ».

Quo brevi conspectu nostrae externae ordinationis exhibito, pauca quaedam de *Operibus nostris apostolicis* addens Pater Noster,

« Inter ista, inquit, sane primum locum obtinent *Missiones* nostrae *externae* inter infideles, quae et viros habent spiritu vere apostolico, magno zelo, insigni sui abnegatione plenos ideoque mirum non est, quod in Imperio Sinensi, in India, aliisque regionibus orientalibus, in Africa, in America partim magnos fecerunt progressus, partim certe cum insigni merito laborarunt; v. g. 130.000 catechumenorum in Missione Calcuttensi; in una ex Missionibus nostris Sinensibus 12.000 adulti conversi, qui numerus facile duplicandus erat, si duplex fuisset numerus operariorum in vinea Domini. Qua in re singulari ratione videntur laudandi Patres nostri

Galli in insula Madagascar, qui in difficillima conditione, imo vera persecutione et impediti in scholis, multum promoverunt opus Exercitiorum S. Ignatii inter infideles conversos, qui ita plane mirum in modum in religione Christiana fuerunt confirmati ».

« Alterum praeclarum ministerium nostrae Societatis sunt *Missiones internae*. Non in omnibus Provinciis hoc opus aequali ratione floret, at certe in quamplurimis Provinciis magno cum zelo promovetur »....

« Nostra vero aetate *opus Exercitiorum S. P. Ignatii* maximum cepit incrementum per universam Societatem pro diversis hominum classibus, etiam pro operariis et opificibus; principale vero medium in hoc opere promovendo fuerunt Domus Exercitiorum, quae per diversas Provincias zelo nostrorum Patrum atque munificentia liberalium benefactorum fuerunt erectae. Id quod singulari modo contigit in Hispania, Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia, Germania, Galicia. Cui operi admodum affine est illud recollectionis menstruae, partim pro clero, partim pro exercitantibus ad conservandum fructum Exercitiorum, v. g. in Gallia et Belgio maxima cum utilitate promotum, et omnino est desiderandum, ut hujusmodi sacrum ministerium etiam in aliis regionibus magis magisque dilatetur »....

« Aliqua videntur nuntianda de historia Societatis, quam Adm. Rev. P. Martin tanta cura et diligentia atque ex regulis juxta principia sana scientiae historicae et ab ipso Leone XIII et compluribus viris doctis comprobata inchoavit et promovit. Ultimis annis complura volumina prodierunt et jam nulla est Assistentia, in qua non jam saltem aliquod volumen magni valoris litterarii prodierit. Etenim illud mihi addere licet, quod ex judicio doctissimorum historiographorum etiam extra Societatem, volumina hujus novae historiae Societatis hucusque publicata generatim praestent soliditate investigationis historicae, qua omnia reducuntur ad fontes, methodo vere scientifica, acumine critico, cum pietate conjuncto, non cum pietate sine arte critica, porro sobrietate et aequitate judicii, qua nihil falsi asseritur, neque quidquam veri reticetur, vera historia conscribitur, non panegyricus; nam sola veritas est solidum fundamentum aedificationis in Nostris, et conciliandae aestimationis Societati in externis ».

De scholis nostris pro externis sermone dein instituto, Adm. Rev.

Pater Noster, eo in genere « facile, inquit, rei gravitate principem locum occupat Institutum Biblicum de Urbe, quod ex benignitate Pii X Societati nostrae per singularum quemdam actum fiduciae fuit commissum; primo anno cum magna satisfactione Romani Pontificis suas habuit praelectiones, nunc secundo anno propriam habet sedem in situ optimo et nobili palatio atque, id quod maximi est momenti, novos quoque et insignes accepit Professores, quorum ductu et magisterio etiam nostri biennistae biblici praeparabuntur ».

« Alterum opus in Italia hisce ultimis annis inchoatum est Convictus Universitarius in civitate Patavina »...

« Verum praesertim Leccense Seminarium centrale undeviginti Dioecesium Apuliae, quod Patres Provinciae Neapolitanae ex mandato Apostolico regendum susceperunt, optimam dedit satisfactionem »...

« Quod opus etiam superat novus Convictus Oenipontanus, qui... nomen habebit Collegii Canisiani et trecentis theologis est destinatus ».

« Sunt sane et alia nova Collegia mihi recensenda, v. g. novum Collegium Matritense, novum parvum Seminarium prope Collegium Comillense ».

« Patres quoque Galliae non obstante persecutione partim in Hispania partim in Italia novas sibi acquisiverunt sedes. Provincia Romana praeter Collegium Neo-Friburgense aedificat in civitate Rio-Janeiro magnum Collegium pro externis ».

« Alia omitto, quae facta sunt in Belgio et in Hollandia, in Provincia Neo-Aurelianensi et Californiae, in ampliandis Universitatibus Provinciae Missourianae et Marylandiae »...

« Tandem coronidis loco illud commemorandum est, quod certe principem locum obtinet. Quamvis enim cum omni humilitate dicere non possimus, quod sine peccato simus, et qui justus est, multo magis in justitia proficiat necesse sit, tamen in universum absque temeritate dici potest in nostris Provinciis vigere bonum spiritum religiosum, et quod maximi momenti est sincerum studium supplendi ea quae desunt, et proficiendi in via virtutis. Maxima cum mea consolatione vidi, quomodo per diversas Provincias ardeat amor Christi Domini Nostri praesertim in propagando cultu Sacratissimi

Cordis Jesu. Palam facta est maxima illa caritas, qua singulae Provinciae inter se uniuntur, cum generose provenirent Provinciae Siculae ingenti calamitate terrae motus afflictae.... Non paucae Provinciae.... denuo expositae sunt periculo expulsionis; at Superiores cum prudentia futuris prospiciunt et omnes simul ostendunt animum promptum ad ferendam crucem, si Divina Providentia ita disposuerit ».

## CAPUT III

### Summi Pontifices et Societas Jesu

Inter omnes constat Societatem inde a primordiis suis singulari modo fuisse Sanctae Sedi devinctam. Cujus pietatis causa non in hoc tantum ponenda est, quod cum ipsa Societas, tum singuli ejus Socii voluerunt Christi in terris Vicario esse devotissimi, verum etiam ac potissimum in ipsa nostri Ordinis natura, id est in solemni quarto Professorum voto. Quo quid importetur, quave ratione Societatem Sanctae Sedi devinciat, manifesto sermone declaratur in *Formula Instituti*, quam a Sancto Ignatio compositam atque oblatam approbavit Paulus III: . .

« Sciant, inquit, omnes Socii, et non solum in primis Professionis suae foribus, sed quoad vixerint quotidie animo volvant, Societatem hanc universam et singulos, sub Sanctissimi Domini Nostri Papae et aliorum Romanorum Pontificum successorum ejus fideli obedientia, Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur et fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam Capiti ac Jesu Christi Vicario subesse: ad majorem tamen nostrae Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscujusque mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere judicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto astringi; ita ut, quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes jusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur; sive miserint nos ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, existentes, sive ad quoscumque haereticos seu schismaticos seu ad quosvis fideles » [1].

Ne autem Societati deesset ejus obedientiae exercendae opportunitas, utque eadem in dies arctius Sanctae Sedi devoveretur, et

[1] Constit. *Regimini militantis Ecclesiae. Instit. S. J.*, I, p. 4.

« ad finem nostrae Professionis ac promissionis melius consequendum Praepositus Generalis, cum novus Christi Vicarius in Apostolica Sede fuerit constitutus, per se vel per alium intra annum ab ejus creatione et coronatione teneatur ejus Sanctitatis declarare professionem ac promissionem expressam obedientiae, qua ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad Dei gloriam se obstrinxit » [1].

Quae quidem Summum Pontificem inter et Societatem intercedens ratio conjunctissimam ejus cum Sancta Sede necessitudinem sponte sua generavit. Saepe igitur Summi Pontifices jure usi sunt suo, neque officio Societas defuit unquam, semper parata ad missiones etiam difficillimas suscipiendas, « non petito viatico, sine ulla tergiversatione aut excusatione, quocumque gentium ». Ac reapse praecipuo semper honori Socii sibi duxerunt et laborare et desudare, immo etiam sanguinem ac vitam profundere pro Christi Vicario. Pietas virorum pro Sancta Sede laborantium ipso labore crescebat, neque Summi Pontifices paterna benevolentia ac liberalitate Societatem prosequi, gratiisque et favoribus eam cumulare destiterunt.

Exemplum ponendo praeivit Pius VII, qui, per universum orbem restituendo Societatem, abjectione eam expedivit, qua, temporum quidem iniquitate et mala principum voluntate, vincta jacebat, reddiditque ei ut denuo esse posset Sanctae Sedis Apostolicae manus lectissima. Vix enim ille ad Pontificiam Sedem evectus, animum ac fiduciam Societati addidit. Intimis videlicet animi sensibus ut inter se consociarentur, apprime parati erant Pontifex ille martyr et paene ad martyrium usque vexata Societas. Plagis igitur sauciatae porrectam manum non repudiavit Pius VII, neque Societatem infamia quasi fluctibus obrutam demergi sinens, eam cum amore ad salutem diligentissime evexit.

Etenim « humillimas, inquit, ad nos dedisti preces, in quibus obsequenti animo supplicasti, ut, quo ne coetus iste ac Societas vestra, nullis fulcita praesidiis quibus Apostolica Sedes Regulares Ordines ac Congregationes munire consuevit, eorum, qui nunc vivunt, interitu dilabatur, in Societatem vos pristinam uniri et canonice posse existere Apostolica auctoritate decerneremus. Nos .... nul-

[1] Constit., Part. VII, C. I., n. 8.



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lum pro Nostra pastorali sollicitudine praetermittere officium debemus, quin clericos et Presbyteros, qui studium et laborem in excolenda vinea Domini non refugiunt, novis stimulis excitemus et gratiis etiam et favoribus prosequamur »[1].

At Societati non solum salutis auctor Pius VII fuit, verum etiam ipsum beneficii pretium auxit singulari illa paternae benevolentiae significatione qua opem tulit. Ac revera, quasi eodem uti sermone vellet, quo suum ipsorum inter se commercium explicare Nostri solebant, Pontifex ipse, compellans eos, « *o quam bonum et jucundum*, inquit, *habitare fratres in unum .... quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum* »; ac porro: « Habitantes in Domo Domini unius moris et labii sunt, dulces simul capientes cibos in Domo Domini cum consensu ». Laudavit etiam Societatis « fidem, integritatem, scientiam », atque egregia de laboribus ejus sibi facta spe, eam « sub sua et Sedis Apostolicae immediata protectione ac subjectione recepit ».

Quae quidem scripsit Pontifex, 7 Martio 1801, vidxum ille ad Petri Sedem evectus. Procedente autem tempore crevit ejus in Societatem voluntas. Anno sane 1804, in regno utriusque Siciliae eam instaurans, laudavit « Ferdinandi Regis vota, suorum subditorum spiritualem ac temporalem utilitatem prae se ferentia, ac majorem Dei gloriam et animarum Christi fidelium salutem in primis respicientia »[2]. Neque occasionem praetermisit ullam, qua Societatis ipsius vel Superiorum ejus animum confirmaret suamque Nostris significaret propensam voluntatem; ut cum, 2 Novembri 1805, gavisum se esse scribit, quod P. Thaddaeus Brzozowski per epistolam certiorem eum fecerit de electione sua ad supremam Societatis praefecturam:

« Non solum, inquit, quod per eam novum accepimus testimonium devotionis illius ac pietatis, qua semper Societas eadem huic Sanctae Sedi insigniter adhaesit, sed etiam quod, cum audiverimus de viri hujus meritis et virtute, intelleximus quam prudenter ac sapienter factum sit ut ipsi detulerint istam dignitatem. Ideoque id ipsum novum argumentum nobis est ardoris illius atque affectus constanter fovendi, quo prosequimur coetum istum, qui singularia in Ecclesiam Dei fidemque Christianam emolumenta contulit, quem-

[1] Breve *Catholicae fidei. Instit. S. J.*, I, p. 332 s.
[2] Breve *Per alias*, 30 Julio 1804. *Instit. S. J.*, I, p. 335.

que paterno nos animo propterea negligere non possumus, quia certa nobis adest spes fore ut in futurum etiam tempus eadem inde commoda debeant exspectari » [1].

Verbis pari modo amantissimis usus est Pius VII, 15 Octobri 1806, cum de Francisco de Hieronymo, ad Beatorum honores evecto, Pater Brzozowski gratias ei retulisset. Immo vero cum tabesceret ipse in vinculis Fontainebleau, tamen Societatis in Anglia exagitatae misertus, curavit ut per virum fortissimum, Carolum van der Vrecken, civem in urbe Maastricht, rescriptum Vindobonam perferretur, quod dederat 10 Novembri 1813, ut nimirum allegatus Vindobonensis, Pontificis nomine atque auctoritate, suorum in Anglia filiorum doloribus finem imponeret [2].

Incipiens quoque enarrare, qua ratione sit per universum orbem restituta Societas, Pacca Cardinalis ostendit, a Pio VII Societatem aestimatam fuisse atque amatam, eumque magno gaudio affectum esse, cum perspiceret fieri posse ut restitueretur Societas; atque in ejus gaudii partem se quoque ipsum venisse Cardinalis affirmat [3]. Supra jam describendo narravimus, cum quanta amoris significatione Pontifex ex aedibus Quirinalibus se contulerit ad Ecclesiam Sanctissimo Jesu Nomini dicatam, ut ipse, Patribus Bullam *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* tradens, eorum esset gaudii testis atque abunde suppeditaret unde vitam sustentare possent. Nec sane unquam poterit Societas debitam Pio VII referre gratiam, quod auxiliis omnimodis, temporalibus ac spiritualibus, ille eam ad pristinum florem promovere conatus est. Materno plane amore ac providentia ad obitum usque suum prosecutus eam est, primordio quidem debilem sustentans, succrescentis deinde gressus primos dirigens, benigne quoque prima ejus esse infirma conamina est passus; quod tum praesertim obtinuit, cum, anno 1820, res undique imminebant periculo plenae. Unum autem e praeclarioribus vitae suae diebus vocabat, quo Societatem restituerat. Cum, quasi martyrio pro Ecclesia Dei tolerato confectus, caput laboribus fessum ad aeternam quietem componere posset, tum rerum ipsarum eventu usuque edo-

[1] * *Litterae gratulatoriae Pii VII ad R. P. Th. Brzozowski, Bullar. Societatis*, p. 21.

[2] * *Rescript. 24 Dec. Nuntii Pontif. ex auctor. Pii VII* (10 Novembris 1813). *Bull.*, p. 26-27.

[3] Pacca, *Memorie storiche del Ministero*, Roma, 1838, p. 361.

ctus, plane persuasum sibi habebat, vera esse, quae ad Hispaniarum Regem aliquando scripserat:

« Ut longa, inquit, annorum experientia docuit, ... Societatis Jesu regulares Presbyteri non modo ob probatos eorum, atque ad evangelicam vitam conformatos mores bonum, ubicumque terradum degunt, Christi odorem longe lateque diffundunt, sed ad animarum salutem procurandam tota animi contentione se conferunt. Quem ad finem consequendum omnigenarum scientiarum suppellectilem cum vitae integritate copulantes in amplificanda religione eaque a nefariis impiorum hominum conatibus defendenda, in corruptis Christianorum fidelium moribus ad bonam frugem revocandis, in juventute ad omnem litterarum et pietatis Christianae rationem informanda summa cum utilitate versantur » [1].

Ut porro gratam se pro tot tantisque beneficiis praeberet, Societas ad Pii animae refrigerium sacra 4000 Deo obtulit.

Timuerunt autem Patres, cum 28 Septembri 1823 nuntiabatur, della Genga Cardinalem esse Summum Pontificem creatum nomine Leonis XII. Anno enim 1820, cum haberetur Congregatio Generalis, consilia secutus hominum turbulentorum, Rezzi et Pancaldi, durissima de Societate verba fecerat, eamque adhaerendo Patri Petrucci ad interitum pene adegerat. Mox tamen patuit eum in hoc etiam discrimine rectissima mente egisse, deceptum quippe astutia malitiosorum, timentemque nimium ne Societas a Paccanarismo corrumperetur. Jam die 11 Octobri Pater Rozaven scripsit ad Patrem Billy:

« Causa timendi fuit ne non esset benevolus nobis; sed Regum et prae ceteris Pontificum corda in manu Dei sunt. Novum suscipientes honorem, novos quoque sensus induunt. Nondum potuit ad eum admitti Pater Generalis; sed jam certo novimus eum nobis favere ac brevi benevolentiae testimonium publicum et manifestum ab eo datum iri. Certe personae cuidam, amicitia ejus multum utenti, cum Societatem ei commendare ausa esset: « Si tua, respondit, Societatis interest, scito mea interesse magis » [2].

Nec diu dilatum istud benevolentiae testimonium. Die enim 7 Majo 1824 Societati Leo XII reddidit Collegium Romanum, confessus jam Pium VII id animo statuisse, sed morte interceptum non

[1] * *Bull. S. J.*, p. 34.
[2] Crétineau-Joly, Tom. VI, p. 224.

potuisse exsequi [1]. Cui insigni fiduciae testimonio Leo XII addidit, redituum nomine, « annuum censum scutorum duodecim millium monetae Romanae integrum, atque ab omni onere liberum, scutorum scilicet mille in singulos menses et proxime futuro Octobri numerandos ». Data insuper a Leone XII Societati, quae ad Collegium Romanum pertinebat, « Ecclesia S. Ignatii et continens Oratorium, quod a Patre Caravita nuncupant, nec non cum museis, bibliotheca et speculari turri aliisque adnexis et pertinentiis ». Neque tamen hoc dono satisfactum Pontificis liberalitati et benevolentiae fuit. Etenim ille « cum decrevimus, inquit, insuper Collegium nobilibus alumnis educandis erudiendisque, in opportunis peculiaribus aedibus infra sex menses proximos constituere..., illius quoque Collegii regimen per eosdem Clericos Regulares Societatis Jesu assumi et geri volumus.... Suburbanas idcirco aedes in pomoerio Tiburtino, pro veteri nobilium Collegio olim exstructas, tradendas interim ipsis Sodalibus sancimus, ut feliciori coelo, per autumnales praesertim ferias, rusticari ibidem memoratis nobilibus alumnis commodum sit » [2].

Dein per chirographum, die 1 Novembri 1825, adsignavit, in quo Collegium nobilium institueretur, palatium Borromaeum, quod est in via del Seminario situm, quaeque, posteaquam anno 1870 Collegium Romanum a gubernio fuit occupatum, hodiedum est Universitas Gregoriana [3]. Munifice benevolus Pontifex Germanici etiam Collegii alumnis, qui inde ab anno 1819 degebant in Domo Professa ad Templum Farnesianum, accommodas aedas voluit adsignare. Jam vero grande vetus Collegium Germanicum Sancti Apollinaris, cum ad usum Seminarii cleri Romani ac Vicariatus Romani deputatum esset, difficile reddi potuit. Collatis ergo consiliis, inter Leonem XII et Praepositum Generalem Societatis convenit ut Collegio Germanico-Hungarico adsignaretur Collegium Umbrum, cui nomen Umbro Fuccioli situmque est in foro S. Luciae ad tabernas obscuras [4]. Patuit tamen, Collegium accommodatum non esse, ita

[1] Ut redderetur, libellum supplicem Pio VII porrexerat Marchio Patrizi, Senator Romanus.

[2] Cf. Breve *Cum multa, Instit. S. J.*, I, p. 345 (1824).

[3] * *Bullar. S. J.*, p. 50 (1825).

[4] * Ibid., p. 61-68. Bona, jam anno 1810, Collegio Germanico restituenda curaverat Pius VII. Steinhuber, *Geschichte des Koll. Germ.-Hung.*, 2e Aufl. Freiburg, 1906, II B., p. 208 ss.

ut in Domo Professa manserint Germanici, donec anno 1851 Pius IX iis adsignavit Palatium Borromaeum [1]. Singulis annis novam contulit Societati gratiam liberalitas Pontificia. Anno 1826, die 4 Julio, conditum a se Collegium Spoletinum, quo traderentur humaniora, Philosophia, Jus civile et canonicum, Theologia et S. Scriptura, Leo XII, « cum opportuna redituum dotatione » dedit Societati [2].

Eodem anno, die 11 Julio, edita est celebris illa Bulla *Plura inter*, qua « quaedam ex privilegiis olim concessis confirmat Pontifex, multisque novis auget ». Eo autem sermone scripta Bulla est, quo paterna Pontificis bonitas filiis benefacere eosque ad laetandum excitare satagat. Insigne donum istud novorum privilegiorum, quae per columnas septem descripta recensentur, larga Pontifex manu confert [3], Societatis etiam laboribus egregie laudatis. Nam:

« Neminem, inquit, latet quot quantaque in Christianam praecipue rempublicam commoda ex hac ipsa Societate, quae virorum et pietate et multiplici doctrinarum laude praestantium foecunda nutrix, profecta et in posterum etiam profectura speramus, cum vix novellis defixa radicibus ingens ramos late pandit. Equidem praeter alia, non solum in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia, verum etiam in Italia ac transalpinis remotisque regionibus, ubi peramanter accepta, nihil non aggreditur ac movet, ut juvenes et adolescentes piis ac liberalibus disciplinis mature imbuti nostrae proximaeque aetatis ornamento sint futuri » [4].

Neque omisit Pontifex etiam in temporalibus curis opitulari Societati. Noluit enim, qui se totos adolescentibus instruendis impenderent, ipsos necessitate premi. Die quidem 7 Julio 1827 auxit reditus Collegii Beneventini, atque 11 Octobri ejusdem anni petentibus incolis Faventiae, ut in sua civitate Collegium institueretur, respondit rem per aliquot annos esse dilatandam, eo quod reditus non sufficerent. Ipso etiam mense ante suum obitum Leo XII sollicitudinem convertit ad Patres, qui, in dissitis Angliae finibus degentes, falsarum opinionum atque invidiae causa multis aerumnis

[1] Ibid., p. 440 ss.

[2] *Bullar. S. J.*, p. 73.

[3] Cf. P. Eduardum Fine S. J. *Juris regularis tum communis tum partic. quo regitur Societas Jesu declaratio.* Prati, 1909, p. 674 ss.

[4] *Instit. S. J.*, l. c., p. 350 ss.

vexabantur. Nempe, ad Episcopum Thespiensem datis litteris scripsit Pontifex, declaravitque Constitutionem *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* « etiam in Anglia vim habere quoad omnes effectus spirituales et canonicos, ita .... ut liceret, alumnos Societatis Jesu ad Sacros Ordines promovere titulo paupertatis, eosdemque alumnos iisdem frui privilegiis, quibus reliqui Ordines religiosi in Anglia fruerentur » [1].

Quocumque poterat modo Leo XII Nostris, qui etiam tum malis plurimis obruebantur, animum viresque addere conatus est. Saepe eorum ipse Domos visendi causa intravit, suos iis nepotes instruendos tradidit. Pro sedibus Neo-Eboracensi et Drummorana destinaverat Patres Antonium Kohlmann et Petrum Kenney; qui tamen, interventu Praepositi Generalis, periculum effugerunt. Pater Pallavicini quoque renuit quominus ad sedem Regii Julii eveheretur. Tanto igitur praesidio munita Societas numero ac viribus valde crevit. Non tamen diu regnavit Leo XII. Obiit enim 10 Februario 1829, paucis diebus post defunctum Patrem Fortis, Societatis Praepositum Generalem, qui intima amicitia carus ei fuerat.

Multo etiam brevior fuit Pontificatus Pii VIII, e gente Castellionensi. Cui Pontifici etiamsi spatium vix fuit factis ostendendi quantopere Societati faveret, in comperto tamen apud omnes erat ei caram esse Societatem. Apud se quidem recipiens Patres: « Saepe jam dixi, inquit, ac quotiens aderit opportunitas libenter semper dicam, me amare Societatem Jesu. Inde ab infantia enim hi sensus animo inhaerent meo, qui singulari veneratione semper coluerim S. Ignatium et S. Franciscum Xaverium, cujus, indignus licet, nomen gero. Magistris Jesuitis celebritate claris studiis operam dedi. Ac novi equidem quae illi bona in Ecclesiam conferant, ut sicut Ecclesia a Pontifice sejungi non potest, ita nec possit a Societate separari Pontifex. Quam vero iniqua sunt tempora haec! Nunquam enim majorem audaciam, majus odium, astutiam majorem prae se tulit impietas. Propediem, quis sciat, forsan nova infligentur Ecclesiae vulnera; sed conjuncti omnes pugnemus contra Domini inimicos. Revertimini ergo vos in vestras Provincias [2], eumque, qui

[1] * *Bullar. S. J.*, p. 108 ss.

[2] Hi erant Patres Congr. Generalis XXI, qua Praepositus Generalis electus erat P. Roothaan; habita autem est Romae a die 30 Junio ad 17 Augustum 1829. Quare errat Crétineau-Joly dum dicit Patres a Pio VIII receptos die 22 Aprili.

vobis inest, ardorem in Sociis vestris excitate. Obedientiam et probitatem praedicate atque docete in scholis, in cathedris, in confessionalibus, voce, animo, calamo. Benedicat Deus conatibus vestris, atque hoc firmum ratumque habetote, vobis me semper praesto futurum patrem prae omnibus tenerrimum et devotissimum » [1].

Die 2 Decembri 1829 Pius VIII, comitibus Cardinalibus della Somaglia et Odeschalchi ad Societatis templum, cui nomen *Il Gesù*, se contulit, ut ante altare S. Francisci Xaverii Deum precatus, ibi beatificationem Alphonsi de Liguori publicaret. Porro Collegiis Nobilium et Germanico-Hungarico multum favebat. Cum Collegii de Propaganda Rectorem renuntiasset Carolum Augustum von Reisach, animadvertentibus eum nuperrime absolvisse studia, convictorem in Collegio Germanico: «Bene habet, inquit, parum ille quidem aetate provectus, verum studuit in optima schola, ejusque omnes laudant maturitatem, aptitudinem, probitatem » [2]. Mirum sane non est Patres Societatis praematura Pii VIII morte (30 Novembri 1830) vehementer doluisse.

Quod tamen damnum, qui ei successit, Gregorius XVI abunde compensavit. Annis enim, quos ejus Pontificatus duravit, 15, Bullarium rescripta censet Societati gratiosa haud minus 54 [3]. E quibus pauca tantum notari hoc loco possunt. Societatis Universitati Georgiopolitanae in America Gregorius XVI, 30 Martio 1843, fecit facultatem conferendi gradus academicos, hac ratione addita, quod jampridem per Brevia Julii III, anni 1552, et Pii IV, anni 1561, ea facultas « competebat, inquit, omnibus ejusdem Societatis Collegiis, in quibus Philosophiae et Theologiae cursus rite absolvebatur .... sed maxime quod, cum Georgiopolitanum Collegium sit in Foederatis Americae Statibus sola Universitas publice agnita, spe doctoratus illecti, quod in illis regionibus maximi fit, undique ad illud confluunt juvenes Ecclesiastici, sicque cursum Theologiae, quem in eorum Dioecesibus leniter modo attingunt, rite absolvant » [4].

Insequenti autem anno, die 29 Septembri, Pontifex denuo inauguravit Collegium Illyricum, a Gregorio XIII Laureti conditum,

[1] Crétineau-Joly, Tom. VI, p. 230.
[2] Steinhuber, *Geschichte*. etc., Tom. II, p. 447.
[3] * *Bullar. S. J.*, p. 110-179.
[4] * Ibid., p. 119.

eique, rebus necessariis omnibus instructo, curavit ut traderetur etiam Villa Leonaria a S. Hieronymo nuncupata [1]. Cardinali Fransoni, Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, petenti ut hujus Congregationis Collegium Urbanum Societati gubernandum traderetur, statim annuit Gregorius, ac 2 Octobri 1836 rescriptum edidit, in quo magnis laudibus Societatem honorabat. Etenim: « quemadmodum, inquit, Congregationi Nostrae de Propaganda ita Nobis quoque persuasum est, instructionem adolescentium clericorum illorum, qui postea debebunt in remotissimis regionibus diffundere Evangelii lumen, atque ad excolendam vineam Domini suos, Evangelii causa, impensos labores adhibere, non posse cum majore Ecclesiae emolumento demandari aliis quam coetus hujus religiosi Sociis, qui adolescentibus, sancto Dei timore litterisque et scientiis, quarum salutaris iste timor est principium, erudiendis ex Instituto ipse suo specialiter addictus est, ac simul zelo majoris Dei gloriae promovendae in omni suo labore intentus. Deinde quae diuturno usu, inde a prima Societatis Jesu institutione usque ad nostra tempora, Ecclesia ipsa feliciter experta est de summa aptitudine Patrum Societatis ad gubernanda Collegia adolescentium, sive saecularium sive clericorum, in tam diversis orbis terrarum partibus; demum bonum omnium testimonium, quod ubique vel ipsi S. Sedis et Ecclesiae adversarii, rerum evidentia inducti coguntur reddere Societati Jesu de optima educatione qua instituuntur adolescentes in Collegiis a Societate Jesu administratis: ea omnia ejusmodi sunt ut animum Nostrum moveant ad annuendum libentissime precibus, a Domino illo Cardinali Nobis nomine Congregationis nostrae de Propaganda exhibitis » [2].

Facile intelligitur Patres in regendo Collegio Urbano summa cum diligentia conatos esse tantae Pontificis benevolentiae facere satis.

Collegio Romano, die 11 Octobri 1838, concessum est ut loco cathedrae controversiarum erigeretur cathedra Juris Canonici [3], quod ante illum diem in Collegio Romano non tradebatur [4]. Inse-

[1] * Ibid., p. 120.
[2] * *Bullar. S. J.*, p. 128-129.
[3] * Ibid., p. 132.
[4] Erat Archigymnasii Romani proprium privilegium conferendae laureae doctoratus in Jure Canonico. Postea vero idem privilegium Collegio quoque Romano collatum.

quenti anno, die 5 Martio, Pontifex Patribus regendum et possidendum reddidit Collegium Firmanum, ac die 28 Septembri concessit ut conderetur et Patribus Societatis mandaretur Collegium Camertinum [1]. Anno autem 1837, cum vehementer saeviret cholera morbus, multum confisus est Gregorius XVI auxilio Societatis. Jussit B. Mariae Virginis imaginem, miraculis claram, solemni pompa e vetere Basilica S. Mariae Majoris portari in templum SS. Jesu Nomini dicatum, quo melius Pontificis nomine omnibus pronuntiaretur, quam strenue Jesuitae incumberent operibus caritatis. Circumdatus igitur a Cardinalibus, Senatoribus atque universo Magistratu Romano, Pontifex ipse pedibus incedens pompae interfuit. Ac sane res fuit visu gravissima, cum thesaurus ille, populo Romano carissimus, in manus Praeposito Generali Societatis traditus, collocabatur in Aede Salvatoris Jesu. Nec fuerunt Patres unquam hujus fiduciae Pontificiae immemores. Qui tum erat Societatis Praepositus Generalis, Pater Joannes Philippus Roothaan, ipse Gregorio XVI deinde superstes, ad finem usque intima ejus familiaritate usus est. Referri autem hoc loco nequit quot Indulgentias aliasque gratias spirituales sanctus ille vir a Gregorio XVI obtinuerit.

Vir quoque mitissimus ille, Pius IX, paterna caritate Societatem dilexit; qui etiamsi ipse aerumnis atque insectationibus vexabatur, Societatis tamen dolores intime sensit deploravitque. Circumdatus autem ille viris, qui nimio effrenis libertatis desiderio tenebantur, saepe non nisi difficillime a Patre Roothaan adiri potuit; nihilo tamen minus in dies manifestius demonstravit paternam benevolentiam. Mortuo Patre Roothaan, cum Patribus, qui in Congregatione Generali XXII successorem ei electuri erant, Pontifex familiarissime sermonem habuit [2].

Sub finem Pontificatus Gregorii XVI et ineunte Pii IX regno in ore et scriptis inimicorum Ecclesiae perpetuus erat sermo de Jesuitarum doctrinis capessendae reipublicae. Pedemontanum videlicet gubernium Pontifici favere eique, libertatem promovere desideranti, socium esse operis velle affirmabant; officere tamen factionem Jesuitarum, ideoque eos Pontifici simul ac gubernio Pedemontano

[1] * *Bullar. S. J.*, p. 135 ss. et 143 ss.

[2] A. M. Verstraeten, S. J., *Leven van den Hoogeerw. P. Petrus Beckx, XXIIe Generaal Overste van het Gezelschap van Jezus*, Antwerpen, 1889, p. 273.

adversari. Quae mendacia, quantumvis incredibilia, repetita tamen perpetuo, ipsos etiam bonorum animos ad suspicandum movebant. Immo vero e Cardinalibus non defuerunt qui calumniae adhiberent fidem. Quorum etiam unus, ceteroquin Societati haud inimicus, anno 1847 dixit Patri Beckx, futurum ut Societas iterum desereretur, eademque projiceretur ratione qua, anno 1773, factum jam fuisset. Ei autem Cardinali explicavit Pater Beckx ad hoc solum compositas istas fallacias esse, ut summis Ecclesiae moderatoribus invisam redderent Societatem, quo eam facilius iterum pessumdare possent. Congregatis autem Patribus Procuratoribus proposuit Pater Beckx ut obsequii libellus omnium nomine offerretur Pio IX. Annuentibus Patribus libellum Procurator Provinciae Austriacae, Pater Beckx, et Procurator Provinciae Romanae, Pater Benetti, Pio IX obtulerunt, his verbis conceptum:

« Beatissime Pater, Procuratores omnium Provinciarum Societatis Jesu, de more Romam acciti pro Congregatione triennali et ad negotia Ordinis cum Praeposito Generali tractanda, benignissima ac vere paterna humanitate qua Sanctitas Tua singulos excipere dignata est summopere devincti, jam jam in Provincias redituri acerbissimum animi sensum, quem aliunde conceptum attulimus, apud Te, Sanctissime Pater, censemus deponendum. Novimus enim praeter alias calumnias etiam vulgari Jesuitas esse Sanctitatis Tuae studiis ordinationibusque adversos. Si aliam quamcumque calumniam alacres saepe et silentes toleramus, hanc certe injustissimam et nostro nomini injuriosam sustinere omnino non possumus. Pupilla nostri oculi laeditur: quae enim Apostolicae Sedi in aeternum nos devovet vocatio, omnibus mundi bonis et vita multo est pretiosior. Ad iniquissimam illam accusationem refellendam, Pater noster Generalis etiam in foliis publicis, quae sit Societatis Jesu sentiendi ratio palam declaravit; qua quidem declaratione omnium nostrum expressit mentem; credimus tamen nostri quoque esse muneris, contra injustissimam hanc calumniam coram Sanctitate Tua reclamare, et ex certa quam singuli nostrarum Provinciarum habemus scientia, profiteri ac testari Societatem Jesu, ubicumque terrarum existat, sacrae personae Sanctitatis Tuae esse intime devotam, Paternae Tuae Providentiae toto corde et animo confidere ac a Tua voluntate Tuoque nutu plenissime in omnibus pendere ».

« Dum haec filialis affectus fideique perennis sensa ad pedes Sanctitatis Tuae submittimus, Apostolicam benedictionem nobis nostrisque Provinciis impertiendam summa humilitate et submissione imploramus ».

Subscripserant libello omnes Provinciarum Procuratores 15, die 25 Novembri 1847. Quibus comiter valde ac paterne respondens Pius IX: « Profecto mihi, inquit, necessaria ista non erant; plane enim perspectos habeo hos Societatis sensus »; dein, benedictionem impertiens, « en hoc, inquit, esto pro vobis et pro tota Societate » [1].

Quae obsequii testificatio, quamquam Pontifici non necessaria, haud tamen pro iis, qui cum Pontifice degebant, nec pro aliis communiter hominibus supervacanea erat. Hanc quippe sibi semper vindicavit gloriam Societas, se esse Sanctae Sedi devotissimam neque unquam refugit pro primario suo capite insectationes pati. Sequitur ut non possit ei acerbius quicquam accidere quam si per calumniam quidam contenderint se defendere Pontificem contra ipsam Societatem.

Eadem haec postea atque in eandem sententiam exposuit, cum Praepositus Generalis constitutus jam esset, Pater Beckx, 24 Octobri 1860, ad Victorium Emmanuelem Regem scribens: « Quidquid nobis, inquit, acciderit, hoc nobis aderit praesens solatium, nos dignos repertos esse, qui pro Nomine Jesu pateremur, nulla per nos data occasione, nisi quod Christum ejusque crucem praedicavissemus, universosque essemus hortati ad praestandam reverentiam et obsequium exhibendum Ecclesiae Summoque Pontifici » [2].

Cujus sane rei optime gnarus, Pius IX ex animo intimo dixit « plane perspectos a se haberi istos Societatis sensus ». Qui etiam, cum Electores, anno 1853 in Congregationem Generalem XXII congressi, coram Pontifice venerationis atque obsequii testimonium ei exhiberent, respondens illis, summopere laudavit defunctum Patrem Roothaan, seque desiderare dixit, ut ei successor eligeretur pari sapientia et prudentia praeditus, quique pari modo vir esset secundum cor Dei. Deinde vero electum Patrem Beckx probavit valde et jocans, ut solebat, in Gallos qui, anno 1849 ipso illo die, 2 Julio, ingressi Romam erant, facete dixit: « Istud vos Gallorum more fecistis, cito cito ».

[1] VERSTRAETEN, l. c., p. 299 et Bijlage 17.
[2] Ibid., p. 119.

Anno 1860 Garibaldi dictator decrevit ut Jesuitae omnes e regno utriusque Siciliae exsularent eorumque bona addicerenter in publicum. Multi Romam fugerunt. Die 16 Junio Pius IX aedes nostras ad Templum Farnesianum ipse adiit, Praeposito Generali Patribusque expulsis solatium laturus. Facto in aede Sacro, accitos ad se Siculos omnes ad pedis osculum admisit, singulos sive benigne sive facete allocutus. Aderat inter exsules Pater Pontano, grandi statura vir. Cui Pontifex: « En Siculum, ait, quasi Aetnam ». Quo ad manus etiam osculum admisso, mox universos allocutus: « Filioli, inquit, exspectate. Patiamur aequo animo quae voluerit Deus. Persecutio haec omnibus ubique Catholicis addidit animos; qualem ego rem nusquam legi; antea, inquam, quo nimirum tempore legebam ego. Exspectate: quae enim passi estis, jam praeterierunt; quae vero ventura sunt neque ego scio. Sum etenim Vicarius Dei, non ejus Secretarius. Quod si in bonum cessura sit persecutio, producat eam Deus, immo etiam augeat; verum gratiam det nobis, qua eam fortiter valeamus tolerare ». Recedens deinde atque ad eos, qui cum ipso erant, conversus: « Sane, inquit, praeclarum quid, ut vapules nec tamen a laborando cesses » [1].

Praepositus quoque Generalis, quae Pontifex fuerat perpessus deplorans:

« In hac, inquit, Urbe, quae religionis sedes est princeps, ubi Patrum monumenta, ubi Martyrum reliquiae, ubi Petri cathedra, nihil est sanctum quod non profanetur, Christianae veritates audacter negantur, Sacerdotes probris opprimuntur, virgines Deo dicatae e suis domibus ejiciuntur, adolescentes ab Ecclesiae disciplina arcentur, et latis legibus a sacra ejus militia prohibentur, et in exercitium plane alium, imo vero ab Ecclesia alienum conscribuntur. Quid plura? Pontifex Maximus per sacrilegum facinus B. Petri patrimonio spoliatur, novo captivitatis genere detinetur, per quod vix quicquam integrum illi est ad Ecclesiae regimen, vix aliud reliquum est quam quod ad Deum preces fundat » [2].

Deinde, ut pro Pontifice deprecentur hortatus Societatem: « Nonne, inquit, maxime Ecclesiae bonum est sancta illa precum conjunctio, in quam quotquot sunt toto orbe diffusi Catholici miri-

[1] Ibid., p. 321.
[2] *Epist. Praep. Gen.*, III, 192.

fice conspirant, ita ut, quando quidem Petrus rursus in carcere servatur, rursus oratio fiat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo »[1].

Ita Pontifex et Societas invicem sibi socii fuerunt non solum in rebus prosperis sed etiam in adversis, quibus quidem multo frequentioribus utebantur. Anno tamen 1869, in media ista temporum iniquitate, Pontifex et Societatis Praepositus Generalis ambo diem egerunt laetissimum, quasi in ipsa deserti ariditate locum nacti fertilem. Utrique enim annus ille a suscepto sacerdotio quinquagesimus fuit. Per quam occasionem iterum patuit quam familiariter cum Patre Beckx ageret Pius IX. Cum enim admissus ille coram nuntiaret Pontifici, velle Societatem septimo Martio agere Praepositi sui festum diem, dum Pontifex octavo Aprili jubilaeum celebraturus esset suum, subridens Pius IX: « Parum belle, inquit, Pater Generalis, sic statuistis. Ante Pontificem enim praecurrere te non decet ». Cui Pater Beckx: « Immo vero decet, Sanctissime Pater, atque etiam oportet ita fieri. Die enim 7 Martio equidem Sacrum faciam sine Gloria; acto autem Paschate Sanctitas Tua Sacrum celebrabit cum Gloria ». Talibus nimirum facētiis honos apud Pium IX fuit, qui etiam postea suis eas identidem narravit[2].

Non tamen solis verbis sed etiam factis suum Societatis amorem frequentissime Pius IX ostendit. Testimonio sunt rescripta, Bullae, Brevia, numero 132, quibus singulis gratia aliqua Societati a Pontifice facta continetur. Recenseri praeterea possunt 77 Sodales quibus Beatorum, tres vero quibus Sanctorum honores sunt decreti, Indulgentiae et gratiae vel ipsi Societati vel Congregationibus ejus aut Ecclesiis collatae, privilegia quoque aut immunitates ab editis decretis[3]. Societati igitur benefacere Pontifex, quamvis innumeris ac gravissimis curis distentus, haud unquam omisit. Gubernandum dedit ei Collegium et Convictum Tiphernatem sufficientemque huic rei dotationem procuravit[4]. Anno 1851 die 7 Aprili, curavit erigendum Collegium Veliternum ac Societati tradidit[5]. Conditum etiam, die 30 Septembri 1853, in sua civitate patria

[1] Ibid., p. 208.
[2] VERSTRAETEN, p. 341.
[3] * *Bull.*, p. 179-376.
[4] * Ibid., p. 180.
[5] * Ibid., p. 202.

Sinigaglia Collegium Societati administrandum dedit, sumptibus a se solutis [1]. Collegium quoque scriptorum ephemeridis *La Civiltà Cattolica* nuncupatae Pius IX, die 12 Februario 1866 « perpetuum in modum erexit et constituit juxta leges et privilegia aliorum Societatis Jesu Collegiorum, ita tamen ut a Praeposito Generali pendere in omnibus deberet ». Quam nactus opportunitatem, magna cum laude de Societate dicens, Patres ad certandum bonum certamen est hortatus.

Etenim « ut certi semper existerent homines, inquit, qui Nobis et huic Petri cathedrae ex animo addicti, ac sanctissimo nostrae religionis amore, ac sanae solidaeque doctrinae et eruditionis laude spectati valeant bonum certare certamen suisque scriptis rem Catholicam salutaremque doctrinam continenter tueri, et ab adversariorum fallaciis, injuriis et erroribus vindicare, optavimus ut Religiosi inclytae Societatis Jesu viri Scriptorum Collegium, ex ipsius Societatis Sodalibus conflatum, constituerent, qui opportunis et aptis scriptis tot falsas ex tenebris emersas doctrinas naviter scienterque confutarent, et Catholicam religionem, ejusque doctrinam ac jura totis viribus indesinenter propugnarent ». Dein cohortans Patres, qui jam ante 16 annos ephemeridem illam inchoarant :

« Qui religiosi viri, ait, Nostris desideriis omni observantia et studio quam libentissime obsecundantes, jam inde ab anno 1850 ephemeridem, cui titulus *La Civiltà Cattolica* [2] conscribendam typisque vulgandam susceperunt. Atque illustria majorum suorum vestigia sectantes, et nullis curis nullisque laboribus unquam parcentes, per eamdem ephemeridem diligenter sapienterque elaboratam, nihil antiquius habuere, quam doctis eruditisque suis elucubrationibus divinam augustae nostrae religionis veritatem, ac supremam hujus Apostolicae Sedis dignitatem, auctoritatem, potestatem, rationes viriliter tueri, defendere, ac veram doctrinam edocere, propagare, et multiplices hujus praecipue infelicissimae nostrae aetatis errores, aberrationes et venenata scripta cum Christianae tum civili reipublicae tantopere perniciosa detegere, oppugnare ac nefarios eorum conatus retundere, qui Catholicam Ecclesiam, si

[1] * Ibid., p. 222.

[2] De Ephemeridis natali et jubilaeo, cum gratulatione Leonis XIII, vide *Civ. Catt.*, Ser. 17, Vol. VI, p. 8 ss. (1899, Vol. II). Anno suo quarto emptores numeravit 11807.

fieri unquam posset, et civilem ipsam societatem evertere commoliuntur. Ex quo evenit ut commemoratae ephemeridis Scriptores Nostram benevolentiam existimationemque, et Venerabilium Fratrum sacrorum Antistitum et clarissimorum virorum laudes sibi quotidie magis merito comparaverint [1], eorumque ephemeris a bonis omnibus ac bene sentientibus viris summo in pretio fuerit habita et habeatur » [2].

Inter annos autem 1850, cum inchoata fuit ephemeris illa, et 1866, quo Brevi isto Pontificio est ornata, nempe die 21 Novembri 1858, idem Pius IX condiderat Societatique gubernandum mandarat Collegium Pio-Latinum Americanum. Cujus rei primus auctor, qui cura etiam et magno labore eam promovit erat Reverendissimus Dominus Josephus Ignatius Eyzaguirre, Protonotarius Apostolicus, natione Chilensis. Is anno 1858, die 25 Novembris, primos convictores ad Sanctissimum Patrem Pium IX introduxit. Qui eos benigne ac benevole exceptos « cohortatus est ut studiis necessariis incumberent ad acquirendam in ipso Catholicae unitatis centro doctrinam purissimam, quam in suam patriam reversi transfunderent in emolumentum popularium suorum ». Cura procurandi sumptus necessariosque reditus mansit Reverendissimo Eyzaguirre demandata. At anno 1868, die 22 Januario, petente eodem Reverendissimo Domino, Pius IX delectos viros nominavit, « quibus esset munus providendi ut stabili ratione erigeretur recteque procederet Seminarium Pio-Latinum Americanum, in Urbe Roma constitutum ». Delectis viris quattuor praeerat Sacconi Cardinalis, Reverendissimus autem Eyzaguirre ex iis unus fuit [3]. Quantopere floruerit Collegium, declaravit, 21 Novembris 1908, Pius X, dicens « a Collegio isto per annos quinquaginta singularia Ecclesiae collata esse emolumenta, doctam formando manum sacrorum Antistitum et praeclarorum virorum ecclesiasticorum » [4]. Reapse numerabantur illo jubilaei tempore Cardinalis 1, nempe Joachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, et Episcopi 30, ex hoc Pii IX Collegio egressi.

[1] *Memorie della Civiltà Cattolica.* Primo Quadriennio, 1850-1854.

[2] Cf. *Un nuovo conforto alla stampa cattolica. Pius IX ad perpetuam rei memoriam. Civ. Catt.*, Ser. VI, Vol. VI (1866), p. 1 ss.

[3] *Civ. Catt.*, anno IX, ser. 3, Vol. 12, p. 746. **Bull. S. J.*, p. 305.

[4] Telegramma, 21 Nov. 1908. Cf. *Lettere edif. della Prov. Rom.*, Roma, 1909, p. 226, et praesertim p. 230-231.

Jam ad Leonis XIII tempora transeundo primum statim dicere licet, animi ejus affectum in Societatem haud minorem unquam fuisse. Qui familiariter quodam die colloquens cum uno e Patribus Provinciae Romanae, ac manifestans quanti faceret restitutae Societatis Praepositos Generales, quos ipsos omnes noverat: « Vere magnum, inquit, vobis Jesuitis est datum privilegium, qui restitutae Societatis semper habuistis sanctos Praepositos Generales. Novi Patrem Aloysium Fortis: fuit vir sanctus. Multum novi Patrem Roothaan: vere fuit vir sanctus. Diu novi Patrem Petrum Beckx: sanctus fuit vir. Et nunc habetis Patrem Anderledy ». Ac reapse a Leone XIII magni aestimatum fuisse Patrem Beckx tum vel maxime patuit, cum Praepositus Romanae Provinciae pro eo moribundo petiit Apostolicam benedictionem. Tum enim: « Graviter, inquit Pontifex, commotus ego sum morbo Praepositi vestri ac doleo quod tam vehementer patitur. Rev. Patrem Beckx magni semper feci pieque dilexi. Libentissime igitur meam ei benedictionem impertior et hac nocte patienti et animam agenti adsistam meis precibus » [1].

Die quoque 25 Februario 1881 Leo XIII Instituto, quod Berythi exstat sub nomine Universitatis Catholicae, quodque regitur a Sodalibus Societatis Jesu et a S. Congregatione de Propaganda Fide dependet, tribuere dignatus est facultatem conferendi gradus academicos et lauream in Philosophia et S. Theologia, cum juribus et privilegiis consuetis, iis qui praeclarum sui profectus edidissent experimentum [2].

Patri Antonio Anderledy omnem fidem habebat Leo XIII. Noverat enim Societatem perfectissime obsequi S. Pontificis voluntati; cujus rei praeclarum testimonium denuo accepit datis anno 1885 a Praeposito Generali ad Pontificem litteris. Earum autem haec occasio fuit. Ad Eminentissimum quippe Guibert, Cardinalem Parisiensem, Pontifex Breve dederat, in quo, de effreni libertate scribendi conquestus, monuerat Catholicis scriptoribus obligationem incumbere obsequendi mandatis Supremi Ecclesiae Capitis. Quibus Leonis verbis multi valde Archiepiscopi, Episcopi aliique, datis ad Pontificem litteris, assentiri se testati sunt. Inter quos Praepositus

[1] VERSTRAETEN, o. c., p. 505.
[2] *Bullar. S. J.*, p. 391.

Generalis Societatis unam e praeclarissimis obtulit perfectae obedientiae ac devotionis testificationem. Aiebat enim:

« Statim posteaquam publicata est sapientissima epistola, quam Tu, Beatissime Pater, scripsisti ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem, equidem altissimae meae admirationis sensus ad pedes Tuos deposui, meque allaboraturum spopondi ut ab omnibus Sodalibus Societatis exsecutioni mandarentur, quae in ista epistola praescripta essent. Nunc vero, cum Sociorum animi dispositionem exploraverim, cum immenso cordis mei jubilo, Tibi, Beatissime Pater, affirmo Societati universae inesse eum obedientiae spiritum in Sedem Apostolicam, eam reverentiam, eum amorem, eam affectionem erga sacram Tuam personam, quam optime desideras et requiris.... Confide, Beatissime Pater, Societatem nostram fore semper manum, exiguam profecto si comparetur cum phalangibus cleri saecularis et regularis, fidam tamen et constantem in obsequio Tuo et amore, quaeque Te duce semper enitetur procurare Dei gloriam, animarum salutem, Ecclesiae bonum, atque amorem erga sacram Tuam Personam. Te duce, inquam, Beatissime Pater; ex Te enim, veluti e fonte effluit jurisdictio, quae nostram ut corpus sit Societatem conjungit; quare singula ejus membra Te agnoscunt supremum suum Superiorem et ducem. Sub tuo certantes vexillo ad omnia atque ad ipsum effundendum sanguinem parati sumus. Haec Tecum necessitudo vita nostra est, nostra fortitudo, tametsi haec fuit atque etiamnum est praecipua, ne dicam unica causa, cur mundus odio nos habeat et persequatur. Verum haec ipsa insectatio nostrum coram Deo meritum est, praesidium et solamen, pro quo sinceris animis Deo gratias agimus.... ».

« Nos Tuae supremae auctoritati submittimus simpliciter ac plene, atque confidimus Deum Tibi, Vicario Jesu Christi, lumen impertiri singulare ad quaecumque Tua sapientia, Tua prudentia ordinat ».

« Jube, ad obsequendum promptissimos nos invenies. Ad Tuos autem pedes quasi provoluti essemus, Apostolicam benedictionem humiliter petimus » [1].

Cujusmodi generosa pietas apud Leonem XIII neque inhonorata

[1] *Epist. ad Summ. Pontificem*, Faesulis, 10 Oct. 1885. Jubente Pontifice, epistola haec, e qua hoc loco pauca tantum excerpsimus, simul cum multis aliis Episcoporum etc. consentientium testimoniis, typis edita est.

nec sine praemio mansit. Fuerunt tum, sicut antea Pio IX Pontifice fuerant, adversantes Ecclesiae viri, regnorum allegati aut in rebus publicis tractandis scribendoque versantes, qui laudibus Leonem XIII extollerent, Societatem vero injuriosis calumniis deprimerent. Hoc modo illi opponere Societatem Pontifici aut saltem Societatem a Pontifice sejungere conabantur [1]. Leo XIII ea quamvis versute excogitata plane perspiciens occasionem opperiebatur, qua coram universo orbe calumnias disjicere, Societatique cum praemio digno testimonium dare suae paternae pietatis et benevolentiae posset. Cum igitur de alterius editionis volumine tertio *Instituti Societatis Jesu* ageretur, quibus Litterae Apostolicae et privilegia continentur, Pater Anderledy a Pontifice petiit ut de pristinis Societatis privilegiis declarare aliquid dignaretur. Ei petenti respondit Leo XIII per Breve illud *Dolemus inter*, cujus maximum est pro Societate momentum. Significato quippe suo dolore de insectationibus quibus religiosae familiae agitantur, laudataque nova Instituti editione, « utque vel magis, inquit, Nostra in Societatem Jesu voluntas perspecta sit, omnes et singulas litteras Apostolicas, quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Jesu, per praedecessores Nostros Romanos Pontifices a felicis recordationis Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, necnon omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversantur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis Constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta hisce litteris confirmamus et Apostolicae Auctoritatis robore munimus iterumque concedimus ».

Dein, additis clausulis et derogationibus consuetis, singulari modo Pontifex suam erga Societatem significat pietatem et benevolentiam, dum « Sint hae litterae Nostrae, ait, testes amoris, quo jugiter prosecuti sumus et prosequimur inclytam Societatem Jesu,

[1] Prodiit etiam libellus Sacerdotis Chaillot, *Pie VII et les Jésuites*, Rome, 1879, qui 1882 in Indicem relegatus est. Eodem anno prodiit Apologia Societatis Patris Sanguineti. Dicunt, libellum Chaillot etiam inter causas fuisse Brevis *Dolemus inter*.

praedecessoribus Nostris ac Nobis devotissimam, fecundam tum sanctimoniae tum sapientiae laude praestantium virorum nutricem, solidae sanaeque altricem doctrinae, quae graves licet propter justitiam persecutiones perpessa, numquam in excolenda vinea Domini alacrique invictoque animo adlaborare desistit. Pergat igitur bene merita Societas Jesu, ab ipso Concilio Tridentino commendata et a praedecessoribus Nostris praeconio laudum cumulata; pergat in tanta hominum perversitate contra Jesu Christi Ecclesiam, suum persequi Institutum ad majorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem; pergat suo ministerio in sacris expeditionibus infideles et haereticos ad veritatis lucem traducere et revocare, juventutem Christianis virtutibus bonisque artibus imbuere; philosophiae ac theologiae disciplinas ad mentem Angelici Doctoris tradere. Interea dilectissimam Nobis Societatem Jesu peramanter complectentes, Societatis ejusdem Praeposito Generali et ejus Vicario singulisque alumnis Apostolicam impertimus benedictionem »[1].

Sex diebus post P. Anderledy de eodem argumento ad Societatem epistolam dedit, in qua:

« Negabant nimirum, inquit, Societatis nostrae adversarii eam integro, quem tenebat priusquam a Clemente XIV supprimeretur, statui per Pium VII fuisse redditam. Dubitabant etiam Nostri non pauci num privilegia et facultates a Clementis XIV antecessoribus veteri Societati concessa, fuerint novae restituta. At nunc omnis ab hostibus calumniandi et nobis ambigendi causa sublata est. Suis enim litteris Leo XIII quum omnes Instituti nostri approbationes confirmationesque a decessoribus suis factas, ipse approbat et confirmat, tum privilegia ac facultates, quae legitime revocata non fuerint, denuo largitur atque concedit. Tantum autem beneficium talibus eximiae de nobis existimationis significationibus ornat, ut merito dubitem, majorne pudoris quam grati animi sensus excitari in nobis debeat. Sic enimvero non verbis modo et lingua sed opere etiam et veritate suum in nos amorem testatur Pontifex benevolentissimus ».

Praescripsit deinde Praepositus Generalis ut post diem 15 Augustum singuli Sacerdotes pro Leone XIII tria Sacra offerrent, qui-

[1] Breve *Dolemus inter*, 13 Julio 1886.

vero Sacerdotes non essent, recitarent tres coronas B. Mariae V. Tum denique dicendi finem cum paterna sollicitudine faciens:

« In tantis autem, ait, beneficiis et laudibus a Christi Vicario Societati nostrae tributis, decet omnes nos diligentissime nobiscum ipsis reputare, quot quantaeque sint, non dicam gloriandi, sed permodeste de nobis sentiendi causae. Decet ut in majorem tantummodo Dei gloriam animarumque salutem privilegia ac facultates nostras prudentissime usurpemus.... Interim singularis haec Dei in nos bonitas ac Sedis Apostolicae propensissima benignitas acriores nobis stimulos addant, ut Constitutiones ac vota nostra diligentius custodiamus, atque in proximorum salutem, in Summi Pontificis obsequium nos generosius ad mortem usque impendamus. Sic enim sanctissimae vocationis nostrae, sic Divini ac Summi Ducis nostri Jesu ejusque Cordis Sacratissimi erimus in dies multo digniores multoque observantiores » [1].

Qua facta provisione, suosque prius cohortatus, Pater Anderledy typis edidit tertium volumen Instituti Societatis Jesu de Litteris Apostolicis et privilegiis, Florentiae 1891 [2].

Beneficium igitur ingens Societati contulerat Leo XIII, privilegia ei omnia, etiam quae dubia ad id tempus fuerant, confirmando ac restituendo cum effusissima amoris intimi significatione. Quae tamen liberalissimae caritatis et benevolentiae Pontificiae testimonia haud parvam ingerebant Patri Anderledy sollicitudinem ne Societatis filiis a Pontifice aditus aperiretur ad ecclesiasticas dignitates. Quare, Praepositos Provinciarum supplicans ut precibus Deum exorarent:

« Prae ceteris, inquit, quibus obsideor curis, jamdiu sollicitum me habet unius summi periculi cogitatio, ne scilicet Instituto nostro grave aliquod detrimentum inferatur, unde paupertas atque humilitas in Societate nativo suo vigore excidant. Atque illud imprimis timeo, quod abhinc annos triginta A. R. P. N. de Societatis salute vehementer sollicitus, ad Emin. Praefectum Congregationis de Propaganda Fide dolentissime scribebat, nimirum e Nostris multo plures a restituta Societate, quam reliquo ante tempore, ad sacros honores ac principatus promoveri. Quod ego quum adhuc videam et scriptorum litteris ac annuis Provinciarum catalogis

[1] *Epist. P. Anderledy*, 19 Julii 1886.
[2] *Instit. S. J.*, p. 150 ss.

comprobari, neque aliunde me lateat, quam sit deinceps verendum ne alii e Societate designentur Ecclesiarum praesules, quibus non modo Vicariatus Apostolici committantur, sed ubi Episcoporum inducitur Hierarchia, Sedes etiam Residentiales deferantur, quas potissimum abhorret Societas, quemadmodum possim in tanto discrimine non commoveri? »[1].

Ac sane quamquam Praeposito Generali officium incumbebat pro viribus curandi ut Societati ad ecclesiasticas dignitates aditus maneret occlusus, solatium tamen ex eo capere poterat, quod creatio Vicariorum Apostolicorum cohaerebat cum nova methodo illa, qua Missiones singulae reservarentur singulis Congregationibus religiosis; quibus deinceps incumberet, ut sibi ipsis, in territoriis propriis, Superiores ecclesiasticos providerent. Quod quantopere necessarium esset ad tranquillitatem et pacem servandam, tristis experientia edocuit.

Quam tenero ac vere paterno caritatis affectu Societatem prosequeretur Leo XIII, per aliam iterum occasionem, anno 1888, Pater Anderledy expertus est. Pontifex enim cum, a suscepto sacerdotio quinquagesimum expletum annum jubilaeo agens, Petrum Claver, Joannem Berchmans et Alphonsum Rodriguez solemni ritu inter Sanctos retulisset, die 22 Januario Praepositum Generalem cum Assistentibus, cum Secretario Societatis et Provincialibus quinque, Belgii, Lusitaniae et Hispaniae, qui celebrandae solemnitatis causa Romae aderant, benigne excepit. Verba igitur gratulatoria dicentem, munusculum quoque, ab universa Societate collatum, offerentem, gratiasque agentem pro nostris in Sanctorum numerum relatis « audivit Sanctus Pater Patrem Generalem perquam attente atque, ut ex vultu et gestibus videbatur, perlibenter. Deinde, postquam parumper se collegisset, respondere coepit ostendens sua responsione quam bene id tenuisset quod sibi erat dictum: nam eadem tria puncta est persequutus, ordine dumtaxat mutato; transivit enim a primo ad tertium et post reversus est ad secundum. Loquebatur lente, singula verba exprimens, voce clara ac benigna, non oratorio more sed sermone familiari quasi pater ad filios. Dixit primum libenter se audivisse sensa a Patre Generali expressa, et quod ad suum sacerdotale Jubilaeum attineret, non esse rem no-

[1] *Epist. ad Provinciales.* 1 Jan. 1887.

vam atque inauditam quod annos quinquaginta in sacerdotio quis expleverit, nec cogitasse id publica extra ordinem solemnitate celebrare, sed privata cum suis familiaribus et Cardinalibus Palatinis. Verumtamen, cum hoc suum consilium nobilibus quibusdam Bononiensibus viris innotuisset, voluisse eos ut publicum festum non in Italia solum sed per totum etiam terrarum orbem a Catholicis ageretur: illos primum parvos igniculos sensim sine sensu propagatos magnas ubique amoris ac devotionis flammas excitasse, quae tam variis mirisque modis se prodiderant: exinde sacrae Romam ad venerandam Apostolicam Petri Sedem institutae peregrinationes: exinde munera summo pretio, arte pulchra, numero pene infinita: tum extra ordinem oratores missi et litterae autographae a Regibus et Imperatoribus scriptae: et nominavit Reginas Hispaniae atque Angliae, Imperatores Austriae et Germaniae. Rempublicam Gallicam et Praesidem Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis virosque nobilissimos ab iisdem ad se honoris causa delegatos: miram adeo Apostolicae Sedi ab omnibus fere populis, etiam qui Catholicam fidem non profitentur, exhibitam pietatis atque obsequii significationem, omnino nisi Deo tribui non posse: apertissime perspici voluisse Deum Ecclesiae et ipsius Apostolicae Sedis immobilem firmitatem in tantis turbinibus ac fluctibus contra ipsas concitatis demonstrare, ut videatur omnibus Ecclesia quo magis deprimitur, illustrior evadere, illudque poetae in ea verum esse, quod *merges profundo, pulchrior evenit*: voluisse quoque semetipsum non paucis acerbitatibus moerentem consolari ».

« Venit deinde ad agendum de Societate, ac dixit fuisse illam semper caram semperque magno in pretio habitam a Summis Pontificibus, qui in ejusdem Societatis hominibus praeclarum religioni atque Ecclesiae positum esse praesidium existimarunt: esse Societatem legionem fortissimam militum Sanctae Sedis dicto semper audientium semperque ad ingentes pro Ecclesia et animarum salute exhauriendos labores paratorum: se quoque Societatem magni facere et caram habere, idque ab eo tempore, quo in supremum Pontificatum fuisset assumptus, ostendisse, tum in sua cum duobus Generalibus Petro Beckx atque Antonio Anderledy agendi ratione, tum in cooptando in Sacrum Cardinalium Collegium Patre Camillo Mazzella, cujus virtus atque doctrina a suis collegis tanti fiebat, et in Cardinali Franzelin, quem in maximis ac secretioribus

negotiis, quoad vixit, adhibuerat. Societatem quoque sibi semper obedivisse, nec suis tantum voluntatibus sed nutibus etiam obtemperasse, quod praesertim in renovatione studiorum fuerat expertus: idcirco decreverat in commodum et laudem ejusdem Societatis nonnulla quae prospere successerant, ut Instituti et privilegiorum per litteras Apostolicas confirmationem et trium Beatorum in Sanctorum album inscriptionem: sed in iis agendis imitatum fuisse suorum decessorum exempla. Quod, cum Pater Generalis subjunxisset, Sanctitatem Suam, illa approbationum omnium Instituti confirmatione ac privilegiorum a superioribus Pontificibus concessorum restitutione, tantumdem unum ipsum pro Societate fecisse quantum reliqui omnes Pontifices ab ejusdem Societatis primordiis fecerant, respondit Sanctus Pater, alios etiam fuisse Pontifices optime de Societate meritos, ut Paulus tertius qui eam condidit, et multis beneficiis ornavit. Tunc multis declarare coepit sui erga Societatem amoris initia et progressus: quemadmodum illam a puero diligere inceperit, cum in Viterbiensi Collegio Patribus in disciplinam traditus primam ab eis institutionem atque in litteris eruditionem accepit: confirmatam fuisse eamdem dilectionem, quum in Romano Collegio Philosophiae ac Theologiae sub optimis magistris operam dedit, ex quibus magistris nonnullos, ut Patres Tapparelli, Manera, Perrone, Caraffa aliosque nominatim laudavit: consuevisse, cum in familiaritate viveret Cardinalis Sala, ad Patrem Generalem Joannem Roothaan ventitare, quem maxime reverebatur, illumque brevi sed eximia laude extulit. Rursus ad Beatos Coelitum honoribus affectos reversus, dixit semetipsum se illis crebro commendare et praesertim de sua in Sanctum Joannem Berchmans eximia religione disseruit, quam puerulus etiam tunc in Collegio Viterbiensi hausisset, dono accepta a Patre Ubaldini Rectore ejusdem tunc Venerabilis nunc Sancti Juvenis imaguncula, quem in praesens tanto sui animi gaudio in Sanctorum ordinem extulisset. Páucis tandem, quae e memoria effluxerunt additis, absolvit sermonem, postquam dimidium horae circiter fuisset locutus »[1].

Die deinde 2 Februario 1889, edens Leo XIII illam, quam norunt omnes, Constitutionem de Lycaeo Magno Quebecensi in Canada, verbis Societati honorificis addidit ingens benefactum, con-

[1] * Relatio Ms.

ditionem Collegii nostri Montis Regii vindicando ab oppositione alterius ibidem Collegii, quod erat Quebecensi Universitati Lavallensi aggregatum. Scripsit enim:

« Quoniam vero Collegium extat Monte Regio a S. Maria appellatum, quod regitur a religiosis Sodalibus Societatis Jesu, et clarescit eximia praeceptorum doctrina et auditorum frequentia, Nos, ne specialibus privilegiis quae eidem Societati jamdiu ab Apostolica Sede concessa sunt omnino derogetur, benigne indulgemus, ut Sodales ipsi examine instituto alumnorum suorum experimentum capiant, iisque quos probaverint scriptum testimonium praebeant, quo digni declarentur iis honoris gradibus, qui juvenibus pari peritia praeditis conferuntur ab Universitate Lavallensi in Collegiis eidem aggregatis. Quo exhibito testimonio, a consilio, quod Universitati regendae praeest, diploma tradetur, quo ejusdem Universitatis alumni, gradum illum adepti, honestantur » [1].

Secuta est, die 30 Decembri 1892, Leonis XIII Constitutio *Gravissime Nos*, qua hanc Societati laudem dedit, ejus docendi munus in Ecclesia late patere ejusque Constitutionibus passim praescribi ut profiteantur Socii doctrinam S. Thomae Aquinatis; quas Constitutiones denuo confirmans, hortatur Nostros ut quam potuerint diligentissime observent [2].

Anno deinceps 1897 iterum Leo XIII non solum suam in Societatem benevolentiam patefecit, verum etiam quam firmiter crederet esse rectam Nostrorum doctrinam. Die enim 22 Augusto, Motu proprio edidit *Ad praeclaras laudes*, quo Apostolica sua auctoritate fundabat ac constituebat *Institutum Leoninum* in civitate Anagnina, quod Institutum, legitimi Collegii attributo jure, Sodalibus e Societate Jesu regendum et moderandum tradidit. Cujus quidem *Motu proprio* initium, quippe quod Societati aeque gravissimum sit atque honorificum, ad Nostrorum solamen hic descriptum referre juvat:

« Ad praeclaras laudes, quibus Societas Jesu amplissimum sibi nomen apud sapientes vel a primordiis peperit suamque Ecclesiae operam excellentem probavit, addenda imprimis est ars illa sollertiae instantiaeque plena, qua in imbuenda Christianis moribus optimisque disciplinis adolescenti aetate, maxime inter caeteros

[1] * *Bullar. S. J.*, p. 459 ss., praesertim p. 463.
[2] * Ibid., p. 483 ss. et alibi.

commendata est. Cujus quidem recordatio commendationis, totius retro temporis suffragio comprobatae, usu Nobis ipsis venit perjucunda, qui et ad artium bonarum studia et ad majores doctrinas percipiendas magistris usi fuimus lectissimis e Societate Jesu. — Haec porro animo reputantes, posteaquam Pontificatum Maximum divinitus suscepimus, juvenes, eos praesertim, qui Deo et Ecclesiae se ipsos perpetuo consecraturi essent, Sodalibus e Societate Jesu, tum in Urbe tum in exteris praesertim gentibus erudiendos semel saepius demandavimus. Alumnos praecipue commemoramus Familiae Basilianae in Galicia itemque Xaverianum Seminarium quod Candy in oppido Indiarum Orientalium exstruendum voluimus. Nec praeceptam fiduciam fefellit exitus. — Quam ob causam cum in testimonium propensioris voluntatis erga provinciam Campaniam, quam Romanam dicunt, quamque Nos natalem habuimus, aedes amplas in civitate Anagnina sumptu Nostro aedificandas curaverimus, easdemque juventuti addixerimus, ad sacra munera destinatae, oculos conjecimus iterum in Societatem Jesu, eamque Anagnino Instituto, a Nostro appellando nomine, praeficiendam decrevimus » [1].

Quae de alumnis Basilianae Familiae a Leone XIII relata hoc loco sunt, opus est nonnihil declarare. Vetus quippe ille S. Basilii Ordo, jam saeculo XVII a Societate Jesu in rectum tramitem reductus ac novatus, anno 1882 iterum in ea erat conditione, ut reformatio ei esset plane necessaria. Quod difficillimum redintegrationis opus a Leone XIII, qui magnam fiduciam collocarat in Patre Henrico Jackowski S. J., demandatum est nostrae Societatis Provinciae Galicianae. Quapropter ejus Provinciae Patres annos 22 continuos Ordini novando insumpserunt, formantes novitios, studia ordinantes, totamque Basilianam Provinciam per Provincialem Praepositum e Societate Jesu moderantes. Basilianis aetate provectioribus, aliis post alios vita fungentibus, juniores rite informati successerunt, ut pedetentim totus tandem Ordo innovatus fuerit. Ac fuit istud ingens sane Leonis XIII erga Societatem fiduciae testimonium; quod tamen ingentem quoque a Patribus Provinciae Galicianae exegerit operam et sollicitudinem. Hoc probe compertum habentes, Episcopi Rutheni has ad Patrem W. Ledóchowski, Prae-

[1] * Ibid., p. 548 ss. et alibi.

positum Provinciae, die 1 Novembri 1905, litteras in gratiarum actionem miserunt:

« Episcopi Rutheni Haliciensis provinciae in conventu VIII Kal. Nov. anni vertentis habito .... unanimi consensu statuendum putaverunt ut Provinciae S. J. Galicianae in manus Reverendae Paternitatis Tuae eidem praepositae, pro opera in Ordinis Basiliani renovatione praestita, quod magnum sane fuit erga ecclesiasticam provinciam nostram beneficium, gratiae agerentur. Minime enim latere quemquam potest, quanti momenti pro Ecclesiae emolumento omnis sit religiosus Ordo, in quo sanctitas praesertim floreat aeque ac litterae, et ad Dei gloriam adhibeantur proximorumque utilitatem. Quod si de omni Ordine religioso valet .... multo adhuc magis de Ruthena Ecclesia affirmandum esse videtur, quippe quae hunc unum tantum monasticum Ordinem habeat. Cui quidem difficillimae rei, familiae videlicet Basilianae secundum mentem Summi Pontificis b. m. Leonis XIII instaurandae ac innovandae, Societatis Provincia cui praees, omnem contulit operam, neque laboribus pepercit ullis, dummodo in ea prodeant viri sanctitate, doctrina clari, qui majori Christi gloriae, ejusque Ecclesiae commodo totos se impendant. Neque incassum collocatae in hoc opere curae atque conatus. Nam Sacerdotes Ordinis S. Basilii M., quantumvis pauci adhuc plurimisque laboribus vitae claustralis distenti, nihilo secius omni ministerio, Exercitiis praeprimis ac Missionibus operam navant, uberesque Deo opitulante percipiunt fructus, qua re magnum Dioecesibus nostris ferunt adjumentum. Quae sane omnia libenter agnoscentes ac profitentes, Deo sapientissimo imprimis, cujus misericordis Providentiae fuistis administri, Vobisque, Patres Reverendi, debitas gratias persolvimus ».

Tum ipse quoque Ruthenorum Metropolita, « qui haud exiguam annorum seriem a clarissimis S. J. Patribus, suisque dilectis magistris in vitae monasticae certaminibus exercebatur, et sub eorum regimine in diversis Ordinis sui coenobiis vitam ducebat », suas ipsius gratiarum actiones adjungit, asseverans, « quod memoria illorum virorum, Patrum Gasparis Szezepkowski, Henrici Jackowski, Michaelis Mycielski et Adalberti Mariae Baudiss numquam quoad vixerit in animo ejus obliterabitur » [1].

[1] *Nasze Wiadomosci*, Kraków, 1905, p. 351-352.

Decreto autem 27 Augusti 1904 Patres Societatis Jesu, quomodo ipsi petierant, levati sunt onere regiminis Familiae Basilianae, quae ab eo inde tempore iterum constituit ipsa sibi qui Ordinem gubernarent. Congregatio tamen de Propaganda Fide, quod scriptum invenimus, « abstinere non potuit quin summis amplissimisque laudibus exornaret eximiam Patrum S. J. solertiam, qui inde ab anno 1882 negotium instaurandae reformationis susceperunt eoque officio adeo sapienter perfuncti sunt, ut, omnium sententia, finem sint assecuti. Opus perarduum videbatur; difficultates gravissimae superandae erant; verum omnia felici exitu peracta fuere a praelaudatis Patribus, ita ut Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum merito dixerit: revera facta sunt quae facienda erant.... Verum ne omnia simul vincula abrumpantur Basilianos inter et Patres S. J. haec Sancta Congregatio statuit, ut temporario modo designetur religiosus ex eadem Societate, qui titulum et officium Visitatoris Apostolici gerens, Protoegumenum consiliis adjuvet in regimine totius Ordinis et in regulari observantia formanda augendaque » [1].

Nec vero minuit suum erga Societatem Jesu amorem ac benevolentiam Leo XIII, cum Patri Anderledy successerat Praepositus Generalis Pater Ludovicus Martin, quo ipso Sanctus Pater familiarissime utebatur. Qui ubi primum electionis factae nuntium accepit, scriptis litteris peramanter respondens:

« Magna quidem, ut nostis, inquit, voluntate semper affecti fuimus ad Societatem Jesu, quacum grati etiam animi conjunctione tenemur; ejusdem autem reputantes et multa in Ecclesiam promerita et summam obtemperationem studiumque erga hanc Beati Petri Sedem, aeque ab ipsa in posterum eoque amplius ad maximas Ecclesiae rationes pollicemur Nobis, te Praeside, et exspectamus » [2].

Eximia quippe Leonis XIII benevolentia jam prima statim vice apparuit, cum, Januario 1893, ad eum admissus est Praepositus Generalis. Quem una cum Assistentibus amantissime excipiens, Pontifex diu ac perquam benevole locutus est de magnis Societatis laboribus ad Ecclesiae emolumentum impensis; laudavit eam esse Sanctae Sedi apprime devotam, nullos ab ea recusari operas, quibus prodesse animarum saluti posset, neque ab ullis eam abhorrere

[1] Ibid., p. 388-390.
[2] Epistola edita in *Woodstock Letters*, 1892, p. 411.

periculis aut difficultatibus ut in cunctas orbis terrarum regiones fidem propagaret. Quae Summi Pontificis verba, ardenter simul ac nervose prolata, in collocutionibus Nostrorum Faesulis degentium diu deinceps in ore et sermone trahebantur. Ipsum autem Praepositum Generalem Pontifex in suum duxit cubiculum, ubi unius horae spatio cum eo est conversatus. Eodem porro anno, die 1 Majo, Leo XIII, posteaquam ad Beatorum Caelitum honores evexit Nostros, qui in insula Salsettana Martyres occubuerant, suum in Societatem amorem et fiduciam rursus significavit [1]. Anno etiam 1895, 15 Februario, cum suprema Moderatrice Sororum a Sacro Corde nuncupatarum colloquens Leo XIII:

« Societas Jesu, inquit, quae est Dei peculiaris erga illam providentia ac Societatis ipsius strenua disciplina, suo servato primaevo spiritu, numquam ut reformaretur opus habuit. Saecula jam tria sunt quibus illa subsistit, atque en unumquemque Socium etiamnunc, quo modo S. Ignatius erat, paratum labores quoscumque ad Dei gloriam suscipere » [2].

Quem Leonis XIII amorem Societatis mox Cardinales quoque sunt imitati. Nam Patrem Ludovicum Martin, anno 1895 Faesulis redeuntem ut Romae rursus consideret, prae ceteris benevole excepit Aloysius Masella Cardinalis, S. Rituum Congregationi Praefectus. Qua vir ille admiratione Institutum nostrum prosequebatur, ipsum Leonem XIII Pontificem vix non assecutus est. Certe quodam die Pontifici per jocum dicenti: « Quidni munere cedens Eminentia Vestra Societatem ingreditur »? respondens: « Quoniam, inquit, Beatissime Pater, tanto privilegio dignus ego non sum » [3].

Praepositus Generalis haec omnia resciscens suis aerumnis aliquantum levatus est. Vicissim ipse quoque Leoni XIII ex animi sententia consentiens devinciebatur; quippe cujus Pontificis, doloribus vexati, vitam diceret esse continuum quasi martyrium. Quo igitur tempore maxime saeviebat religionis in Gallia vexatio, 3 Majo, qui erat Inventionis S. Crucis festus dies, Leo XIII, ad se evocato Praeposito Generali: « Veni, inquit, Pater Generalis, veni huc, conside mecum, ut consolemur invicem; tuae enim tibi sicut mihi meae sunt gravissimae vexationes ». Qui per integrae horae

[1] P. Chandlery, *Le Très Rév. Père Martin*, p. 45, 49.
[2] Ibid., p. 62-63.
[3] Ibid., p. 64.

spatium eo die collocuti sunt. Ac revera doloris solatium omnium maximum Praeposito Generali cum esset Leonis XIII plane paterna in Societatem benevolentia, nihil cuiquam mirum videbitur eum vehementer doluisse Pontificis morte, qua omnibus universae Societatis filiis clades illata est gravissima. Verissime igitur Illustrissimus Dominus Kelly, Archiepiscopus Sydney, concione funebri Leonem XIII prosecutus:

« Qui, inquit, quamvis ad vitam in religione degendam vocatum se non sentiret, nobis tamen ille, privatim ac familiariter scribens, dixit, a se rogatum aliquando Deum esse, ut sibi religiosae vocationis spiritum daret ac Jesuitam esse vellet. Quae quamquam exaudita oratio non est, aliis nimirum consiliis de eo disponente Numine, palam tamen confessus Leo est se, ad Societatem etiam non vocatum, illius tamen admiratione atque existimatione teneri tanta ut limites plane nesciret » [1].

Audientes autem Nostri, ad Supremum Pontificatum Josephum Sarto Cardinalem electum esse nomenque fecisse sibi Pium X, consenserunt statim omnes fore ut intimum Societati amicum in Petri Sede denuo haberemus. Quo enim tempore ille Mantuanus Episcopus erat, Nostris valde affectus, Patrem Ignatium Salgari delegerat ut a confessionibus sibi esset; ad patriarchalem autem Venetiarum sedem postea evectus, a Praeposito Provinciae, ut eumdem Patrem eo secum deducere liceret petiit; quem etiam ad eum usque diem habuit conscientiae suae arbitrium, quo ad Supremum Pontificatum ascendit. Ad ipsas Residentiae nostrae Mantuanae fores eleemosynas pauperibus distribuens, tanta benignitate tantoque amore illud caritatis ministerium obiit ut, qui illi adsistere solebat, Tacchini e Nostris Coadjutor Temporalis, mirabundus exclamarit: « Profecto Papa aliquando erit Episcopus ille »! atque ad Episcopi nomen, Sarto, alludens: « Quam vero pulchram, inquit, Ecclesiae vestem tunc ille conficiet »! Quo hic audito, ex animo risit. Venetiis quoque in Residentia nostra, quae in loco *Fondamenta nuove* situm habet, tanquam in suis ipse aedibus degens, Patriarcha cum Fratribus Coadjutoribus familiariter colloquebatur, unicuique arridens, suam etiam cuique tribuens verbum amicum ac facetum. Postea vero ad Supremum Pontificatum vixdum evectus, sua ipse manu ad Praepositum Provinciae, Pa-

[1] Ibid., p. 100.

trem Rossi, epistolam scripsit, qua ei omnibusque qui Venetiis erant Patribus gratias ageret, quod tanta illi erga se benevolentia usi essent; quorum etiam orationibus commendatum se voluit, suam eis Apostolicam benedictionem « affectuose » ac « cum speciali affectu » mittens.

Septembri 1903, Praepositus Generalis cum petiisset ut Pontificis adeundi potestas sibi fieret, die ejus mensis 22, cum Patribus Assistentibus et Secretario Societatis admissus, per unius ferme horae spatium solus cum solo Pio X collocutus est. Qui ceteros postea ut se excusatum haberent rogavit; sibi enim totum tempus Patrem Generalem fuisse victimam. Omnes vero quantum Pontificis majestate perculsi, tantum quasi capti erant ejus comitate, humilitate, simplicitate. Quasi enim domi essent, ita se commode habebant, ac cum ipso Pontifice tanquam cum simplice Sacerdote sermonem habere licebat. Consimili amoris affectusque plane paterni significatione, a Pontifice accitus Praepositus Generalis rursus exceptus est die 13 Octobri.

Eum enim summa existimatione atque amore intimo Pius X prosequebatur: cui aegro etiam Illmum Dominum Bressan submisit, ut Apostolicam ei benedictionem impertiretur. Voluit quoque a Patre Generali medicamentum radiorum, qui dicuntur, Röntgenianorum Pisis adhiberi; « Opus enim, inquit, Ecclesia modo habet viris virtute, fortitudine, prudentia praeditis, cujusmodi est Pater Generalis ». Quotidie Pontifex Eminentissimum Cardinalem Merry del Val vel unum e Patribus qui collaborabant periodico *Civiltà*, quomodo valeret Pater Generalis, interrogabat, eumque laudando dixit « esse hominem prudentia praeditum ac praeclaro rerum usu pollentem ». Ad Patrem Freddi autem: « Haud, inquit, addita conditione orandum ut sanetur Pater Generalis; maxime enim viri, quales ille, utiles sunt ac necessarii ». Ab Illmo Domino Bressan nuntium perferri jussit, ipsum se quotidie orare ut sanaretur Pater Generalis. Enimvero quanto cum affectu a Pontifice in Vaticanis aedibus exceptus est Pater Generalis, cum ejus parumper restitutae essent vires! Die quippe 11 Majo, qui erat feria V, a Pontifice accitus est Praepositus. Nec vero benevolentius quemquam excipi cogitatione fingere potes. Diceres morti ereptum filium a patre denuo recipi. Cui se ejus aegrotantis memorem fuisse ac pluries de die pro eo oravisse dixit Pius X. Quibuscumque opus erat concessis

licentiis indulsit ei ut altera, qua sola uti jam poterat, manu Sacrum faceret. Se noctu insomnem recogitasse dixit Pontifex, qua ratione posset quis, altero brachio amputato, difficultates quaslibet in celebrando Sacro superare; atque ipsum se pridie rem tentasse ait, Missaeque caeremonias omnes altera tantum manu peregisse. Tum quidem expertum se esse, rem fieri omnino posse, modo Sacerdos adjuturus adsisteret. Etenim invito Patre Generali id suis Pontificis Societatisque precibus obtentum fuisse ait, ut dicendo causam vincerent; ac reapse cunctarum Provinciarum amoris ac misericordiae significationibus demonstratum satis esse, quantum erga Praepositum Generalem afficerentur omnes, qualemque regiminis ejus opinionem haberent [1]. Qui posteaquam per dimidiae horae spatium inter se collocuti sunt, ipse Pontifex Patrem Generalem, suo Pontificis brachio innixum, ad privatum, qui dicitur, ascensorem deduxit, ne scilicet ille per scalas descendendo defatigaretur. Die deinde 12 Majo 1905, scripto Pontifex indulsit ut, etiam amputato brachio dextro, Sacrum Pater Generalis faceret [2]. Nec tamen diu illa Pontificis liberalitate frui licuit Patri Martin, quippe qui uno ferme post anno mortuus sit. De cujus obitu Pontifex ad Vicarium Generalem litteras dedit affectu plenas, seque pro Patre Generali sacrum Missae sacrificium obtulisse dixit. Qui decem iterum post diebus ad eumdem Patrem Rogerium Freddi, Vicarium Generalem, verba faciens de Patre Martin: « Fuit ille, inquit, homo Dei, Sanctus ille, Sanctus ille, Sanctus ille! ». Quae verba a Pontifice commota voce iterum ac tertio pronuntiata satis ostendunt quam bona ille Pii X existimatione frueretur.

Ac fortasse majorem etiam Summi Pontificis favorem Societas experta est, his paucis annis, quos Pater Franciscus Xaverius Wernz supremum in ea regimen obtinet. Qui aliquot ab electione diebus, 16 Octobri 1906, Congregationis Generalis Patres apud Pontificem introducens:

« Patres isti, inquit, mente et corde addictissimi semper huic Sedi Beati Petri, magno nunc animo profitentur coram Sanctitate Vestra, Petri successore, plenissimam obedientiam, adhaesionem

[1] P. Chandlery, *Le Très Rév. Père Martin*, p. 118. Cf. ubi scribendo eamdem rem prosecuti sunt longius. in *Nasze Wiadomosci*, Kraków, 1906, p. 666 ss.

[2] * *Bull. S. J.*, p. 578, ubi per numeros 14 variae, quae hac de re factae sunt, dispensationes recensentur.

et devotionem.... Ad exitum perducta Congregatione, omnes.... benedictionem Apostolicam imploramus. Haec confirmet, quae Deo adjuvante decernenda putavimus; nostras roboret voluntates omniumque Sodalium Societatis Jesu, ut quae statuta sunt exsequentes, possint semper et ubique sese ad majorem Dei gloriam, ad defensionem et exaltationem hujus Sanctae Sedis et ad salutem animarum impendere ».

Quibus Praepositi Generalis verbis respondens, Summus Pontifex, Patribus impletos Congregationis labores gratulatus, gratias quoque egit quod benevole obedientes sua Pontificis postulata Congregati Patres accepissent; maximas etiam Deo gratias, qui Societatem Pontifici « exhibet velut lectissimam militum aciem, belli peritam, ad pugnandum instructam et ad ducis imperium ac nutum paratam ».

Animum deinde filiis suis, saevienti usque procellae objectis, faciens: « Dum porro vobis, inquit, dilectissimi filii, ex animo gratulamur, vos sociosque vestros hortamur, ut in Domino confisi, qui vobis pro religione certantibus praesens aderit, vires sufficiet, animosque ad pugnandum roborabit, neque acerbitate, neque diuturnitate malorum vos superari aut frangi patiamini, firmum persuasumque habentes etiam adversa ad Ecclesiae decus et ad Instituti vestri incrementum (quod non semel contigisse laetamur) contra hominum spem divino numine converti ».

Tum vero Pius X, hortatus Patres ut pergerent adolescentes instituere, Spiritualia Exercitia tradere, veritatem edendis libris propugnare, dicendi finem his verbis fecit:

« Durate, inquit, haud unquam fessi laborum, nam si pro justitia, pro religione, pro Ecclesiae libertate aspera multa toleranda vos manent, solamina quoque plurima vos exspectant, et illud quoque optatissimum contingit, ut vel ii qui nunc infenso in Ecclesiam et in vos praecipue sunt animo, virtutem Omnipotentis sentientes vel inviti, divinitatem agnoscant, ac utriusque beneficiis fruantur » [1].

Occasiones autem alias complures, quibus sui adeundi potestatem Nostris fecit Pontifex, testimonia quoque benevolentiae atque amoris vix non innumera silentio nunc praeterire cogimur, ut ad

[1] In Audientia a S. Pont. Pio X Patribus Congr. Gen. XXV S. J. concessa, 16 Oct. 1906.

jubilaea festa Adm. Rev. Patris Nostri Franc. Xav. Wernz divertentes narrando consistamus. Neque enim satis Sanctissimus Pater habuit, ut per eam occasionem Praeposito Generali gratularetur, verum quae sua manu vota descripserat, amicissimo illo modo quo id ipse facere noverat, ea non ad Praepositum ipsum Generalem, verum ad Patrem Rogerium Freddi misit, « eo consilio ut Suae Sanctitatis gratulatio Societati universae innotesceret ». Scripsit autem haec:

« Etiam ego, inquit, partem habere volo festi hujus, quod Veneranda Societas Jesu Reverendissimo suo Patri Generali agit feliciter nunc recurrente quinquagesimo anniversario die, quo ille religionem ingressus est. Ideo te, pro tua bonitate, interpositum volo ut meum te interpretem constituas eorum quos animo conceptos habeo sensus affectu plenos erga Patrem illum Reverendissimum, augurando quoque praecipiens ei prospera quaelibet quam fieri poterit optima, votumque exhibens ut Dominus ei tot opera, religiosae vitae tempore sancte impleta, retribuat fortitudinis suae auxilia suavissima in gubernanda Societate ei impertiendo. Ei igitur speciali modo gratum meum animum manifestabis pro magno beneficio, quod ille praestitit Ecclesiae universae ».

Tum, mentione facta operum Patris Wernz doctrina praestantium, laborum etiam quos in Romanis Congregationibus ac publice docendo insumpsit, scribendi finem faciens Pontifex:

« Cujus, inquit, divini favoris obtinendi gratia, quem certum fore mecum statuo, ex animo Tibi, Admodum Reverendo Patri Generali, omnibusque qui ad ejus Domum atque ad Societatem pertinent Apostolicam benedictionem impertior » [1].

Quam benevolentiam affectu plenam Sanctissimus Pater, opportunitate facta, operibus quoque munificentissimus exhibebat. Spirituales autem aliasque ab eo impensas Societati gratias recensere tuto omittemus, si de illo fiduciae, quam in Societatem Pius X collocavit, eximio testimonio pauca pro tempore disseruerimus: erectum dico ac Societati Jesu commissum *Pontificium Institutum Biblicum*. Die quippe 29 Majo 1909, Adm. Rev. Pater Noster ab Eminentissimo Merry del Val Cardinali-Secretario has litteras accepit:

« Lubentissime propero ad Adm. Rev. Paternitatem Vestram

[1] *Epist. Pii X ad P. Wernz*, 4 Dec. 1907, in *Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 17.

mittere, hisce conjunctum, Apostolicum Breve de fundato Instituto Biblico, quod, sicuti notum tibi est, Sanctus Pater solertibus ac sapientibus curis bene meritae Societatis Jesu committere dignatus est. Cujusmodi Brevi adjunguntur quae ad Institutum istud referuntur normae. Hoc Pontificium documentum ipsa hac die per *Osservatore Romano* promulgabitur » [1].

Neque omnino fas est, quae primum quidem diario isto, deinde vero aliis etiam modis promulgata sunt, hoc loco desiderari. Quale quidem *Pontificium Institutum Biblicum* sit, liquido ex iis rebus apparet, quae de proposito ejus Pontifex ipse pronuntiat:

« Finis, inquit in Constitutione *Vinea electa*, Pontificio Instituto Biblico sit, ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad libros Sacros pertinentium habeatur centrum, quod efficaciore quo liceat modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adjuncta sensu Ecclesiae Catholicae promoveat ».

Ad media deinde quod attinet, « ut Institutum, ait, id quod spectat assequi valeat, omnibus ad rem idoneis praesidiis erit instructum. Quare complectetur imprimis lectiones atque exercitationes practicas de re biblica universa.... His accedent lectiones atque exercitationes de quaestionibus peculiaribus ex interpretatione, introductione, archeologia, historia, geographia, philologia aliisque disciplinis ad Sacros libros pertinentibus.... Praeterea publicae de rebus biblicis conferentiae adjicientur. Alterum summopere necessarium praesidium erit biblica bibliotheca, quae opera potissimum antiqua et nova complectetur, necessaria vel utilia ad verum in disciplinis biblicis profectum comparandum, et ad fructuose peragenda ordinaria doctorum alumnorumque in Instituto studia. Accedit museum biblicum, seu rerum earum collectio, quae ad Sacras Scripturas et antiquitates biblicas illustrandas utiles esse dignoscantur. Tertium subsidium erit series variorum scriptorum nomine et auctoritate Instituti promulganda ».

Praeterea statuuntur haec:

« Pontificium Institutum Biblicum ab Apostolica Sede immediate dependet.... Praeses a Summo Pontifice nominatur, audita relatione Praepositi Generalis Societatis Jesu, qui tres pro eo munere candidatos ei proponet. Professores ordinarii de consensu Aposto-

[1] *Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 26. 32.

licae Sedis per Praepositum Generalem Societatis Jesu nominantur. Juvenes studiis biblicis in Instituto operam navantes ad tres classes pertinere poterunt; nam aut alumni proprie dicti.... in sacra Theologia doctores, qui soli se ad periculum coram Pontificia Commissione biblica faciendum parent, aut auditores inscripti, qui integrum Philosophiae ac Theologiae cursum absolverint, aut hospites liberi »[1].

Quot vero quantisque mediis ac praesidiis ad Institutum ejusmodi capessendum opus fuerit, ex iis quas retulimus rebus abunde apparet. Quae nihil mirum, tum Leoni XIII defuisse, tum neque Pio X in cogitationem venire initio potuisse. Jam quidem 29 Februario 1904 percupidus Pius erat « hujusmodi Athenaei Biblici in Urbe condendi, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri »; addidit autem « spem bonam a Se certamque foveri fore ut ejus perficiendae rei facultas, quae tunc quidem sibi, non secus ac Decessori suo deesset, aliquando ex Catholicorum liberalitate suppeteret »[2].

Quae vota cum impleta nunc sint, ex animo Pontifici gratulantes, in partem venire gaudemus Pii X optati hujus:

« Quod felix faustumque sit, rei Catholicae bene vertat Pontificium Institutum Biblicum! »[3].

Ac sunt profecto gratiae habendae Pio X, qui in Societate Jesu, Matre nostra, fiduciam tam insigniter collocarit. Postquam deinde 12 Martii Pius X dispositiones de examinibus in Instituto fecerat, tandem die 11 Junii 1912 praescripsit formulam diplomatis ab eodem Instituto Biblico post triennium studentibus tradendi, quae formula die 10 Junii ejusdem anni magis declaratur[4].

Deinceps anno 1913 magna sua munificentia Pontificio Instituto Biblico addidit etiam villam magnificam in civitate Sublacensi sitam. Jam etiam eodem anno erectum est Institutum subsidiarium Biblicum in urbe Jerosolymitana. Cui Deus Optimus Maximus provideat!

Inexhaustae benevolentiae Pontificiae novum argumentum, quo

[1] Constit. *Vinea electa*, 7 Maji 1909; et *Leges Pontificio Instituto Biblico regendo*, 7 Maji 1909.

[2] Constit. *Vinea electa*, 7 Maji 1909.

[3] Ibid.

[4] Vide *Acta Romana S. J.*, 1911, p. 14-15; 1912, p. 15-16.

simul justitiae praeprimis studiosum se Pontifex demonstravit, nuperrime accepimus, cum ille, Junio mense 1910, ingens Manillense Collegium, cui Josephinianum nomen, sponte ipse sua Societati restituit. Quod quidem Collegium, quo tempore suppressa Societas est, ad saecularem clerum, deinceps vero, saeculi nempe XIX parte altera vertente, ad Fratres Praedicatores transierat; qui, volente Pontifice, Societati rursus illud tradiderunt [1].

Silentio denique praeterire non possumus, quanta benevolentia quamque plane paterna familiaritate erga Societatem usus sit Pius X, cum Collegium Cardinalium novis purpuratis Patribus nuper ditavit. Qui cum probe sciret atque intime persuasum sibi haberet, suis se litteris, quas 26 Octobris 1911 ad Praepositum Generalem Societatis dabat, haud dubio, quae sunt Instituti nostri leges, minus acceptum fore, tanquam patrem se inter filios gerens, nodum ipse expedivit difficultatibus sepositis quibuslibet. Scripsit quidem: « decrevisse Se in Consistorio propediem celebrando unum e Societate ad Cardinalatum promovere, videlicet Patrem Ludovicum Billot ». Cui tamen nuntio mox sententiam solatii plenam subjiciens:

« Probe scio, inquit, Patres Societatis ex Regulae suae praescripto non modo appetere non posse, sed recusare debere qualemcumque dignitatem. Talibus Regulae praescriptionibus obviam iturus, immunitates omnes concedo, ac precor Paternitatem Vestram et Patrem Billot, ne insistant, ut eximantur. Cardinalatus enim hac nostra aetate verius crux est, quam qui aequo animo amplectitur ac portat, multa sibi merita congerit in Paradisum » [2].

[1] *Acta Apost. Sedis*, 1910, fasc. 8, p. 326-327. Qua de re haec sunt Pontificis verba: « Non tam causa Nos utilitatis communis movet quam aequitatis ».

[2] * *Pius X ad Praepositum Generalem S. J.*

## CAPUT IV

### Insectationibus petita Societas

Recte superiori capiti caput hoc jam proxime subjungimus. Unum enim ex altero ducitur. Cuicumque enim carus est Summus Pontifex estque ipse Pontifici carus, huic subeunda insectatio erit. Dixit sane Christus: « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit »[1]; ac rursus: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur »[2]. Quo igitur odio Christum persecuti sunt pharisaei, in Christi quoque Vicarium ita posterioris aetatis pharisaei saevierunt, ut inde a Petro, qui, Hierosolymis morte damnatus, crucifixus est Romae, usque ad Pium X, quem odio hodiedum habent homines nequam quilibet, Pontifex insectationibus objectus fuerit perpetuo sitque pari ratione ad finem usque mundi objiciendus. Neque alia unquam futura sors eorum est, qui a Pontifice stare voluerint. At profecto stat a Pontifice atque ab Ecclesia Societas Jesu: futurum igitur ut odio atque insectationibus objiciatur continuo. In quam sententiam scribens ipse Pater Roothaan, filiis suis animum additurus:

« Fluctibus, inquit, jactatur cymba Societatis; et quid mirum, quando Petri navis teterrima procella pulsatur? »[3].

Alio iterum loco, vexatis insectatione exemplum commonstrans Fundatoris, qui gratiae causa pro suis a Deo deprecatus esset ut exponerentur vexationibus, quo nimirum signo eos cum Christo hujusque Vicario stare appareret:

« Quod S. Pater noster, inquit, inde a primis Societatis exordiis divinitus intellexisse visus est, quando Dominus, *ita ut erat cum cruce*, propitium se ipsi sociisque futurum promiserat; quodque eumdem Parentem nostrum Societati deinceps et expetiisse, et a divina bonitate enixe postulasse accepimus, ut ne unquam persecutionibus careret: id cum aliis semper nec parce consecuta est haec

[1] Jo., XV, 18.
[2] Jo., XV, 20.
[3] *Epist. Gen. De tribulationibus et persecutionibus.* Ed. alt., Tom. II, p. 345.

familia, tum maxime hisce nostris temporibus sane abunde experitur »[1].

Nec dubium ullum est quin etiam toto saeculo XIX abunde exaudita sit Ignatii Patris oratio. Vixdum enim per Bullam *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, anno 1814, in universo terrarum orbe restituta Societas erat atque a Pio VII laudata tamquam « Petri naviculae, assiduis turbinibus agitatae et concussae, experti et validi, qui sese Illi offerrent remiges, ad frangendos pelagi, naufragium et exitium quovis momento minitantis, fluctus »[2], cum ecce statim haud minus quam ante suppressionem proterva sese extulit persecutio. Gubernііs nimirum quibusdam, vetus illud odium suum aegre concoquentibus, cum maximopere ingrata esset Societatis restitutio, ea ipsa aditus negandi causa fuit. Quae tamen exiguo numero gubernia erant, atque ex iis pauca reapse eo animo duci reperta sunt, ut communi omnium existimationi palam reclamare vellent. Censebant enim, aptos Jesuitas esse, qui sua adolescentium institutione suaque auctoritate hominibus civilium rerum evertendarum cupidis obsisterent. Nec vero longum tempus increduli et franco-muratores a vexanda Societate temperarunt, qui mox insectantium seriem exorsi sunt in ipsa Russia, ubi per annos amplius 40 Societas, Imperatoribus Catharina II et Paulo I faventibus, ab inimicis suis tuta latuerat.

A calumniis, ut solet, ductum impugnandi initium est, ineundae pugnae opportunitatem praebente Protestantium illa Biblica Societate, cui favere Nostri sane neutiquam voluerant. Ac prima quidem inventa criminatio erat, conari Patres ad Fidem Catholicam Russos adducere. Deinde vero, palam mentiti, asseruerunt discordiam inter diversi ritus Catholicos a Patribus foveri, quo eos ad Latinum ritum facilius traducerent. Nec plura opus fuerunt ut concitati hominum animi a Patribus averterentur; quod impendentis nobis persecutionis fere solet esse praesagium. Inimicorum autem nostrorum ea praecipue arma erant, ut diligenter foveretur odium, quod Galitzine, Alexandri I Imperatoris administer, conceperat, de nepote suo, ad Catholica sacra per Patres Societatis converso. Qui vir princeps ab Imperatore decretum istud anni 1815 impetravit, quo Nostri, causa nequaquam audita, non solum Petro-

[1] Ibid., p. 333.
[2] Bulla *Sollicitudo*, 7 Aug. 1814, in *Inst. S. J.*, I, 337 ss.

poli pulsi, verum etiam Moscovia, quod erat alterum imperii caput, remoti sunt. Quae res secutae deinceps fuerint, supra jam enarravimus [1].

Interea vero, etiam in opposita Europae parte, ditionem dico *Neerlandicam*, contra Societatem vixdum ortam suscepta pugna est. Jam enim diximus qua ratione Gulielmus I, Neerlandiae Rex, 3 Januario 1816, Novitiatum, qui in loco Distelbergha erectus fuisset, dissolutum voluerit, imo etiam armatos eo voluerit submittere, quia Patres malebant oboedire Episcopo Gandavensi, Mauritio de Broglie, qui eos in Novitiatu remanere jussisset, quam ipsi Regi. In suas igitur ipsius aedes cum ab Episcopo suscepti fuissent, mox tamen inde quoque pulsi in catholicos Helvetiae pagos aufugere coacti sunt. Neque ita multo post Leodiense Collegium, quod nuper Societati tributum fuerat, mox etiam Culemburgense decreto gubernii occlusum est. Vel ipsi Scholarum Fratres, eo nimirum quod occulto habitu esse Jesuitae dicerentur, expulsi sunt; Spiritualium Exercitiorum conventus missionesque prohibitae; occlusae ipsae Exercitiorum Domus. Quem Regis nimium Jesuitarum metum riserunt ipsi qui in Belgio liberales vocabantur [2].

Haec dum in Neerlandia gerebantur, in *Russia* quoque francomuratorum secta Ecclesiaeque insectatores in dies proterviores evaserunt. Quae igitur ibi jam dudum ingruendo minitari procella visa erat, in Societatem tandem erupit, cum, die 13 Martio 1820, universali exsilii decreto ab Imperatore subscriptum est. Qua re inopinatum sane Russis accidit, ut iidem qui Societatem ab interitu vindicassent, iidem iterum, anno 1820, instrumenta consiliorum Omnipotentis Dei fierent. Dispergendo enim eos, qui in Alba Russia essent Sodales, valido quasi fermento, Patrum quippe in Russiae Provincia recta institutione atque conformatione imbutorum, reliquas omnes Societatis partes commiscebant atque penetrando confirmabant. Verum enimvero « qui habitat in caelis, irridebit eos, et in furore suo subsannabit eos » [3].

[1] * *Adversaria Roothaan*, 2, III, p. 1-9. Cf. Zalenski, *Les Jésuites de la Russie Blanche*, Tom, II, p. 207 ss.

[2] P. Albers, S. J.. *Herstel der Hiërarchie in de Nederlanden*, Tom. I. * *Litterae annuae Belgicae, ad an. 1835*, p. 1 ss.

[3] *Ps. II*, 4. * *Adversaria Roothaan*, 2, III, p. 13-15. Cf. Zalenski, *Les Jésuites de la Russie Blanche*, II, p. 245 ss.

E Russia coorta persecutio deinde *Helvetiam* brevi tempore invasit, ubi, anno 1814, Sionensis civitatis Collegium tunc tertio a Gallis occupatum est. Jam quidem anno 1812 regionis Simplonensis praefectus, Comes de Rambuteau, pellere Jesuitas conatus erat; verum, patrocinantes nostris, obstiterant de Champagny et Fontanes, Lugdunensis ille, hic Parisinae Universitatis Rector. Anno autem 1823 « gravissima in ipsos Friburgenses Socios nihil tale merentes nec opinantes commota est tempestas, quae vix non in Societatis excidium eruptura videbatur. Cunctae civium classes in studia diversa scindebantur ob extinctas Franciscanorum scholas, quas ex objecto triviales, ex methodo Lancastrienses [1] vocant. Celsissimus Episcopus, datis ad senatum litteris in quibus religionis morumque agebat patrocinium, earum suppressionem sollicite petitam obtinuerat. Mox plebs omnis furore summo in Societatem debacchari, quam veluti totius mali quod credebatur originem et hujus jacturae causam criminabatur. Intempesta quoque nocte, inter 9 et 10 diem Martii 1823, Collegii fores et fenestras lapidibus petebant. Audiebantur clamores et minae adversus Praesulem, magistratum et Socios, hac tandem peste liberandam esse patriam. Sed frustra haec omnia, et brevi qui videbantur opprimendi, ipso rei eventu consolidati sunt » [2].

Lausannae quoque Episcopus, qui ut protegeret Jesuitas continuo curabat, 26 Majo scribens: « Liberalium, inquit, quae dicuntur, foliorum periodicorum fervor in hac methodo propugnanda (Franciscani quippe Patris, Gregorii Girard), istorumque contra Reverendos Patres Jesuitas, qui tamen in decreto nostro condendo partes nullas habuerint, declamationes, ea inquam omnia plane sufficiunt, quibus rebus eorum qui videre quidem voluerint oculi aperiantur » [3].

In *Gallia* porro vixdum imperio exciderat Napoleon atque in regium solium, anno 1814, ascenderat Ludovicus XVIII, cum Regi auctor fuit Talleyrand, ut restitutae Societati in regno suo instituendam juventutem committeret. Plebem tamen metuens Rex petivit, ut ad deliberandum sibi spatium daretur. Interea vero, admi-

[1] Quae videlicet versabatur in mutua discipulorum institutione, additis Pestalozzianis sententiis.

[2] * *Litt. ann. Germ. Sup., ad an. 1823*, p. 33.

[3] Testimonium habes apud Crétineau-Joly, *Hist. de la Comp. de Jésus*, VI, 94.

nistri consilia suspicati, Societatis inimici procurarunt ut a reipublicae regimine Talleyrand amoveretur. Qui tamen, vindictae cupidus, insolita eam arte sumpsit. Jesuitarum enim auxilium prostare nolens inimicis suis, qui sibi in republica tractanda successissent, ipse Societatem modis omnibus insectari coepit. Deinceps vero, cum ex Ilva insula redux Napoleon, 30 Martio 1814, decretum edidisset, quo Universitas Imperialis (qua ratione decreto 17 Martii 1808 ordinata illa fuisset) denuo restitueretur, periculum Sodalibus maximum aliquamdiu imminuit; a quibus, quod tantopere formidabant, jusjurandum postulatum non est. Ipsius quoque Napoleonis mox confracta dominatio prorsus evanuit [1]. Patres igitur suam animabus collocare operam, nulla ostentatione, quieti perrexerunt. Domus erectae plurimae sunt, sacrae ubique celebratae missiones, quibus bonae voluntatis quoslibet homines expiabant Nostri. At franco-muratoribus ea res mox intolerabilis visa. Quam igitur missionem, Octobri 1819, in civitate Bresto, mendaciis atque calumniis prohibere non potuerant, eam vi disturbare aggressi ita sunt ut, ejus mensis die 28, loco excedere Patres debuerint. Invitis tamen adversariis Nostri, operi instantes, in civitatibus amplius 40 sacrae missionis exercitia tradiderunt. Frendentibus igitur impiae sectae hominibus reliquum non erat nisi ut, quantum potuissent, sacros Sodalium labores impedirent, postea illi quidem sua de Jesuitis sumenda ultione abunde se expleturi. De Congregationibus autem Societatis vix credibile dictu est, quantae eo tempore magis etiam quam de missionibus excitatae turbae fuerint; ad eum quippe insectandi furorem progressi interdum sunt, ut Congregationes aliquas supprimere debuerit Societas, eorum nimirum consulens incolumitati qui nomen illis dedissent [2].

At simul multo etiam longius processit Nostrorum in Hispania persecutio. Cum Ferdinandus Rex, injuriae, quam ipsius decessor Societati intulisset, reparandae studio ardens, decreto 15 Maji 1815, exsilii leges quaslibet exstinxisset, Jesuitae amplius 100 magno cum gaudio in Hispaniam recepti sunt, festusque Matriti celebratus dies est, quo, clavibus solemni ritu a Consilio publico (Junta) traditis Patri Emmanueli de Zuñiga, 29 Martio 1816, Collegium Imperiale a Patribus denuo inaugurabatur. Restitutae autem Societatis quis

[1] J. Terrien, S. J., *Hist. du R. P. de Clorivière*, Paris, 1891, p. 587 ss.
[2] Ibid., p. 137 ss.

esset spiritus quantaque operandi vis, propediem apparuit, condendis Novitiatibus, Collegiis, Residentiis. Nostrorum quoque numerus brevi ita auctus ut, anno jam 1820, Socii in Hispania fuerint 197. Quae res cum ita se haberent, mox eodem anno, machinantibus quippe secretis impiorum hominum coetibus, erupit rerum civilium eversio. Quid mirum primos petitos Jesuitas esse! Pater de Zuñiga, qui in Hispaniam eos induxerat, ipso tempore quo factum est armorum initium, decumbens supremum agebat diem. Sublati undique audiebantur clamores, quibus ad mortem deposcebantur Jesuitae. Ac sane penitus invisa res, quod ipso Sancti Ignatii die rogata lex sit, qua Societas supprimeretur. At enim nonne pro filiis suis ut persecutionibus peterentur, orando impetrarat Ignatius? Die igitur 14 Augusto rogatam legem jusserunt, tributa unicuique Jesuitae praebenda annua pesetarum 395. Fuit vero ea gravissima clades, quippe qua in ipso primae formationis suae labore Societas in Hispania destrueretur [1]. Jam tamen egregiam in Sociis fortitudinem ea formatio foverat. Coadjutores sane Temporales duo unusque Scholasticus, dum aegros pestilentia laborantes Dertusae curabant, omnium admirationem commoverunt. Quorum, quam in vulgus commendationem habebant, reveriti hostes, eos in vincula primum conjectos dein exsulare coegerunt. Anno etiam post, Pater Joannes Urigoitia, prope Manresam, seditiosorum manu trucidatus. Frustra reclamarunt Pius VII et Ferdinandus VII, qui ipse brevi post in carcerem datus est. At rerum evertendarum cupidi homines, qui jugulare quidem inermos potuissent, haud tamen impedire certando valuerunt, ne auxilio succurrentes Galli, debellata seditione ac Rege liberato, res omnes in pace componerent. Reduces igitur, anno 1824, Nostri mox Collegia sua Domosque restituerunt atque, anno 1825, Segoviae commissam sibi institutionem eorum, qui praefecti militum futuri erant, anno autem 1827, Matriti Collegium Nobilium moderandum susceperunt [2].

Iidem inimici, qui in Hispania insidias Societati struebant, in

[1] * *Roothaan*, 2. III, p. 11 ss. Cf. Crétineau-Joly, l. c., p. 252 ss.

[2] D. M. Menendez Pelayo, *Historia de los Heterodoxos Espagnoles*. Madrid, 1881. Tom. III, p. 500 ss. Vel potius P. A. Zarandona, S. J., *Hist. de la extinción y restablecimiento de la Comp. de Jesús*: ed. R. Cappa, S. J., Tom. III, *Supplemento*. I, p. 87-92.

*Italia* quoque tum ante restitutam Societatem tum posteaquam restituta illa est, nihil non moliti sunt ut eam sive prohiberent sive a suis laboribus impedirent. Nec mirum. Tanto enim labore res iis steterat ut Societas destrueretur; tam longa tamque molesta ad aulas Borbonicas insumenda opera fuerat. Quam vero immanis negotiatio ista, qua hominum de aula Pontificia animi Societati opponerentur, qua etiam ipse Pontifex, anxius ac majoris imminentis mali metu compulsus, supprimere Societatem cogeretur. Atqui, frendentibus licet adversariis, restiterant tamen in Russia Sodales, neque attingi ictibus eorum poterant; cum ecce, in ipsis meridionalis Europae partibus, isti denuo exoriebantur « maledicti Jesuitae »! Tunc vero, spe frustrati, Jansenistae secretorumque coetuum homines quilibet suis ipsi oculis adspicere coacti, qua ratione Societas, patrocinante duce Parmensi, ex Italia quasi emergeret. Imo mortuo etiam Ferdinando, dum Gallorum in Italia dominabantur arma, per annum amplius et dimidium Nostri in quatuor suis, quae in Parmensi ducatu domicilia incolebant, perstare potuerunt. Postea tamen, tanquam Jesuitae quippe agniti, anno 1804, regione excedere coacti sunt [1].

Eodem anno ad regnum utriusque Siciliae accessus datus est Societati, quae devote quidem atque cum amoris significatione a Ferdinando Rege excepta ibi est. Nec vero hic fuit diuturna ejus commoratio. Vixdum enim Collegii instruendi spatium habuerant Patres, cum in Neapolitanam quoque ditionem homines evertendarum rerum civilium studiosi e Gallia irruperunt. Ineunte quippe 1806, dum Ferdinandus Rex, pretiosa sua quaecumque secum deferens, una cum aula sua Panormum aufugiebat, Josephus Buonaparte Neapolim ingressus est, ac mox, ejusdem anni mense Martio, videlicet tyrannici fratris sui imperio, Jesuitas expulit. Erat vero ea gravissima clades Patri Josepho Pignatelli, quippe qui Ordinis sui tantopere esset amans. Annos igitur natus 69 et exsilii capessere viam denuo coactus ille, incredibile dictu est quot iterum labores atque aerumnas, fratrum suorum expulsorum causa, assumere debuerit. Neque immotus animo legere quis potuerit, quam materna plane sollicitudine necessitatibus omnium ille provideret, Deum precatus ut mox domum eos reducere dignaretur. At

[1] * *Roothaan*, 2, III, p. 14 ss.

experimento Deus iterum declarare voluit, quanta esset religiosissimi viri fortitudo, cui concessum non fuerit ut persecutionis ipse videret finem. Vita enim functus est Romae, anno 1811; futurum autem erat ut anni ab isto plurimi ante elaberentur quam Neapolim redire Sodalibus liceret [1]. Nequaquam igitur Pater Aloysius Fortis cum pace Societatem (1820-1829) gubernavit.

Verum multo etiam minor regimini Patris Joannis Philippi Roothaan (1829-1853) concessa tranquillitas est. Noverat profecto sagax ille Deique supernaturali lumine illustratus vir, qualem gubernaturus adiisset hereditatem, atque persuasum sibi habebat oportere ut, calamitosis temporibus istis, Societatis filii, suae vocationis amore ducti, parati essent carissima quaecumque atque ipsam etiam vitam profundere. Qua de causa, anno post quam electus est, praeclaram epistolam illam encyclicam scribens *Ad Patres et Fratres Societatis, De Amore Societatis et Instituti nostri* (1830) [2] commonstrat, praeter alia, quam solida iis opus sit virtutis scientiaeque conformatione; atque improvidum affirmat esse Societatis amorem, qui minus, ut rite formentur Socii, quam ut Societas dilatetur, procuret.

« Quid enim, inquit, si in hac tempestate, renata abhinc paucis annis Societas, et adolescentiae suae, ut ita dicam, aetate vix egressa, ad plura se extenderet quam praesentes ejus vires ferant, et alumnos suos, antequam rite formentur, ad gravissima Instituti sui ministeria adhibere cogeretur, quid, quaeso, accideret? Illud scilicet quod in humano corpore fieri videmus, cum vel praeter modum aetatis excrescit, vel laboribus ultra vires gravatur; quod indo quidem enervari atque elumbe reddi solet, hinc brevi fatiscere et ad immaturum interitum praeceps ruere.... Semper, quaeso, prae oculis habeamus, primum Societatis vitam ac salutem, deinde ejus ministeria, primum formationem Nostrorum, dein eorum labores ac laborum fructus; primum interna nostra, dein externa curanda esse; nobisque persuadeamus, nec Societati consuli, nec gloriae divinae, nec proximorum utilitati, si homines vel a virtute, vel a scientia nondum quantum satis est instructi, ante tempus in solem atque aciem educantur; qui scilicet, ubi tandem appareant minus

[1] G. Boero, *Vita del Venerabile P. Gius. M. Pignatelli*, Roma 1856.
[2] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 307 ss.

habentes, et spes de Societate conceptas fallent, et ipsi gravissimis periculis objicientur, et Societas dedecori »[1].

Ac sane virtute atque egregia conformatione opus Patribus erat, quibus tam gravia instarent rerum temporumque momenta. Nec quicquam, quod sive verbo sive scriptis potuisset, molitus Pater Roothaan non est, ne vel minima persequendi occasio adversariis praeberetur. Privatis igitur litteris Provinciales aliosque Praepositos, atque ipsos etiam eorum subditos saepe commonuit, paterno simul ac nervoso sermone Socios omnes cohortatus, ut summa cum prudentia res suas quascumque peragerent omnemque in Deum providum collocarent fiduciam[2].

Qui primum quidem in *Gallia* molestiis affectos ac vexatos filios suos vidit. Jam enim 16 Junio 1828, instituendae juventutis Patribus adempta facultas est, nisi, jus Universitatis singulare agnoscentes, se ad nullum e religiosis Ordinibus pertinere declarassent[3]. Quo lato decreto, non solum florentissimo illi Sancti Acholei Collegio verum etiam Societatis Collegiis aliis septem jus instructionis tradendae abjudicatum est. Secuta deinceps, mense Julio 1830, nova rerum civilium in Gallia perturbatio. Mortem Jesuitis minitando atque ut viveret infernus clamando, efferatae hominum turbae Novitiatum in loco Montrouge aliasque Domus expilarunt. Quos diabolicos revera clamores, in reliquis quoque Galliae Provinciis redditos, iidem ibi rerum eventus consecuti sunt.

Furentes sane ac rabidi homines inter 400 et 500, 29 Julio 1830, in Collegium S. Acholei irruerunt. Diversissimi circumsonabant clamores undique: Ut viveret Rex! Ut libertatum charta viveret! Erant qui clamarent ut viveret Imperator! alii iterum ut libertas! Inclamabant vero omnes ut proculcarentur clerici, utque Jesuitae caederentur! Erat vero in eo Collegio magister Pater de Ravignan. Dum igitur coram Sanctissimo genuflexus orabat Pater Achilles Guidée, in subdiale processit Pater de Ravignan, ad eos qui invadebant Collegium verba facturus. Verum, obstrepente clamoribus vulgo, oratoris verba opprimuntur, dum crepitant circumcirca

[1] Ibid., p. 311 et 313.

[2] * *Roothaan*, 2, III, p. 20 ss.

[3] C. DE ROCHEMONTEIX, S. J., *Les Congrégations religieuses non reconnues en France*, 1789-1881. *Le Caire*, 1901, Tom. I, Chap. I. DE VATIMESNIL, *Lettre au R. P. du Ravignan et Extrait d'un Mémoire*. Appendice à DE RAVIGNAN, *De l'existence et de l'institut des Jésuites*, 3e éd., Paris, 1841.

ruinarum fragores. Scholastici interea campanam pulsare incipiunt, qua re etiam vehementius furentium hominum accensus furor est. Tunc iterum alloquendo sedare oppugnantium animos conatur Pater de Ravignan; at, ingenti saxorum vi in subdiale decidente, ipse in facie vulneratur. Quo facto dirus tumultus concitatus; dum enim hominum plura centena, ad insaniem usque furore concitatorum, pro viribus conclamant undique, lugubresque sonos emittit campana, concutiuntur fores, fenestrae, supellex, jactatusque contra specularia et januas impellitur dolium ingens. Inter haec autem omnia e ducibus unus, stentorea voce inclamans, invadentibus animos faciebat, ut macti virtute essent. S. Acholei autem concidentium ruinarum fragor ad ipsum Ambianum usque pervasit. Quem luctuosum rei eventum, ludicra deinde subsecuta sunt. Vix enim quidam clamando postularant ut potus daretur, cum alius « en vinum », inquit; quo dicto confestim, vi magica diceres, ad pacem res omnes compositae. Suae quisque lagenae illiso collo, vinum raptim hauriunt, haustamque in fenestras torquendo projiciunt. Istis vero ita compotantibus, ecce tandem advecta equitum turma mox disjecit vinolentam hominum turbam [1]. Patres deinde alii ad amicos se receperunt, alii exsules migrarunt in Italiam, Helvetiam, Americam, aliasque Missiones exteras, quas illis Pater Roothaan adsignaverat. Sed cum novi regiminis homines persecutiones non continuarent, reduces multi ad Episcoporum obsequia se obtulerunt; unde factum ut nullo unquam tempore tot numero fuerint in Gallia oratores sacri missionariique, quot regnante Ludovico-Philippo regionem illam curis excolebant.

Rerum porro in Gallia eversione quasi signum datum est, quo in reliquis etiam regnis commotiones ejusmodi excitarentur. In *Italia* quippe cum vita functus esset, 30 Novembri 1830, optimus ille Pontifex Pius PP. VIII, id contra publicam auctoritatem exsurgendi initium fuit. Ipso tempore conclavis, quo Summus Pontifex electus est Gregorius XVI, in universa ditione Pontificia Mutinensique ducatu concitatus tumultus est. Quorum tamen adversus Urbem aggressio, procurante Bernetti Cardinali Vicario, eventu destituta. Vixdum autem rerum in Aemilia, in Piceno potiti erant

[1] P. A. DE PONLEVOY, S. J., *Vie du R. P. de Ravignan S. J.*, Paris, 1862. Tom. I, p. 132 ss.

seditiosi, cum a Jesuitis expetitae sunt poenae. Collegia quae in ditione Pontificia, Ferrariae, Bononiae, Forlivii et in ducatu Mutinensi erant, suppressa sunt, promissis quidem populo datis, « fore ut adolescentium institutio iis committeretur viris, qui idonei simul ac benemeriti omnium fiducia uterentur ». Eam quidem sententiam, 16 Februario 1831, invenerunt inscriptam specularibus Collegii Spoletani. Contra Jesuitas publice ubique verbis gestisque pronuntiantes, homines seditiosi hic illis nostras etiam Domos pervestigarunt, sperantes videlicet fore ut bellica ibi reperirent arma.

Erat vero ingens eo tempore Superiorum sollicitudo. Quare rationes P. Roothaan excogitavit, quibus consilia cum filiis suis communicare posset. Erat quippe Romae, ad exteras Missiones designatus, Pater aliquis, religiosa ille quidem virtute praestans atque intrepidus, cui tamen species externa haud ita faveret. Eum igitur secreto misit, seditiosas provincias civitatesque obiturum, visurum etiam quomodo Nostrorum se res haberent, ac Superioribus litteras in manus daturum. Quod egregie successit negotium, reique gestae secretum tam sedulo servatum est, ut dimidio saeculo post vix ullus e Nostris de ista paternae sollicitudinis industria quidquam resciverit. Vel ipse Spoletani Collegii Rector, quem Pater ille quadragesimali tempore anni 1831 convenit, eumdem non agnovit. At Pater Roothaan, ubi reducem allegatum suum vidit, animo levatus atque gavisus est rebus gestisque filiorum suorum, quos tam dira exagitabat vexatio [1].

Romae porro adhibiti conatus sunt, quibus Patrum probitatis famae noceretur; ut cum nocte quadam libidinosi homines, Nostrorum induti veste, rheda vecti, ad portam Flaminiam apparuerunt, Jesuitas se esse dicentes, qui persecutionem aufugientes ad Domum templo Farnesiano conjunctam se reciperent. Explorati vero diligentius, seditiosi esse reperti sunt, qui, moribus usi dissolutis, tumultum in triviis concionando concitarent [2].

Interea vero Pater Roothaan epistolam illam Encyclicam conscribebat *ad Patres et Fratres Societatis Jesu, De Tribulationibus et persecutionibus*, quam 24 Julio 1831 misit, filios suos consolaturus. Qua sane epistola affirmat, tribulationibus et persecutionibus, quas ab initio passa sit Societas et etiamnum abunde patiatur, exci-

[1] * *Roothaan*, 2, III, fol. 27 ss.
[2] * Ibid., fol. 29-31.

tari in nobis debere gaudium, de vocatione nostra, quam Jesus beatam dixerit, eo quod vere patiamur pro ejus nomine, et participes simus gloriae crucis Christi. Tum vero excitat suos ad profundam humilitatem, sanctamque sollicitudinem, ne ob aliquorum etiam minores culpas universi poenas ejusmodi solvant. Hortatur etiam ut meditentur perfectionem Instituti, lugeant suam imperfectionem et ad majora tendant. Persecutionibus ait ad summam in Deo fiduciam excitari Nostros debere; timendos non esse carceres, vulnera, mortem, neque rerum penuriam, neque separationem ac dispersionem Sociorum. Sermone deinde absolvens:

« Fluctibus, inquit, jactatur cymba Societatis, et quid mirum, quando Petri navis teterrima procella pulsatur? Scilicet, nox ingruit ac potestas tenebrarum. *Laboramus in remigando:* remiges enim a Pio VII vocati sumus: utinam strenui nullisque frangendi laboribus! *Laboramus*, inquam, *in remigando; est enim contrarius ventus.* Ast, modo ne cessemus. Patres et Fratres carissimi, *illucescet* aliquando *dies*, et *Jesus veniens*, qui nos nunc *laborantes videt* utique, aderit, et *ambulans super mare* fluctus feros divino vestigio calcabit, et *cessabit ventus*, et *fiet tranquillitas.* Clamemus, utique, oremus: *Domine, salva nos.* At pereundi timorem nimium, quaeso, ne concipiamus, ne forte, quemadmodum Apostoli, a benignissimo Domino: *modicae fidei* arguamur. *Exspectemus, viriliter agamus, confortetur cor nostrum et sustineamus Dominum.* Adhuc *modicum aliquantulum, qui veniens veniet et non tardabit.* Illud interea precari a Domino non ullo die omittamus, ut, *quia dat omnibus affluenter et non improperat*, donet quod Apostolus *optimum* vocat, donet, inquam, omnibus nobis *gratia stabilire cor.* Simul etiam illud Petri monitum prae oculis habeamus, ut *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in bene factis. Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum* »[1].

Quae litterae animum Societati addiderunt solatioque fuerunt multis, immo ut acrumnarum essent cupidi effecerunt. Ac sensis tam magnanimis etiam opus esse, res proxime secutae demonstra-

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 332-346.

runt. In *Hispania* enim vixdum temporis spatium suffecerat, quo Patris Nostri verba illa animo volverent, cum vexatio exorta est dirissima. Ferdinandus enim VII, mortuus 29 Septembris 1833, reliquerat regnum civilium partium studiis obnoxium. Qui quum testamento regnum ita tradidisset Isabellae puellulae ut reipublicae administrandae curam haberet Maria Christina, exarsit mox civile bellum, cujus praecipuas partes gerebat odium fidei ac Religiosorum. Mensibus duobus postquam mortuus est Rex, Patrem Sebastianum Sancho, Procuratorem Provinciae, una cum socio Coadjutore, Laurentio Cana, in vincula conjecerunt. Qui per dies 96 carcere detenti ita sunt ut Pater Sancho, aerumnis confectus, mortuus sit Majo mense 1834. Quo tempore auditae etiam minae sunt, fore ut per duos dies strages Matriti ederetur. Imprimis vero Religiosi petebantur.

« Etenim, quod scriptum invenimus, Regiae majestatis religionisque hostes animo alte persuasi, religiosos ordines esse tantum, qui eorum se consiliis opponere vellent et auderent, de interficiendis una die Matriti aliisque Hispaniae locis religiosis viris conjurarunt. Cholera, quae totum fere terrarum orbem percurrens Iberiae partem fuerat depopulata. Curiam invasit et inter cives grassata acerbissimam stragem facere coepit. Animo statim impietas exaltari visa, nacta amplam occasionem calumniae, qua si non conata perficere, religionem certe aliqua ex parte concutere valuit. Novis igitur machinationibus excogitandis semper ingeniosa, aquam veneno inficit, simulque in vulgus spargit a religiosis viris, Jesuitis praecipue, fontibus venenum infundi; id esse in causa cur cives misere pereant. Boni mirabantur omnes initio quomodo tam inepta cogitatio hominibus in mentem venisset; at ea certitudine calumniam texere, iis coloribus depingere, tot producere testes noverunt, ut rem prius incredibilem vulgo fere persuaserint ».

« Illuxit igitur dies XVII Julii, caedi perficiendae adsignata: tribus in locis diversis tota in urbe frequentissimis orta post meridiem seditio.... Conclamant omnes Religiosos trucidandos, Jesuitarum nemini parcendum; omnes ad unum publice captandos. Nec mora. Ad Imperiale Collegium advolant et magno impetu irrumpere tentant. Jam Nostros sollicitos tenebant litterae ab amico allatae, quibus quantocius delitescerent monebatur; hora tertia accessuros qui viros morte mactarent. Ut hujusmodi litteras fre-

quenter acceperant, non multum hoc monitu consternati: at cito majori tacti sollicitudine, dum de rei veritate sicariorum adventu edocti fuere. In Collegii Imperialis convictu pomeridianum cibum alumni capiebant. Repente .... ad superiorem aulam ascendunt. Urbanus ecce miles ingreditur. Omnes subito timore perterriti; at ille, nihil timendum, ait: alumnorum suam quisque in domum se recipiat.... At per totum convictum jam effusi sicarii necem sese objicientibus promiscue inferebant. *Dominicum Barrau*, Scholasticum theologicum, qui alumnorum moribus invigilabat, coram alumnis invadunt et sica confodiunt. *Joannem Ruedas*, Adjutorem Fratrem, offendunt, pugionibus petunt, mille vulnera infligunt, veste nudant, atque ille defunctus, genibus flexis et manibus ad pectus compositis, repertus est. Pater *Franciscus Sauri*, Collegii et convictus Procurator, historiae et geographiae professor, parvo in cubili latitabat. Hic cum recitantem Deiparae coronam comperissent, foras extractum nece mulctarunt crudelissima. Siquidem ejus caput fustibus et malleis contusum, dentes effracti, totum deniquè corpus saevissime laniatum ».

Crudelius etiam in *Josephum Elola*, Scholasticum, egerunt.

« Ardentissimam omnes cruoris sitim in eo explere. Hic sicam immittere, is cultro ferire; iste pugione, ille gladio summum corpus infigere; alius fuste, malleo alius pulsare; ita tamen, ut nullum lethale vulnus imprimentes, ferinam rabiem diutius saturare liceret.... Novus tortor postea ense caput duas in partes dissecat. Sic eum extremo agone luctantem reliquit; hora noctis secunda repertus est genibus provolutus, manibus ad pectus admotis, fronte humi adhaerente, exiguo adhuc spiritu anhelans, quem post exactos per novem horas dolores acerbissimos, Deo reddidit. Fratres *Josephus Sancho*, *Josephus Garnier* cum *Joanne Urreta*, *Martino Buxons*, *Firmino Barba* convictorum vestem induerant. Sed ut trepidis defuit se accurate componendi locus, alii ex calceis, ex frontis modestia alii, nonnulli ex vultus turbatione, plerique ex capitis tonsura agniti, ac in via indigna morte interempti sunt. Delituerant Pater *Josephus Fernandez*, Pater *Joannes Artigas* et Pater *Castus Fernandez*, qui eodem illo die examen ad gradum subierat, vitamque peste afflatis inserviendo dicaverat, Frater *Petrus Demont*. Hi omnes cum fugerent ex suprema Domus parte, agniti et interempti sunt. Frater Coadjutor *Emmanuel Ostolaza*, laboris vere

et religiosae observantiae studiosissimus, a quodam fabro domestico, ut fertur, occisus est ».

Ut inter has strages « R. Pater Provincialis videt negotium desperatum, omnia in exitium ruere, humanum remedium tantis malis superesse nullum, socios omnes in Sacellum convenire jussit, ut praeclara ac beata morte fortissimi Christi athletae defungi se accingerent. Difficile dictu est, quo spiritus affectu divinam sibi opem conciliare studerent. Hos Crucifixi imaginem pectori admoventes et oscula libantes dulcissima comperisses; istos sublatis ad coelum palmis noxarum veniam postulantes audivisses; illos per poenitentiae Sacramentum animi maculas detergentes, et universis P. Provincialem absolutionem impertientem vidisses. Interim sicariorum manus irruerat. At nescio qua re, loci religione vel miseratione vel Dei potius instinctu, licet impurissimi, tacti, primo impetu fracto, iram nonnihil remittere visi. Sed dum minaciter illos terrebant et *Vincentio Gogorza*, Socio Adjutori, qui sicariis Superioribusque ut obsequeretur funem quaerebat, lethale vulnus, quo subsequenti die mortem oppetiit, infligebant, militum praefectus advenit, et Fratrem *Munoz* proprio nomine compellat. Cui iste, adsum, inquit; at ille postquam in amplexus ruit, non vulgari, ait, beneficio fratris tui devinctus vitam tibi servaturus accedo. Minime, inquit Frater: aut una cum reliquis Sociis vita mihi fruendum, aut una cum illis pereundum: eadem sors fratres ac me manet. Urgebat ille amplius ut egrederetur. At ubi nullis argumentis a suscepto consilio removere valuit, ad socios conversus, parcite metu, ait, nemo vestrum peribit. Ego vestram causam defendendam suscipio. Nec promissis defuit. Nam ex 54 sociis, qui obedientiae vocem accipientes se in Sacellum recepere, desideratus est nemo ».

« Haec quae ad Nostrorum vitam spectant. At quis verbis, non dico, amplificet, sed vel enumerando prosequatur quae, die 17 et 18 Julii 1834. per Collegium admittebantur sacrilegia et flagitia: sanctarum vestium, sat magni ponderis argenti, multae supellectilis .... misera et foeda direptio fiebat; alia homines nequissimi rapiebant, alia mulieres scelestissimae. Nil erat clausum, quod non reseraretur, nihil integrum, quod non confringeretur; nihil augustum, quod non temeraretur. Sanctorum imagines summis opprobriis dirumpi, summa impietate proculcari cerneres. Sacra loca polluebantur, compilabantur arae, in Sacello domestico bibebatur,

prandebatur; atque haec acta militibus non solum inspectantibus, sed etiam ex parte conniventibus ».

« Dies decima septima Julii »! haec quidem verba sunt, quibus e Nostris aliquis spectator ac testis, eorum qui decora morte tunc occubuerunt nomina recensens, rem tristissimam complectitur:

« Dies utique vobis felicissima, qui corporis ergastulo soluti immarcescibili gloriae serto redimiti ad coelestem Patriam evolastis.... Siquidem obiit P. Castus Fernandez, ea pollens prudentia et sapientia ut annos quinque tantum supra triginta natus Hispalense et Valentinum Collegium et Seminarium summa cum laude gubernarit. Obiit P. Josephus Fernandez, qui pueros Latinae linguae rudimentis imbuendo eam sibi per novem annos comparaverat dexteritatem ut qui majore suavitate pueriles animos sibi devincere valeat, vix reperiatur quisquam. Interemptus est Joannes Artigas, sapientium judicio arabico idiomate omnium in Hispania fortasse praestantissimus. Interempti sunt Fratres Urreta et Elola summa et virtutis et doctrinae spe adolescentes; interempti sunt praeterea sex Scholastici, qui praeceptoris munere vel in Imperiali Collegio fungebantur, vel Valentiae fuerant cum laude functi. Universi denique qui occubuere, eam vitae rationem constanter tenuerunt, quam decebat eos, qui Martyris laurea afficiendi erant » [1].

In ista autem miserrima rerum nostrarum Hispanicarum conditione, quo animo Pater Roothaan, quae sollicitudo ejus fuerit, non est cur scribendo longius prosequamur. Ad Praepositum Provinciae quidem litteris datis, 23 Augusto 1834:

« Fiat, inquit, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus. Amen.... Custodiat te Dominus una cum omnibus qui remanserunt ac dispersi nunc sunt. Qua dispersione vehementius doleo quam alia re qualibet; magnis enim illi objecti periculis, praecipue quod animam spectat; utique *beati mortui, qui in Domino moriuntur;* sic enim spero atque in Domino confido factum illis quindecim, qui desiderantur. Sed quoad dispersos, nostros maxime juvenes ....

[1] *Stragis editae in Imperiali Collegio S. J. narratio,* 17 Julii 1834. — *Les Massacres de Madrid, 17-18 Juillet 1834. – Relation du R. P. Ignace Marie Lerdo S. J., trad. de l'Espagnol par Henri Dugout S. J.,* 1907. (Append. aux Lettres de Jersey). Occisi sunt etiam alii religiosi viri, universi 73.

O Domine! precamur, sufficit! Exspectans prospicio ulteriores nuntios. Quoad fieri potuerit, manendum in statione. Jam vero necesse non est ut ego commendem in sua cuique vocatione perseverandum, et ut ne ulla ratione se quisquam immisceat rebus quae ab ea abhorreant. *Vos de mundo non estis* »[1].

Ad Rectorem autem Matritensem, 25 Septembri 1834, scribens Pater Roothaan:

« Dominus, inquit, dignetur suam illis tutelam continuo praestare. Tempus urget ut melius in dies accingamur ad intimam conjunctionem cum Deo benedicto. Non est cur dicam, quantopere senserimus atque omni hora sentiamus quaecumque passi sunt ac patiuntur cari fratres nostri, et multum precari nos pro cara illa Hispanica terra, ut Dominus reddat ei salutem et pacem, illam, quae est ipsius misericordia, liberando tantis istis calamitatibus cholerae bellique, quibus nunc affligitur. *Deus noster refugium et virtus! Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me!* Precor te ut meis verbis amanter salutes omnes istos Patres Fratresque, quorum ego tranquillitate et unione magnum solatium capio. Quod si externae tribulationes augmentum tribuunt spiritus, caritatis, fiduciae in Domino collocatae, magnum profecto Dei donum sunt. *Regnum Dei, quod est justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto!* Amen. *Fiat. Fiat* »[2].

Diceres, strage istiusmodi, qualem modo describebamus, animos debuisse ad misericordiam componi. Verum enimvero, cum ipsi caedis auctores semper potiri rerum pergerent, hic eventus fuit ut 4 Julio 1835, quo die ab isto nefando scelere annus integer elapsus nondum erat, Societas Jesu lege lata dissolveretur. Cum tamen, per bellum Carolistarum, rerum perturbatio erat, Loyolae stare Nostri potuerunt usque ad annum 1840.

In *Lusitania* quoque Patres expulsi quidem sunt, at ex aerumnis tamen aliis gravioribus evaserunt. Die quidem 10 Julio 1829. Don Miguel, edito decreto Societatem in Lusitania restituerat, quippe qui adolescentium institutioni spiritualibusque populi curis damnum ingens inferri videret. Prima omnium Comitissa de Oliveira, quae neptis erat Pombal, filios suos Patribus instituendos tradidit. Decembri 1830 e Gallia Socii 9 antiquam Patrum Domum

[1] * *Pater Roothaan ad P. Morey*, 23 Aug. 1834.
[2] * *Pater Roothaan ad P. Emmanuelem Gil*, 25 Sept. 1834.

Olysippone occuparunt, ubi tam felici eventu collocarunt operam, ut auctore Archiepiscopo Eburensi Don Miguel antiquum istius civitatis Collegium Nostris restitueret [1].

Quam tamen Domum Patres, auctis passim rerum angustiis, nunquam occuparunt. Per universam porro Lusitaniam illa vix non ubique rerum conditio erat ut adimplerentur S. Scripturae verba haec: *Euntes ibant et flebant; venientes autem venient cum exultatione*. Anno 1832 Conimbricense quoque Collegium Nostris restitutum est; quo anno exeunte numerabantur Missionis istius Patres 17, Coadjutores Fratres 4 [2]. Iter autem Conimbricam facientes Patres ad locum venerunt Pombal, ubi infamis ille administer exsul vitam degerat mortuusque pridem erat. Qua de re, 6 Martio 1832, scribens Pater Delvaux:

« Pulsantibus campanis, inquit, receptos ac laudibus ornatos deduxit nos archipresbyter, clero comitante universo. Templum ipsum, ad quod e Patribus nostris duo Sacrum facturi se contulerant, splendide, quo ritu diebus solemnioribus fieri solebat, erat illuminatum. Ego vero, quasi religioso instinctu quodam, quem haud facile verbis describam, ductus, Patre et Fratre Coadjutore comitibus, clam antea jam abieram quam obviam nobis bonus ille parochus veniret, atque ad templum Franciscanorum festinaram, ad sepulcrum Marchionis oraturus. Verum enimvero carebat sepulcro infelix ille homo. Prope enim ab altari majori, sepulcrali panno satis vili coopertum, feretrum invenimus, quod coenobii moderator nobis illius esse dixit. Eo igitur loco, jam inde a die 5 Martio 1782, sepulturae honores opperiebatur frustra ».

« Ideoque verissime dicere possum, post saeculum amplius dimidium, proscriptae Societatis actum fuisse omnium primum ut Sacrum anniversarium, praesente corpore, celebraretur pro anima illius qui eam proscripserat, eoque ipso in loco ubi ultimos vitae annos degerat, iste gradu dejectus, exsul, morte damnatus. Quot vero quamque variis causis opus fuerat ut hic eventus obtineret! Et quid mirum me, loco illo Pombal egredientem, sciscitatum mecum esse, utrum per somnium an e rerum veritate ista omnia nobis evenissent: adfuisse ibi ipsum demortui loculum, Sebastiani nomen inter sacra fuisse pronuntiatum, pulsantibus campanis celebratum

[1] * *Roothaan*, 2, III, fol. 38 ss.
[2] *Catalogi Prov. Galliae*, 1829, p. 53; 1831, p. 39; 1832, p. 46.

fuisse reditum Societatis, eaque simul una die horaque una obtinuisse omnia. Crediderim equidem ejus rei memoriam ex animo meo deletum iri numquam »[1].

Festi diei celebratio iterum Conimbricae facta Patribus. Quibus de tanta animorum commotione referentibus Pater Roothaan respondens: « Hodie Hosanna! Humiles estote! Fortasse enim audiendum mox erit, Tolle crucifige! ». Quod dictum quam verum fuisset eventu brevi comprobatum est. Concertantibus enim inter se Michaele et Petro principibus, victoria huic mansit. Qui decreto 20 Julii 1833 Olysippone Patres expulit; quod tamen decretum exsecutioni mandatum nondum erat, cum nequissimorum hominum turba nostram Olysipponensem Domum invasit. Patres, quibus ipsum aufugiendi spatium tantum fuit, certissimam evadere mortem aegre potuerunt. Paucis diebus post, verno tempore anni 1833, juvenis quidam Anglicus nationis suae navi incolumes abduxit ex Patribus quattuor, qui Stonyhurstum in Angliam abierunt, ceteris vela Genuam facientibus[2]. Conimbricae Patribus posteaquam per annum unum concessa tranquillitas fuerat, Petrus Princeps, 26 Majo 1834, instigantibus quippe secretorum coetuum sodalibus, exsecutioni denuo mandare coepit leges quas Pombal tulerat. Quasi scelerati essent homines, capti Patres, stipantibus militibus, Olysipponem ducti sunt. Feliciter tamen contigit ut Galliae allegatus, Baro de Mortier, pro iis, quippe qui populares ipsius plerique essent, intercederet. Quod nisi ille beneficium praestitisset, procul dubio in carceribus Sancti Sebastiani moriendum illis fuerat. Quibus ibi detentis scripsit Pater Roothaan eorum se venerari atque osculari vincula, cum haud secus ac Romana Petri vincula, venerationem illa haberent a viris fortissimis, qui pro Ecclesia Dei ea sancte gestassent. Tum in memoriam eis revocat, qua ratione isti Sancti Sebastiani carceres non possint eos non commonefacere egregiae virtutis tot numero fratrum, qui in caelo triumphum jam agant de doloribus etiam illis, quos iisdem in locis exhauserint[3]. Qui, decreto 28 Junii 1834, a Principe Petro soluti vinculis, navibus in Italiam iter fecerunt[4].

[1] Crétineau-Joly, VI, p. 266.
[2] *Catal. Prov. Galliae*, 1832, p. 46 nota.
[3] Ibid., 1833-34, p. 44-45.
[4] * *Roothaan*, 2, III, fol. 39 ss.

Ex Hispania et Lusitania expulsos Socios Pater Roothaan in varias Provincias divisit. Quorum aliqui in Italiam concesserunt, alii vero in Galliam; pauci etiam numero remanserunt in Hispania, saeculariumque Sacerdotum induti vestem hospitio usi sunt amicorum. Alii vero, sat multi numero, ut antea jam diximus, navibus transmiserunt in Americam Meridionalem, quo eos ad Argentiniensem rempublicam evocaverat Rosas dictator. Quoniam autem dictatoris haud erat sincerum consilium, nec longum ibi quiescendi spatium concessum Patribus fuit. Ac vidimus, quo modo ex ea regione pulsi Socii alio se contulerint, conditisque passim Missionibus, operam suam, quo possent modo, in animarum salute procuranda collocarent [1].

Ut in Americae Meridionalis rebuspublicis, ita in quibusdam etiam pagis *Helvetiae* non modo toleraverant Societatem, verum etiam eidem faverant. Ubi quamvis plura praeclare gesta sint [2], prohiberi tamen non potuit ne inde quoque expellerentur. Pater Roothaan autem, ut de sociis Hispaniae, suum sibi de Helveticis etiam solatium cepit, ex eo quidem, quod fertur, proverbio « haud semper ut noceat advenire malum quodlibet ». Ac revera, quo modo, ex Hispania expulsi, Nostri Statibus Americae profuerunt, simili ratione ex Helvetia exeuntes Socii commodum attulerunt Germaniae. In Helvetiam, quippe quae esset tanquam libertati maxime omnium indulgens dudum celebrata regio, ex universis Europae regnis quicumque erant quasi faex populorum paulatim confluxerant: communistae, qui dicebantur, terroristae, libidinosi homines quilibet. Adde quos Ecclesiae adversarios nutriebat ipsa Helvetia. Qui cuncti omni quidem religioni, verum praecipue Jesuitis inimici erant.

Impugnandi autem opportunitas ex eo capta, quod Sione e Collegio dimissus alumnus aliquis fuerat. Quam rem qui aegre ferebant, ad magistratus primum provocarunt: at Patribus sua ab iis addicta res est. Tum vero adversarii, qui Junioris Helvetiae nomen sibi faciebant, ad arma conversi, 23 Majo 1844, contra civitatem Sionensem signa intulerunt. Aggredientibus igitur conjuratis atque ad caedem Jesuitas expostulantibus, ipsi cives restiterunt succlamando ut viverent Jesuitae! atque hi quidem victores

[1] * Ibid., fol. 41 ss.
[2] * Cf. *Hist. Dom. Brigensis, Friburgensis* et *Sedunensis*.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

praelio excesserunt, victi autem et pudore affecti abierunt illi. Qui mox calumniis instaurare pugnam ita coeperunt ut « ipsum Jesuitarum nomen jam esset militaris clamoris loco »[1].

Anno 1845, cum a publico Lucernensis civitatis consilio Nostri ut eo se conferrent invitati essent, metuens Pater Roothaan ne magis inde exacerbarentur animi adversariorum, civium non prius admisit preces quam jussus a Gregorio XVI esset, monente videlicet fore ut, si recusassent Nostri, ea censeretur ipsi pagorum (cantonum) libertati illata injuria. Quare inflammati ira, qui radicales dicebantur, 13 Martio 1844, cum armatorum decem milibus civitatem aggredi conati sunt. At, Deo Beataeque Virgini confisi, Lucernensis civitatis Catholici, fortitudine plane mira pugnantes, victoriam retulerunt. Quorum dux, Josephus Leu, militum suorum octo milia ad civitatem Einsiedelensem misit, peregrinatione sacra Beatae Virgini de relata victoria gratias acturos. Die autem ejusdem anni 20 Julio, vir ille fortissimus, noctu decumbens, perfide occisus est; pridie quippe ejus diei Jesuitae Lucernam advenerant. Nec diu ibi stare potuerunt. Etsi enim societatem inierant pagi Catholici, cui nomen Sonderbund (1847), bello tamen deinceps ita victi sunt, ut una cum ipsis libertas occubuerit. Tum vero violata sunt templa, suppressa monasteria pleraque, impugnati passim Catholici [2]. Anno 1848 Jesuitae fugere coacti sunt. Friburgense autem Collegium expilatum ac dirutum. Ipsa quoque Patrum sepulcra aperta eorumque ossa dissipata sunt. Naturalis historiae thesaurus, qui ex universae Europae praeclarissimis erat, Junioris Helvetiae libidini jam derelictus, in publica via proculcatus est.

Eodem tempore in *Gallia* quoque diffidere Jesuitis coeperunt magis in dies. Nec dubium quin e condicto factum id fuerit; imo consiliis omnibus ita contra Societatem conspiratum ubique est, ut existimari aliquamdiu potuerit, denuo instare ejusdem saeculo XIX suppressionem. Ipso Regis onomastico die festo, 1 Majo

[1] * Cf. *Hist. dom.*, ut supra.

[2] R. Ballerini, S. J., *Le prime pagine del Pontificato di P. Pio IX* (opera postuma). Roma, 1909, cap. XVI-XVII. — * *Roothaan.* 2, III, fol. 45-50. Piccolomini, *Analekten über das Pensionat und Kollegium der Jesuiten in der Schweiz.* Regensburg, 1843. — Siegwart-Müller, *Der Kampf zwischen Recht und Gewalt in der Schweizerischen Eidgenossenschaft*, Altdorf, 1864. — Crétineau-Joly, *Histoire du Sonderbund*, 2 vols, Paris, 1850. — Esseiva, *Fribourg, la Suisse et le Sonderbund*, Fribourg, 1882.

1843, magnae auctoritatis vir quidam in aula regia, cui nomen Tuilleries, recentem Jesuitarum « conjurationem » evulgavit. Periculo sane plena res erat; at contigit feliciter ut adstaret quaedam ad aulam matrona, quae isti se interfuisse conjurationi diceret, lotariae nimirum, quam hodie vocant, cujus emolumenta egenis Sacrae Familiae membris obvenirent; « ac per ejusmodi quidem occasionem », haec illa facete, « trecentis ferme familiis obtigit ut alia ollam alia cacabum sorte acciperet ». Quo dicto, quae erat anxia prius aulicorum exspectatio, mox desiit in cachinnos. Attamen in diario, cui nomen *Journal des Débats*, aggressi sunt Patrem de Ravignan, tanquam qui rerum pristinarum studio maxime omnium ferri diceretur: « Quid tuae mihi virtutes, aiebant, si pestem mihi affers »? Cui calumniae cum bene res succederet, ipsoque tempore periculum crearetur, Pater de Ravignan, quippe qui evocatus a Guizot tertium jam fuisset, urgere horam sensit ut se suamque Societatem ab adversariorum oppugnationibus defenderet. Qua de re, ineunte anno 1844, in publicum vulgavit notissimum illum libellum *De l'existence et de l'institut des Jésuites*, quo quae esset Societas aperuit, proponendo ejus *indolem ac mentem*, ex Sancti Ignatii *Exercitiorum Spiritualium* libello depromptam; obedientiam quoque Societatis, ejusdem porro ad animarum salutem adlaborandi rationem ac doctrinam. Quod in summam gloriam venit opusculum, ac major etiam ei facta auctoritas est, addita a viro, qui regni administer antea fuerat, de Vatimesnil, appendice *Mémoire sur l'état légal en France des associations religieuses non autorisées;* quo quidem scripto ille ostendit, abrogatas jam esse leges, quae contra Ordines religiosos latae antea fuissent. Pater Roothaan gratulatus est scriptori de libello, cujus ipso anno 1844 divendita sunt exemplarium 25.000.

Societatis in Gallia adversarii multi erant, verum strenui etiam magno numero patroni. Patri de Ravignan commissum a Patre Roothaan est, ut ipsius nomine gratiae agerentur egregiis illis viris, Dupanloup, de Vatimesnil, de Montalembert [1], de Barthélemy, Beugnot, Berryer, qui fortiter auxilio Nostris omnes fuerant.

Conatus tamen interea a gubernio Gallico adhibiti Romae sunt

[1] Hic in senatu pro Societate concionem ter habuit. Cui gratias agens Pater Roothaan, 21 Majo 1844, haec scripsit: « Qui isto modo verba feceris, eo quidem in loco atque coram iis collegis, quorum nimium quantum tum praejudicatas

ut Domus nostrae clauderentur. Quo quidem fine Parisiis Romam missus est Peregrinus Rossi, rem istam cum Gregorio XVI confecturus. Qui cum infecta re a Pontifice recederet, ad Patrem Roothaan se convertit. Hic porro, auctore Pontifice, 14 Junio 1845, litteras ad Praepositos Provinciarum Franciae et Lugdunensis dedit, quibus *consuluit* ut quae Parisiis, Lugduni, Avenione Domus nostrae erant, minuerentur numero vel etiam occluderentur. Quod consilium a Praeposito Generali, 21 Junio, extensum est ad Domos nonnullas ampliores, imprimis quidem ad Collegium S. Acholei et ad Novitiatus duos. In Gallia vero cum Jesuitarum eorumque qui ipsis favebant mens esset plane diversa, ac praeterea cum rem consulendo tantum proposuisset Praepositus Generalis, Pater Rubillon, consilia cum Patre Roothaan collaturus, Romam profectus est.

Rebus autem ita habentibus, postquam petitione prorsus excidit Peregrinus Rossi, dumque Jesuitae Praeposito suo respondere ipsi parant, subito, 6 Julii 1845, diario publico *Le Moniteur* allatus est hic nuntius: A' regio gubernio acceptas esse Roma litteras. Quae res tractanda Domino Rossi fuisset, eam feliciter successisse. Futurum ut Congregatio Jesuitarum in Gallia esse desinat, ipsamque sua sponte dissolutam iri. Fore quippe ut ejus Domus occludantur, dispergantur Novitiatus. Etsi ea quidem fraus erat, quam Peregrinus Rossi, negotium a se infeliciter actum celaturus, adornasset, rem tamen ita habere constanter affirmavit Guizot. Quem continuo certiorem Patres fecerunt, se aliud facturos nihil praeterquam quod Praepositus ipsos jussisset. Mense autem Septembri cum Domus, de quibus agebatur, incolarum numero diminutae vel etiam solutae essent, destiterunt ab insectando qui de Societate sequius loquebantur [1].

Dum eo igitur modo nostrae in Gallia res, saltem specie tenus, ad pacem componebantur, in *Italia* tamen publica Statuum conditio nostrorumque securitas deteriorem in dies fortunam nactae sunt. Jam inde ab anno 1846 in finem vergente, imminens praevideri potuit civilium rerum subversio. Libere consilia sua patra-

opiniones tum hostiles animos noveris, oportet profecto habeas intimo animo descriptam hanc Apostoli sententiam: non erubesco Evangelium ».

[1] * *Roothaan*, 2, III, fol. 50 ss. — De Ponlevoy, *Vie du R. P. de Ravignan*, Paris, 1862, Tom. I, cap. 11-12.

bant Mazzini quique cum eo erant; atque ipsam *alteram suppressionem* Jesuitarum futuram vaticinatus erat Gioberti [1]. Quo ad seditionem movendam aptius plebs disponeretur, jam popularibus plausibus atque acclamatione utebantur rerum novarum molitores. Hac enim ratione concurrens plebs opportunitatem iis dedit sua seditiosa consilia disseminandi. Ita quidem Taurini factum Carolo Alberto, ita quoque Tusciae Duci Principi Regique Neapolitano. At istis artibus usi imprimis Romae sunt, ubi Pium IX clamorosis laudibus quasi saturarunt [2]. Sic igitur dum variis in regnis petebatur, quod denegare nisi aegerrime principes non poterant, ut nimirum alia reformarentur et concederentur alia, mox civilis quae dicitur constitutio quocumque inducta est.

Neque tamen iis rebus contenti homines manebant, verum etiam rogatum passim est, ut projicerentur Jesuitae, quippe qui reipublicae prosperis rebus obsistere, atque ut plurimum humanae societatis quasi pestis esse dicerentur. Quae scilicet declamationes multorumque contra nostrum Ordinem inimicitiae in causa fuerunt cur Pater Roothaan, 1 Januario 1847, novam ad suos Encyclicam epistolam daret, *De temporum nostrorum acerbitate et studio perfectionis*, in qua:

« *Spiritus mendacii* [3], inquit, calamo innumerabilium scriptorum effusus, per ora omnium fere populorum ita versatur, ut jam dominari plane mundo videatur, et plebium animos contra Societatem nostram ita excitare, ut nihil jam sit non modo tam iniquum, tam nefarium, sed etiam nihil tam absurdum tamque incredibile, quod, ubi de nobis rebusque nostris dicatur, non et credibile, et veri simile, immo et verissime dictum apud plurimos, summos, infimos, habeatur. Non libri modo et libelli, majore quam umquam alias numero, fabulis ignominiosissimis referti, omnibus fere linguis circumferuntur et passim avidissime lectitantur; sed innumerabiles ephemerides quotidianis calumniis plenae, pro horum temporum effreni scribendi legendique licentia, in omnium manibus versantur, omnium oculis usurpantur, omnium mentes occupant, in circulis, in conventibus, in officinis omnis generis

[1] *Gesuita mod.*, Tom. II, cap. I, p. 43.

[2] Quae quam parum accepta Pontifici fuerint, vide R. Ballerini, S. J., *Le prime pagine del Pontificato di Papa Pio IX*, Roma, 1909, cap. XX.

[3] *3 Reg.*, XXII, 23.

sparguntur quotidie; ut timeri possit ne aliquando pluribus locis, quod alicubi accidisse dolentes meminimus, plebes caecae et illusae, in nos tanquam in humani generis hostes, tanquam in horrenda inferni monstra, in homines publica abominatione et execratione dignos, aliquando impetu facto insano furore desaeviant. Omnino in Societatis cymbam intumescit mare, feri fluctus assurgunt eamque operiunt undique, vix non fatiscimus sub tanta tempestate, naufragium certe tam tetra procella minari videtur in dies. Neque enim est quod nostra pericula verbis dissimulem, Patres Fratresque carissimi, cum detrimenta jam non levia passi simus variis in locis, iis etiam in regionibus in quibus minus videbatur tale aliquid exspectandum; et nisi Deus avertat, majora merito timemus; unde non raro consilii inopes, nullum humanum reperientes remedium, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum [1], tanto quidem fidentius coeleste praesidium implorantes, quanto minus opis suppetit in humanis ».

Tum filios suos, calamitatibus pressos, solatus. Pater Roothaan iis piorum hominum constantem favorem ostendit. Pii IX propensam in Socios voluntatem, Missionum longinquarum successum; praecipue vero commonstrat beatitudinem illam, quae in persecutionibus pro Christo sustinendis consistat; tum vero, intentum prosecutus, sanctus ille vir:

« Quae cum ita sint, inquit, ista mundi in Societatem odia et contumelias in nostrum nomen jactatas, merito insignem gloriam esse reputabimus, et praemium, coronam, qua vel in hac ipsa mortali vita nihil majus, nihil pretiosius, nihil optabilius cogitari potest » [2].

Atque ea quidem sentire necesse erat ingenuos Ignatii discipulos, ut, quae jam exsurgeret procella, sustinere possent. Postea enim quam, anno 1845, Gioberti sua in publicum edidit *Prolegomeni*, contumelioso deinde libello *Il Gesuita moderno* ad bellum Societati inferendum plebes evocavit. Quo quidem scripto non solum ingrati contra Jesuitas animi notam ipse sibi inussit, quippe qui Patrum patrocinio olim usus fuisset, verum etiam multa asserebat quibus, cum falsa essent ac mendacia, contra historicam rerum fidem offendebat. At, quod disertus libellus iste, plebeisque

[1] *2 Par.*, XX, 12.
[2] *Epist. Gen.*, Vol. II, p. 457 ss.

ingeniis accommodatus erat, suo, qui exspectabatur, effectu destitutus haud mansit. Quam late patebat ab Alpibus ad Aetnam regio, insonantes ubique clamores audires: tollendos esse Jesuitas! Erumpente igitur passim eversione rerum, passim expulsi Jesuitae sunt. Neapoli quidem ludibrio per urbem transvecti sunt Melitam. In Pedemontio tam saeva expellentium rabies intumuit ut obsistere ipse debuerit Gioberti. Pari modo habiti sunt Nostri in ditione Veneta. Romae vero, exeunte Aprili 1848, habitatoribus vacua jacebant Patrum Domus [1]. Qui in Italia erant Jesuitae aufugerunt in Galliam, Angliam, Americam Septemptrionalem aliasque regiones. Martio mense anni 1848 instructionem filiis suis Pater Roothaan exhibuit concinnam, ac sapientia paternoque amore plenissimam, qua quidem edoceret, quibus illi modis suas sibi lucri facerent aerumnas. Ipse vero, ejusdem mensis die 28, comitibus Patre Philippo de Villefort et Fratre Coadjutore Cypriano Trigos, ex Urbe excessit, annos amplius duos in exsilio peracturus.

Qui, animo sane tristissimus, navem Massiliam conscendit. In itinere autem, cum e regione civitatis Genuensis constitisset navis, ductori succlamatum a littore est: Jesuitas vehis: istos in mare projice! Massiliae moras trahenti Patri Roothaan nuntii adlati sunt parum prosperi. Etenim jam in *Austria* quoque civili rerum perturbatione ejecti Socii erant. Graecii quidem, cum domum invasisset concitata hominum multitudo, in Sacellum confugerunt Patres: ubi male tractati atque caesi haud dubio fuissent, nisi forinsecus succurrissent auxilio. Loco tamen Patres cedere coacti sunt. Lincii unum solum annum Nostri egerant. Qui, consilio accepto, Aprili mense anni 1848, ultro dispersi sunt. Eorum autem Domus, quae Maximiliani Archiducis erat propria, diligenter custodita est. Oeniponti, quippe qui locus in mediis Tyrolorum finibus situs esset, difficilius effici potuit ut expellerentur Patres. Aestivo tamen tempore, in Galliam et Belgium abierunt Scholastici; quos eo etiam e Patribus aliqui secuti sunt: reliqui vero vel Missionum laboribus se dederunt, vel in Americam Septemptrionalem, Australiam aliasque regiones migrarunt. Soli 8 Patres cum Fratribus Coadjutoribus 6, ejusdem anni mense Septembri, Oeniponti reliqui erant. Qui ad diem usque 26 Septembrem Domos nostras occuparunt; quo die

[1] * *Hist. dom. Prov. Romanae*, 1847-1848.

decretum expulsionis, cui 7 Majo 1848 Imperator compulsus subscripserat, recitatum iis est, ipsique e nostro Templo, gymnasio, simulque Collegio Theresiano et convictu civili excedere coacti sunt. Remanserunt tamen ii, qui Domum Nicolai, quae dicebatur, incolebant [1].

Quod decretum 7 Maji 1848 ad ipsam quoque Galicianam Provinciam pertinuisse intelligitur. Erat vero gravissima legenti res, quod, in ipsa sua calamitate, contumelia afficiebantur miseri. Pronuntiabatur quidem decreto:

« Penes Jesuitas esse culpam turbarum omnium; eos, de sententia quidem hominum prudentia doctrinaque pollentium, fini suo consequendo impares esse; ceterum aliis modis quantum satis provisum jam esse juventutis institutioni religiosae ac litterariae; supervacuos igitur Jesuitas esse, ideoque decretum ut Jesuitae quilibet aut, e suo Ordine egressi, ad clerum saecularem accenserentur, aut, si id facere recusassent, ex universo regno expellerentur » [2].

Dissoluta proinde sunt omnia Provinciae Galicianae Collegia et Domus. At enim, quemadmodum, quae in Helvetia excitata persecutio erat, insignia commoda Germaniae attulit, quippe ubi populares missiones ante id tempus nusquam adeo effloruissent, ita jam Galiciae quoque Patres uberrimam in missionibus Silesiae Borussicae, Borussiae Occidentalis, ducatusque Posnanensis operam collocare inceperunt. At, primoribus Poloniae viris domum pro Patribus in loco Obra condentibus, Borussii e contra eos inde mox ejecerunt. Verum curarunt Poloni ut in locum Srem ad Vartam Patres migrarent [3].

Dum igitur exsul Pater Roothaan, Provincias complures perlustrans, suos ubique filios solabatur, seditiosorum hominum furor paulatim residebat. In Gallia quidem, qui perspicaciores erant, cum intellexissent quanto respublica periculo objecta fuisset propter perversam juventutis doctrinam, mox, Constitutione, quae dicitur, anni 1848, ac lege lata a Falloux, eo sunt eluctati ut libera tribueretur institutionis procurandae facultas; qua ad conditionem flo-

[1] (P. v. Bülow, S. J.), *Gedenkblätter aus der Oest.-Ungarischen Provinz S. J.*, Kalksburg, 1901, p. 19 ss. Pro ms. typis excusum.

[2] Ibid., p. 28-29.

[3] P. St. Zalenski, *Historia Soc. Jesu in Polonia*, 1555-1905, Tom. V, cap. XVI-XIX (Polonice).

rentissimam evecta sunt nostra Gallorum Collegia [1]. In Italia quoque, ad sua Nostri reduces Collegia, nulla ostentatione, ut antea suam iis operam impenderunt. Franciscus Josephus etiam Imperator cum in Austria Societatem instaurasset, aperta paulatim Collegia sunt. Adeoque propemodum restituta passim erat quies ac tranquillitas.

Ipse vero Pater Roothaan, Aprili mense anni 1850, Romam rediit. Qui cum annos illos mediis turbis peractos tres, Societatisque, quae tunc erat, conditionem circumspiceret, denuo encyclicis litteris filios suos edocendos ratus, 10 Octobri 1851, *De spe ex praeteritis calamitatibus concepta* epistolam scripsit, primum quidem destinatam ad Italiam tantum, sed aliis etiam Provinciis postmodum communicatam. Laetabundus igitur suos ille certiores facit, qua ratione Pius IX, cui gratias pro more egerit de Petro Claver ad sacros Beatorum honores evecto, inter alia complura, haec ipsi dixerit: « Illud Societati Jesu cum Ecclesia commune esse, ut doloris et gaudii vicissitudines experiatur, et cursum suum medias inter procellas et tempestates teneat et prosequatur ». Dicit deinde Pater Roothaan, id fuisse divinum consilium ut persecutione Societas probata emendaretur; necdum tamen satis emendatos omnes esse; quos ideo cohortetur ne diutius differant. Longe tamen maximam partem Societatem talem ipse videt, qualem eam esse Deus O. M. cupiat. Ait enim:

« Interea tempestas sedata est, idque longe celerius quam sperari humano modo poterat. Non expletis duobus annis, quasi miraculo in plerasque Domus nostras, quas vi compulsi deserere debueramus, remigravimus; iterumque, qui post horrendum cataclysmum superstites fuimus, convenimus. Et quod magis mirandum, vehementer desideramur, etiam atque etiam requirimur, in illis quoque locis ubi paulo ante ipsum nomen nostrum implacabili odio et execrationi esse videbatur. Verum enimvero unum cum tantis causis consolationis et gaudii in Domino, quid videmus?.... Video et observo, non sine exultantis animi gaudio, non paucos Nostros, qui sicuti ante ultimas has calamitates optimo erant in Societate exemplo, homines quales vult, imo quales S. Ignatius

[1] C. DE ROCHEMONTEIX, S. J., *Les Congrégations religieuses non reconnues en France*, 1789-1881, Tom. I, p. 165 ss.

formatos in Societate homines esse debere praesumit, *homines vere spirituales, vere humiles et prudentes in Domino;* et sicuti diebus procellosis tales permanserunt, suae nempe vocationis semper memores, omni studio, quantum per temporum adjuncta licuit, in promovendo duplici Societatis fine, propriae scilicet et proximorum sanctificationi, intenti, ita et nunc iidem sunt et manent *gaudium et corona nostra in Domino* »[1].

Interea vero putandum non est, omni invidia ac persecutione liberatam eo tempore Societatem esse. Etenim inter medios hostes passim vitam agi, Nostri identidem senserunt. In *Hispania* quidem, anno 1854, suppressum est Collegium Loyolaeum; cujus incolae Majorcam aliosque in locos se receperunt. Facta, Julio mense anni 1854, rerum civilium perturbatione, gubernia in civitatibus Provinciarum principibus constituta sunt, quae, dum summa ubique jura per fas et nefas occupabant, Nostrorum Vallissoletanam, Burgensem, Selvensem Residentias haud plura disjecerunt[2].

In *Gallia* autem cum, quae per legem Falloux concessa libera facultas erat, eam ferre quidam homines non possent, quibusdam quasi terminis circumscripta est, qui tamen ipsi iterum, una cum imperialis regni casu, sublati sunt.

Sed neque in *Belgio*, medio saeculo proxime superiori, suae Societati deerant a liberali, quod dicebatur, ministerio numerosae vexationes.

Futurum tamen erat ut in pejus res omnes ruerent. In *Italia* enim novae persecutionis quasi praenuntii jam apparebant. Florentiae quippe incusabantur Nostri, quasi regni quietem disturbarent Ducisque Principis impedirent regimen. Immo vero ad ipsum Landucci administrum delata res est. Quo autem anno 1859 exarsit bellum, tum demum et Societatem palam persequi inceperunt. Primum quidem Provincia Taurinensis Venetaeque Provinciae pars ea, quae ad Longobardiam pertinebat, disjecta est. Prioris quidem Provinciae remanente parte quadam minima, pars ejusdem longe major dispersa est ad alias Societatis Provincias 15, Americanasque Californiae Missiones. Provinciae porro Venetae dempta per idem tempus sunt Collegia Mutinense et Regiense. Quo etiam tem-

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 28 ss.

[2] Zarandona, S. J., *Hist. de la extinción y restablecimiento de la Comp. de Jesús*, Madrid, 1890. Suppl. III, IV, V.

pore in universa Tuscia Jesuitae haud plures tribus erant. In Septemtrionali autem Italia rem ita gerentibus Cavour et Victorio Emmanuele, Gallorum illis quidem auxilio fretis, haud aliis modis in partibus meridionalibus versatus est liberi exercitus iste dux Garibaldi. Qui, vixdum Sicilia Neapolique potitus, 17 Junio 1860, duobus articulis decrevit ut e regno utriusque Siciliae expellerentur Jesuitae omnes, eorumque in publicum bona addicerentur. Saevis plane atque crudelibus modis procuratum, ut exsecutioni decretum mandaretur. Neapolitanae Provinciae Socii omnes dispersi sunt atque in decem aliis Societatis Provinciis hospitio recepti. Fuit quoque Siculae Provinciae fortuna eadem; cujus in universam Europam atque in Missionem insularum Maris Aegei distributi sunt Socii [1].

Quae quo animo videret bonus ille Pater Petrus Beckx, intellectu difficile haud est. Die autem 24 Octobri 1860 dignas ille querelas detulit ad regem Victorium Emmanuelem; descriptis quippe rebus nostris in Italia tristissimis, deque nefaria nobis illata vi vehementer conquestus:

« A bello inde Italico, inquit, quod fuit anno proxime superiori gestum, ad hunc usque diem, Collegia vel Domus Societati perierunt: in Longobardia *tria*, in ducatu Mutinensi *sex*, in regiis provinciis *undecim*, in regno Neapolitano *undeviginti*, in Sicilia *quindecim*. Societati ubique erepta sunt bona mobilia et immobilia. Socii numero 1500, e domibus civitatibusque expulsi, tanquam scelerati homines ab una ditione in aliam deducti sunt, in vincula publica conjecti, omnibusque modis male tractati, conviciis ac ludibriis affecti. Atque eo etiam inimici processerunt ut, quem amicorum aliqua pia familia indulgere refugii locum voluisset, eum Nostri ne subirent obstiterint isti, saepe nulla ne minima quidem sive provectae eorum aetatis sive virium debilitatis ac morbi ratione habita ».

« Quae scelera omnia in eos patrarunt, quos nullius legis violatae conscios ostendere potuerint; atque prorsus indicta causa patrarunt, nulla admissa aut excusatione aut defensione, verum arbitrario planeque legibus vetiti ea perfecerunt ».

[1] P. Bottalla, *Hist. de la révolution de 1860 en Sicile*, éd. franç. par M. J. Gavard, 2 vols, Bruxelles, 1861; vid. Vol. I, cap. XVI-XVII.

« Praeterea vero, silentes equidem nos injurias ejusmodi tulissemus, si excaecata plebs atque concitata, facto tumultu, res istas patrasset; at enim nefanda facinora isti legitima ostendere conantur, nixi scilicet Sardiniae legum jure; quod Mutinae, quod in Statibus Pontificiis ad tempus regimen constitutum fuit, atque ipse utriusque Siciliae dictator ad auctoritatem regiminis Sardiniae provocant; injustis istiusmodi decretis vim ac pondus addituri, eorumque esse legitimam exsecutionem ostensuri, hodiedum etiam, ut antea, Vestrae Majestatis invocant nomen. Absit enimvero ut ego, dum iniqua ejusmodi patrantur, diutius conticendum, neque potius meam Praepositi Generali contra injurias istas attollendam vocem esse putem. Timendum quippe ne, si in dolore nostro gravissimo patienter subjecti essemus atque tranquilli, id animi imbecillitati videretur tribuendum, quasi vero nos aut in culpa esse aut nostris cedere juribus confiteremur ».

Iterum denique reclamando Pater Beckx suas se dicit querelas quasi sepulcro imponere Caroli Emmanuelis IV, qui ipsius Victorii Emmanuelis in regno decessor fuit, quique relicto throno, inter Nostros se recepisset, moriturus, Societatis ille et vestem indutus et obstrictus votis; quique in Romano Tirocinio illam ipsam tenuisset vivendi rationem, quam ipsum modo Victorii Emmanuelis regimen tam invidiosis calumniis pertinacique insectatione opprimeret [1].

Quae gravissima epistola Patris Beckx utrum Victorium Emmanuelem commoverit, id quidem haud liquet. Unum profecto constat, ab eo nimirum factum esse nihil, quo illatam injuriam compensaret.

Anno deinde 1864, de futuris rebus male ominatus Pater Beckx, suosque encyclicis missis litteris conatus solari, simul tamen iis quae minitando impenderent mala, ostendit atque iterum ut fervida prece Deum exorent hortatur. In illa enim epistola *Ad Patres et Fratres Societatis, Quo spiritu praesentis temporis tribulationes sint perferendae,* haec scribit:

« Precationis vim atque usum neque carcer, neque exilium, neque gladius, neque aliud quidpiam intercipere potest vel impedire. Quin adeo quo minor nobis nostrique instituti ministeriis atque

[1] Verstraeten, *S.* J., *Leven van Pater Beckx*, p. 316.

sacris industriis est relicta libertas, eo demissius ac fidentius coelestem petere ac impetrare opem possumus et debemus ». Cujus orationis necessitatem repetitis vicibus inculcans:

« *Oportet*, inquit, *semper orare et non deficere* [1]; quod .... Redemptor noster ingruentibus periculis adversariique tentationibus eo diligentius praestari jussit his verbis: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* » [2].

Gratias etiam agens, quod, tanta Nostrorum caritate, suis exsules doloribus levati fuerint:

« Permagnum enim, inquit, Sociorum numerum suis e Provinciis ejectum aliae benigne atque liberaliter receperunt, pro quo quidem hac epistola iis earumque imprimis Praepositis ac Superioribus omnibus, universae Societatis nomine, gratias quas possum amplissimas persolvo ».

Sed ipse quoque Pater Beckx caritatis quam maxime fraternae praeclarum exemplum praebuit. Ea quidem amoris intimi significatione Siculos Patres excepit, ut ex illis unus scribens haec pronuntiaverit:

« Intimis quidem animis commoti eramus, videntes quam liberaliter ille nos exciperet, quam amanter suas nobis impenderet curas, quam vere insigni benevolentia affectuque tenerrimo Pater Generalis advenientes nos prosequeretur.... Neque ulla verba, quibus illi gratias ageremus, invenire valebamus, hoc unum inter nos continuo dicentes: Haud sane tanta cum caritate tractatum nos iri exspectabamus. Tum demum equidem intelleximus, qualis ille esset ingenuus S. Ignatii spiritus » [3].

[1] *Luc. XVIII*, 1, 3.
[2] *Marc. XIV*, 38.
[3] VERSTRAETEN, S. J., l. c., p. 320 s.

Atque insigni reapse caritate inter se usi sunt Societatis filii. Nominandae hoc loco imprimis sunt Provinciae Galliae, quae repetitis quidem vicibus multos numero Socios suis Domibus exceperunt:

1° Anno 1820, multi e Russia Patres eo se receperunt (Vivier S. J., *Catal.* 1819-1827, Praefatio, p. 33).

2° Anno 1848, exceperunt Scholasticos Patresque Provinciarum Neapolitanae, Romanae, Taurinensis, Venetae; Patres etiam et Scholasticos ex Austria, Galicia, Germania. In una quippe Lugdunensis Provincia, eorum qui eo se receperant numerus ad 300, in Provincia Franciae ad 150 evectus est.

3° Anno 1860, excepti iterum sunt ex omnibus Italiae Provinciis Patres et Scholastici, qui Lavallii, Lugduni, Valsii domicilia habuerunt.

4° Anno 1868, ex Hispaniae Provinciis Patres et Scholastici recepti sunt:

Verum etiam alia adducta ratione Pater Beckx, illis suis litteris, Societatem solatus est, Nostros quippe commonefaciendo, quibus modis Deus providus ipsa persecutione commodis nostris consuleret. Ait enim: Hoc « equidem, Societatem hanc nostram per orbem dispersam tanquam e loco editiore circumspectans, saepe sum cum admiratione contemplatus. Quotiens enim Socii una e regione sunt exturbati, in aliis pluribus postulantur, in easque vix adventantes potentem Dei gratiam suis conatibus opitulantem, atque impedimenta omnia divinae gloriae propagandae submoventem experiuntur. Quae sane fuit inde ab Ecclesiae primordiis divinae providentiae ratio, ut per occasionem proscriptionum et cladium Christi nomen ex una in alias regiones conveheretur, ejusque regni fines latius in dies producerentur ».

Tum vero, sancta laetitia quasi exsultans, Pater Beckx haec dicendo sermonem absolvit:

« Diligit ergo nos Deus amore simili ei quo sponsam suam Ecclesiam a principio complexus fovere ac prosequi nunquam destitit. At amore nos diligit paterno, cujus est ita demulcere filios, ut identidem blandimentis amoris severitatem admisceat. Deprimit proinde nos, ne superbia elati in nobis gloriemur, quod non expedit nobis, idemque rursus nos erigit, ut in ipso gloriemur, qui egenum de pulvere suscitat » [1].

Quae dum scribebat Pater Beckx, jam novae procellae prima signa denuo apparere inceperunt, nec longum futurum tempus ante erat quam saeva iterum tempestas erumperet. In ditione quippe Veneta per quietem compositae res omnes erant, cum ecce, anno

Castellani quidem in Provinciis Franciae et Campaniae, Aragonenses autem in Provinciis Lugdunensi et Tolosana.

5° Anno 1873, quae erat Patris Armand de Ponlevoy, Praepositi Provinciae Franciae, paratissima caritas, ex Austria Philosophiae auditores, simul cum Tironibus Provinciarum Venetae et Romanae, consistere potuerunt in loco *Les Alleux*, qui est prope a Lavallio.

Quo etiam tempore aliae Provinciae, quamquam non tanto illae numero, Provinciarum, quae dispersae fuerant, Socios hospitio suis Domibus exceperunt; ita Provincia Neerlandica, anno 1860, Scholasticos Siculos; anno 1872, Germanos.

Magna laude Patres Romani loquuntur de caritate exhibita in Anglia, 1870-1871. Et ita porro usque ad tempora nostra, quibus Sodales Lusitani ut fidei confessores ubique cum plausu et intima caritate recepti sunt, praesertim in Germaniae Provincia et a patribus Romanis in Brasiliensi Missione.

[1] *Epist. Gen.*, III, p. 102 ss.

1866, Austriam inter et Borussiam bellum exarsit. Praelio autem prope Sadovam fractis Austriacorum viribus, copiae Italorum, quamquam prope Custozzam cladem accepere, tamen vi pacti foederis regionem Venetam adeptae sunt. Neque est cur dicamus, mox expulsos ac dispersos Jesuitas esse. Qui maximam partem quidem in Tiroliam et Dalmatiam se receperunt, reliqui vero distributi sunt in Provincias nostras 14. Tum denique erant Italiae Provinciae, praeter Romanam, dispersae omnes [1].

Jam fuerunt *Hispaniae* quoque Provinciae novis aerumnis sua iterum vice probandae. Nam, quemadmodum reperimus scriptum, Congregationibus Provincialibus anni 1868 feliciter absolutis, congregatisque Patribus in sua domicilia reducibus, Septembri ineunte rem publicam gravioribus per totam Hispaniam perturbationibus brevi eversum iri ferebant. Provinciae Castellanae Praepositus, imminentem procellam deprecaturus, novendiales in honorem SS. Cordis Jesu preces, Sacra, B. Virginis coronas et Communiones indixit, ut qui mari et ventis imperat, mitissimus Jesus, misericordia motus, sin minus tranquillitatem magnam fieri vellet, naviculae saltem suae clavum ipse tenere dignaretur. Nec spes fefellit, nam ne unus quidem e Nostris fuit, qui, etsi alicubi gravissimis periculis circumfusus, illaesus tamen Deo favente non evaserit. — Erupit quidem civilis rerum eversio, seditiosique homines, plures e nostris Domibus aggressi, ut earum incolae dispergerentur compulerunt. Sed tandem sedatis aliquantulum animis et primo rebellionis furore represso, supremum pro tempore Matriti constitutum est gubernium, cui provinciarum coetus (junta) tandem aliquando se subjecerunt. Respirarunt aliquantulum Nostri; diuturna vero spes non fuit. Gubernium enim recens constitutum, nedum reprimeret quae in Ecclesiam, in Sacerdotes aut Religiosos et Sanctimoniales pro lubitu statuerant rebelles provinciarum coetus, novam et luctuosiorem persecutionem adoriri non puduit.

Primum omnium in nostram Societatem a ministro, quem gratiae et justitiae vocant, fuit latum decretum, quod latine fideliter redditum, (sunt haec ipsius annalium scriptoris verba), partim huc juvat apponere:

[1] L. Mazza, S. J., *Della vita e delle virtù del Padre Francesco Altini, d. C. d. G.*, Venezia, 1912, p. 82, ss. 94 ss.

« Auctoritate qua fungor, inquit minister, pro ea potestate quae ad me, gubernii ad tempus constituti collegam, spectat, de illius unanimi consensu atque ut ejusdem ad Gratiam et Justitiam minister abolendum decerno in tota peninsula eique adjacentibus insulis, regularem Ordinem Societatem Jesu nuncupatam, cujus omnia Collegia et instituta post trium dierum spatium debent dissolvi, cunctaque illorum bona occupari.... Bonorum occupatio complectitur omnia Ordinis bona, tam mobilia quam immobilia, aedificia, reditus, quae in commune nationis aerarium congerentur.... Extinctae Societatis Sodales non poterunt iterum in coetum vel communitatem convenire, aut Ordinis vestibus indui, aut quovis demum pacto Societatis Superioribus subjacere, sive in Hispania sive extra illam commorentur: omnes vero qui nondum fuerint Sacris Ordinibus initiati civili atque ordinariae jurisdictioni quoad omnia subjecti in posterum existent » [1].

Quo decreto de Societate Hispanica jacta alea erat. Provinciae Castellana et Aragonensis in Gallia hospitio receptae sunt. Aragonensis enim Provinciae Scholastici in studiorum Domus se receperunt, quae erant Provinciarum Lugdunensis et Tolosanae; Castellani vero a Provinciis Franciae et Campaniae sunt excepti. Castellana praeterea Provincia Domum emit in regione quae *Landes* dicitur; eo, mense Junio 1869, Novitii concesserunt et Scholastici. Quo etiam tempore Provincia haec e munificentia piae alicujus familiae in eadem regione Domum accepit, quae ad Tertium Probationis annum est destinata. Septembri deinde mense anni 1870, Theologiae auditorum pars Salmanticam se contulerunt, studiorum labori porro operam daturi. Provinciarum autem insignem constantiam bene vertens Deus, magnum iis adolescentium submisit numerum, ut in ipsis aerumnis laetum sociorum augmentum acciperent.

Haud tamen eadem, anno 1870, fortuna *Romanae* Provinciae fuit, quae tantam eo tempore accepit cladem, ut tristissimos rei effectus etiam hodiedum experiatur. Vixdum enim Pedemontani, ad Portam Piam diruto muro, Urbem intrarant, cum non in Pontificem solum sed simul etiam in regulares atque Jesuitas saevire inhiabant. Verum etiam tunc expectare novum regimen coactum

[1] * *Prov. Castell. ad an. 1868. Hist. Dom.*

est. Negotium enim transigi non poterat consilio a legibus decernendis non audito. Quod tamen postea nil aliud fecit quam ut ferret in Provincia Romana leges, jam antea in Italiae regno latas: scilicet 7 Julio 1866; 15 Augusto 1867; 29 Julio 1868 [1].

Ideoque, dum ad ima abjecti Galliae, Italiae universae, Hispaniae Socii vitam agebant, continuo inter metum et spem ancipites haerebat Romanae ditionis Societas. Erat autem eorum tenuissima spes, quippe quibus nullo non die impenderet instantis ejectionis periculum. In istis igitur tristissimis rerum adjunctis, die 1 Novembri 1871, suam Pater Beckx ad Socios scripsit encyclicam epistolam *De ratione moderandae vitae et de causis solacii in calamitatibus Ecclesiae et Societatis;* in qua quidem epistola: « Vix ulla aetas, inquit, ab ipso Societatis ortu hac nostra infelix magis et aerumnosa fuisse videtur ». Tum vero, posteaquam moestus Ecclesiae calamitates commemoravit, sermonem jam prosecutus:

« Hisce publicis, inquit, moeroris et luctus causis privatae succedunt et domesticae, quae nos eo afficiunt dolore, qui congruit amori quo Societatem complectimur: Jesu Societatem, inquam, qua in hoc mundo nihil secundum Ecclesiam potest nobis esse carius, nihil optatius; unde in nos tam multa profluxerunt et quotidie profluunt bona; quae nos curis prope infinitis in omnem sanctitatem atque in aeternae beatitudinis spem alit et fovet. Hujus mihi cura divino consilio commissa illud efficit, ut singulorum vulnera et afflictiones tanquam proprias persentiam totiusque Societatis casibus gravissime afficiar. *Doleo, fratres,* vere dicam cum Cypriano, *doleo vobiscum .... cum singulis pectus meum copulo, moeroris et funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo.... Immunis et liber a persecutionis incursu esse non potest animus, quia in prostratis fratribus me prostravit affectus* [2]. Etenim quaenam est jam Societatis conditio? Quaenam, prope dixerim, ejus pars aut a praesenti calamitate immunis aut futurae persecutionis timore soluta? Hactenus quidem hic Romae, singulari Dei beneficio quod SS. Jesu Cordi acceptum referimus, e nostris Domibus exturbati non sumus, sed ne exturbemur merito timendum in dies est. Extra Romam vero, in tota Italia praesertim, in Hispania aliisque in locis, nostis, Pa-

[1] *Civiltà Catt.*, Ser. VIII, vol. IX (an. 1873), p. 220.
[2] *Liber de Lapsis*, cap. IV.

tres Fratresque in Christo carissimi, quo in statu res sint; nostis, inquam, florentissimas Provincias funditus disjectas; nostis Collegia, Convictus, Templa, cura et ministerio orbata Nostrorum, atque in alios usus conversa, vel certe novis possessoribus concessa; nostis bona direpta, nostis Patres et Fratres nostros in remotis Provinciis exsulantes, aut quod non minus est dolendum, in dispersione sive apud suos sive apud extraneos viventes. Quod si in aliis Europae Provinciis ad hunc perturbationis gradum res nostrae nondum sunt deductae, lamentari tamen debemus fere ubique Societatem vix tolerari, contumeliis et calumniis omnis generis passim dilacerari et multis de causis in suis ministeriis non parum impediri ».

« Quid autem de Galliae Provinciis dicam, quae prius belli teterrimi deinde saeviora civilis discordiae damna pertulerunt, ut non modo penuriam, direptiones, contumelias, exilium, carceres, sed et nonnullorum e suis crudelissimam caedem tolerarint? Possumne sine lacrimis commemorare quinque illos Provinciae Franciae Patres, multis sane nominibus illustres, multis mihi carissimos et de Societate nostra optime meritos, quos labente Majo perditissimi homines, dura prius captivitate vexatos scelerata tandem occisione interfecerunt? Quorum sanguine tam gloriose fuso utinam calamitates nostrae fines habuissent! Verum et in Gallia neque animi deferbuisse neque incendia ita videntur esse sopita, ut securos in posterum esse nos liceat. In Italia autem, maxime in ditione Romana, fortasse nonnisi initia malorum vidimus et quousque gliscentes flammae processurae sint ignoramus. Quin immo si calumnias et omnis generis dicteria, quae quotidie in liberculis atque ephemeridibus divulgantur et nefandis imaginibus ad ludibrium publice exponuntur, si haec et similia perspicimus, si denique in tota Europa micantes scintillas et prope irrumpentes in ignem et vastitatem spectamus, incerta quadam et multo molestissima ingruentium majorum calamitatum exspectatione, merito sollicitos et in angustias adductos nos esse nemo prudens mirabitur » [1].

Quae autem exspectando metuebat Pater Beckx, eventu completa brevi sunt. Neque enim diu dilatum, quod in Italia exspectabant, alicujus praecipuae nationis persequendi exemplum. Vix non

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 192 ss.

eodem scilicet tempore expulsa est tum e Germaniae regno tum ex Italia Societas. Multam quippe, qui in Germania erant Socii, animabus juvandis operam collocarant. In memoriam reduxisse satis fuerit, quos, Germaniam vix ingressi (1848-1852), popularibus Missionibus collectos salutares fructus sedulo deinde ad maturitatem adducere, egregio illi quidem successu, conati erant; commemorare etiam licet Collegia, Residentias, studiorum Domus, unde numerosa librorum maxime utilium series per fines Germanicos, atque extra illos, longe lateque sparsa fuerat. Utroque etiam bello, annis 1866 et 1870 gesto, inter ipsas acies demonstrarant Nostri, quibus quantisque virtutibus praestare valeret Christiana proximorum dilectio. Verum enimvero fuit hoc ipsum Ecclesiae Ordinumque religiosorum, ac Jesuitarum imprimis, scelus, quod nimium florerent. Neque enim pronuntiare veritus est Dr. Aemilius Richter, concedenda Ecclesiae libertate, anno 1848, Trojanum equum receptum moenibus fuisse; nec Friedberg intentatum quidquam reliquit, quo in suspicionem Ecclesiam adduceret. Qui cum aliis multis jamdudum censebant « ad traditiones Borussicas » esse redeundum; dum Dove in hos insanos clamores erupit: « Domita Lutetia Parisiorum, Vaticanum etiam domabimus »!

Ac reapse, vixdum e Gallica acie excesserant, vel etiam ipsi pugnae loco tum insistebant, cum de Jesuitis expellendis consilia ceperunt. Die certe 5 Augusto 1870, diarium publicum, cui nomen « Göttinger Zeitung », in haec verba statuit: « Gallos primum, tum Jesuitas ». Posteaquam igitur victoria reportata atque proclamatum Versaliis imperium est, quae res utraque etiam per Catholicorum virtutem bellicam stetit, mox, anno 1871, vexandi initium factum. Contra Jesuitas imprimis legem condere festinarunt. Ad quod quo aptius disponerentur hominum animi, viam capessere scribendo Bluntschli debuit. Agitata deinde res est libellis supplicibus, quibus ii nimirum subscripserunt, qui Jesuitam nullum unquam vidissent. Quibus Catholici ad defendendam Societatem opposuerunt suorum ipsi libellorum supplicum 2000. Pius IX quoque, una cum universo Germaniae episcopatu, Jesuitarum laudarunt scientiam, virtutem, diligentem animarum curam, caritatis officia inter ipsas acies militibus exhibita [1]. Civium quoque foedus,

[1] N. Siegfried, *Actenstücke betreffend den Preus. Kulturkampf*, Freib. Br. 1882, n. 48-49.

quod « Centrum » dicitur, Jesuitarum causam egit. At irrita ceciderunt omnia. Legi, quae 14 Junio 1872 in imperii comitiis adversus Jesuitas lata est, jam 4 Julio subscripsit Imperator. Ejus autem praecipua capita haec erant: § 1.ª « Ordo Societatis Jesu, quique eidem affines sunt Ordines atque Ordinibus similes Congregationes, e ditione imperii Germanici excluduntor. Eorumdem instituta (Niederlässungen) erigi vetantor. Quae modo exsistunt instituta, intra certum temporis spatium, a Consilio Foederato definiendum, neque ultra sex menses extendendum, dissolvuntor ». Legis § 2ª decretum est, advenas Ordinis posse ex imperii ditione exterminari, ipsis autem Germanis interdici ne certis locis consisterent. Die deinde 10 Octobri abrogata Jesuitis sunt sacerdotalia opera quaelibet; ac 3 Majo 1873 a Concilio Foederato definitum, ad Ordines Jesuitis affines accensendos esse Redemptoristas, Lazaristas, Patres a S. Spiritu, Societatem SS. Cordis Jesu. Egregie nimirum res Ordinis illius callens Consilium Foederatum! Patria igitur excedentes Jesuitae Germani, magnam partem in Neerlandiam, Angliam, Americam se receperunt, opera ibi sua suis e legibus continuaturi [1]. Qui ad hunc usque diem, quippe cum Jesuiticos coetus a ditione Germanica prohibere adversarii contumaciter pergant, e vero dicuntur exsules vitam degere. Ea ipsum Deum quasi lacessente injustitia, atque ingrati animi scelere isto ad tristitiam vehementer commotus, Pater Beckx suis eam Sociis denuntiavit, missa, 10 Octobri 1872, encyclica epistola *De novis tribulationibus et de solatio ex beatificatione Beati Petri Fabri percipiendo;* in qua:

« Nostis, inquit, quam inique atque aspere nobiscum actum fuerit in Provincia Germaniae. Ibi nimirum, postquam fratres nostri domi forisque, sine cujuspiam offensione aut querela, pro salute animarum per viginti solidos annos impigre desudassent, dumque recens adhuc erat memoria laborum, quos cum vitae discrimine imo et jactura, in expeditionibus, in castris, in nosocomiis ea caritate animique constantia sustinuerant, ut ab ipsis militiae ducibus regnique ministris publicam referrent laudem, haec ipsa eorum in rempublicam praeclara merita, quae in nostrae Societatis et religionis Catholicae commendationem cedere debebant, adeo haereticorum aliorumque sectariorum excitarunt invidiam ut in suis

[1] Ibidem.

conventiculis Nostrorum interitum per fas et nefas procuraturos sese juraverint, et tandem in novi imperii comitiis eorum machinationibus iniquissima sancita sit lex, qua Nostri ex suis domiciliis exturbarentur. Neque hoc sat esse visum est inimicis nostri Ordinis, at praeterea (quod in historia persecutionum perraro accidit) non modo a concionibus et publica sacrorum ministeriorum celebratione, sed ab excipiendis fidelium confessionibus, immo a privata SS. Eucharistiae oblatione aliquibus in locis nostri Sacerdotes abstinere coacti sunt.... Ne vero quis dubitare posset quin fratres nostri immerentes oppressi fuerint, ipsi effecerunt persecutores, qui in publicis comitiis nullam adversus Nostros validam accusationem afferre potuerunt, quin imo neque causae nostrae cognitionem ad juris normam institui permiserunt, licet Catholici omnes et Protestantium non pauci id palam et instanter in imperii comitiis petiissent. Adeo nempe alte ipsis adversariis insederat persuasio, praeter religionis odium, nullam esse causam ob quam damnare nos et opprimere valerent » [1].

Quibus litteris, facta quoque mentione persecutionis, qua e *Guatemala* expulsi Nostri erant, eam tamen praecipue Pater Beckx expilationem ac vexationem commonstrat, cujus in ipsa *Roma* factum fuerat initium. Primum quidem legitimis possessoribus ereptae sunt nostrae Domus ex ordine omnes. A Novitiatu enim *Sancti Andreae* exorsi, cujus tot nominibus veneranda erat memoria, quippe ubi angelicae vitae finem beata morte fecisset Stanislaus Kostka; aggressi deinde sunt *Sancti Eusebii* Domum Tertiae Probationis; tum *Sancti Vitalis;* Domum quoque Professam, *Sancto Jesu Nomini* dicatam, in qua degerat mortuusque erat Sanctus Ignatius, atque celebratae sunt Congregationes Generales 22; tum denique *Collegium Romanum*, in quo jam Suaresius praelegerat, atque, ex universo Catholico orbe convenientes, auditores praecepta virorum egregie doctorum avidi excipere solebant. Quae fuit maxima injuria, at non sine solatio, cum ipse Christus olim haud melius habitus sit, immo crudelius in Eum saevitum fuerit; atque ejusdem etiam in terris Vicarius. Pius IX, jam dudum sacrilego ausu terris suis omnibus spoliatus [2].

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 225 ss.
[2] VERSTRAETEN, S. J., *Leven van den Hoogeerw. Pater P. Beckx*, p. 356 ss.

Quam quidem ipsam adversarii intentis animis spectabant, reliquum jam erat ut inferrent cladem omnium gravissimam. Contra religiosos quippe Ordines, qua re praeiverat in Germanica ditione Bismarck, Novembri mense 1872 Romae lata lex est; cui subscriptum cum esset 19 Junio 1873, die ejusdem mensis 25 promulgari jam coeperat. Decretum, ut intra trium mensium spatium suas in Urbe Domos Religiosi relinquerent omnes, nisi quod articulo primo statuta est exceptio haec: Unicuique Ordini sive Congregationi, cujus Generalis Praepositus vel Procurator esset Romae, unam reservari Domum ei posse, qui Ordinis negotia cum S. Sede tractaret: a qua tamen ipsa exceptione exceptus iterum erat Jesuitarum Praepositus Generalis sive Procurator. Qui fuit tristissimus profecto Patri Beckx exhibitus honos. Annos igitur natus ille 78. die 27 Octobri 1873, e nostra Jesu Salvatoris Domo excessit, suos primum cohortatus ut digni persisterent Ignatii Patris filii, ac proinde ubicumque terrarum, constanter adhaerentes vexillo Jesu. ad majorem Dei gloriam omnia peragerent: « Communem cum Ecclesia Christi, sic tandem ille, fortunam habet Jesu Societas. At vero, quod ipsum nunc ad vestrum ego solatium testor, ne minima quidem hujus rei in Societate culpa est: *Beati estis cum persecuti vos fuerint* ». Patres plerique per Italiam dispersi remanserunt. Alii vero ad Brasiliae Missionem profecti sunt.

Die nono post quam Roma profectus erat, Praepositus Generalis, missis encyclicis litteris *De Societate in Urbe et ditione Romana omnibus suis bonis spoliata*, omnibus per universum orbem filiis suis, quae iterum nobis evenissent mala, enuntiavit. Qui, Ecclesiarum Domorumque nobis ereptarum facto censu, sic ait:

« Ad avertendam hanc cladem, praesertim a Domo Professorum et a Collegio Romano, exterorum principum patrocinium invocare non dubitavimus. Ex ministrorum autem responsis spes aliqua, maxime pro Collegio Romano, cujus conservatio exterarum nationum vehementer interesse debebat, affulgere videbatur. Verum Deo ob fines sanctissimos ita permittente ac disponente, ab hominibus plane derelicti, novo hoc experimento didicimus quam verum sit illud Psaltae effatum: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus* [1]. Igitur Templa nostra et domi-

[1] *Psalm. CXLV, 2.*

cilia, sacerrimis tot Sanctorum memoriis insignia, qui vitam et mortem ibi sanctissime obierunt, die ipso Sanctis omnibus sacro relinquere necesse fuit. Patres autem et Fratres, prout res ferebat, hac illac dispersi asylum sibi quaerere coacti sunt. Quoniam vero, in communi adversus Societatem persecutione, adversarii nostri impiis suis ephemeridibus ac libellis incautae plebis odium praecipue contra Praepositum Generalem excitare non cessarunt, a Patribus judicatum est, ipsum in praesenti Romae tuto remanere non posse. Unde explorata Beatissimi Patris sententia, ipsoque approbante et suadente, die 30 Octobris, Roma Florentiam profectus sum, ubi cum PP. Assistentibus, si aliunde nihil obstabit, interea subsistere intendo, exspectans quid Deus labente tempore sit indicaturus ».

« Dum tristissimum hunc nuntium vobiscum communico, Reverendi Patres et Fratres carissimi, ex dolore quem vos ipsi pro vestro in Societatem amore sentitis, facile metiri poteritis quali et quanto doloris sensu animus meus affligatur. Doleo ex una parte infaustam conditionem, ad quem tot Patres et Fratres, et maxime qui senio et infirmitate laborant, redacti sunt; ex altera vero parte praevideo, imo jam sentio molestias et obstacula quae in Societatis gubernatione necessario occurrent. Super haec autem obversantur mihi gravissima damna, quae cum in Societatem nostram, tum in permultos Christi fideles ex hac tribulatione enasci possunt. Haec, inquam, et alia multa dispersionis adjuncta, quae singulatim enumerare non vacat, magno cor nostrum dolore ac timore percellunt. Verum in solo hoc doloris affectu persistere nobis minime licet: sursum erigere corda necesse est ad Dominum nostrum. Pater est, qui filios ad emendationem castigat; ipse nobiscum est in tribulatione quam permisit et faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere et consolari eos qui nobiscum sunt in eadem tribulatione » [1].

Posteaquam dies aliquot Florentiae degit Pater Beckx, hospitio receptus a familia Comitum Ricasoli, 9 Novembri ad S. Hieronymi Faesulas se contulit, unde Societatem ad annum usque 1884 gubernavit, cum regimen detulit ad Patrem Anderledy, qui suam deinceps Praepositi Generalis vitam totam Faesulis peregit. In quo

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 233 ss.

exsilio ipse quoque Pater Martin aliquantum tempus ponere coactus, die tandem 13 Januario 1893 Romam rediit. Annos ergo amplius 21 Faesulana sedes nostra regiminis permansit.

Tum denique annorum aliquot Societati fere quietum temporis spatium fuit. Verum ut solet longo tempore opus esse, ante quam maris fluctus vehementi procella commoti plene conquiescant, ita suis quasi momentis librata Societas jam non erat. Dum enim in aliquibus regionibus Jesuitae pauci valde aut omnino nulli erant, in aliis iterum numero sufficienti suppetebant, sed quibus ob tristissima rerum adjuncta conveniens nobis opera vix ulla reperiri posset. Subsequentibus tamen annis, in nonnullis quidem regionibus, ut in Italia et in Hispania, restituta fere aequa Societatis conditio est. Quamquam ab integro resumendae res omnes erant, factum tamen ut paulatim, qui solebat esse, laborum nostrorum cursus denuo obtineret, ac vel nonnullam prosperitatem in ipsa Roma nanciscerentur conatus Nostrorum, ad majorem Dei gloriam adhibiti. At vero fieri nullo unquam tempore poterit ut res, quarum jacturam Societas, annis 1870-1873, Romae fecit, memoria interlabantur. Pontificibus quippe praesidibus ac patronis, per annos 330 conservata ibi religiosissime fuerant, quaecumque ad nascentis Societatis nostrae memoriam pertinerent; ibi Pontificiae in nos munificentiae monumenta conspiciebantur, quae omnia Societati erepta fuere. Dominus dedit, Dominus abstulit! Sit nomen Domini benedictum! Quod autem diximus, restitutam paulatim fere aequam Societatis conditionem ubique factam esse, in sola Germanica ditione non ita habuit, quippe ubi, per annos amplius 40, legi contra Jesuitas decretae pertinaciter steterint. Is igitur honor obtigit Societatis Provinciae Germanicae ut inter graviores persecutiones duas ipsa continuum quasi transitum constitueret. Locus quippe hic est initia jam referre vexationis illius, qua in ditione Galliae per annos amplius 20 (1880-1901) Societas exagitabatur.

Usque ad annum 1880 respublica, quippe quod ipsius deceret nomen, libertatem religioni atque ipsi etiam Societati satis bonam indulserat, ut, quo tempore cessit potestas Imperatoris, nostrae quoque libertatis impedimenta nonnulla evanuerint. Verum fieri vix potuit ut, dum hominum indifferentia, irreligiositas atque ipsum religionis odium augmenta continua facerent, ipsius etiam Ecclesiae nostraeque Societatis libertas in dies magis invisa iisdem non

evaderet. Ad reipublicae igitur praesidium vixdum electus erat Julius Grévy, cum consilii publici praefecturam Leoni Gambetta commisit. Qui mox suum adversus Ecclesiam certamen hac quasi belli tessera iniit: « Clericalismus (ut ajebat), ipse est inimicus! ». Cum praeterea publicae instructionis administer factus esset Julius Ferry, « Reipublicae plaustrum, inquit Ludovicus Veuillot, viis plane coenosis suum ad atheismum arripuit iter »[1]. Die 16 Martio 1879 subito auditus est nuntius, latas a Julio Ferry Ecclesiae contrarias leges duas de instructione. Id armorum initium fuit. Facta autem est in comitiis concertatio vehemens, quippe cum praecipue regulares, qui dicebantur, omnes atque imprimis ipsi Jesuitae impeterentur. Articulus denique VII rejectus a senatu est hic: « Ne quis partem in instructione sive publica sive libera habeat, neve moderetur instituto generis cujuslibet, si ad religiosam Congregationem pertineat, cui facta a gubernio non sit exsistendi potestas ». Sed illatam sibi a senatu injuriam inultam haud dimisit gubernium, quippe cum regimine non excederet, quod e consuetudine tamen fuisset, verum 29 Martio 1880 respondendo ferret decreta duo, quorum unum quidem contra solos Jesuitas, alterum contra Congregationes eas dirigeretur omnes, quibus exsistendi potestas publice facta non esset; ita quidem ut, quae civilis constitutionis viae inhaerendo obtinere non potuisset gubernium, ad ea ipsa pertingeret decretis suis plane legi contrariis et quibus, dictatoriam referendo potestatem, senatus auctoritatem deprimeret. Exorsi quidem decretum, quod erat contra Societatem latum, haec dicebant:

« Inter Congregationes illas, quibus exsistendi potestas publice facta non est, invenitur una quae longe majoris momenti sit, cujusque specialem, quam obtinet, conditionem nemo possit non agnoscere. Societatem Jesu dicimus, quae variis quidem temporibus in Gallia esse vetita est, et contra quam communes omnium hujus nationis hominum sententiae semper sunt pronuntiatae. Neque vero gubernium ullum est, quod ut isti agnoscerentur proponere suis comitiis auderet. Ut autem hodiedum rogetur haec Societas, ut adimpleat ipsa conditiones quae ad publicam agnitionem obtinendam adimpleri debeant, dum tamen plane constet fore ut ea illi

[1] *Univers*, 25 Febr. 1879.

agnitio denegetur, id profecto neque ipsam neque rempublicam decere videatur ».

Tum vero, ipso supprimendae Societatis articulo, sermonem ita prosequuntur:

« Aggregationi sive consociationi illi, publice non agnitae, quae Jesu dicitur, inde ab hoc decreto lato spatium conceditor mensium trium, quibus ipsa dissolvatur institutisque excedat quae in universis reipublicae terris obtinet. Temporis autem spatium istud extenditor ad diem 31 Augustum, pro institutis illis, quibus, consociationis hujus cura, juventuti instructio rei sive litterariae sive scientificae impenditur »[1].

Gubernio nimirum videbatur contumeliosa istiusmodi ejectio *tum Societatem tum ipsum decere.* Decreto autem spatium concessum est mensium trium, quibus, quae Congregationes exsistendi potestatem publice non accepissent, de eadem obtinenda sibi providere possent.

Consilia contulerunt Religiosi omnes, quibus ipsi legitimis mediis contra crudelia decreta pugnarent. Viri omnium maxime juris periti rogaverunt ut auxilio esse liceret viris religiosis. Tum juris interpres ille notissimus, Rousse, consultationem conscripsit celeberrimam, quae tribunalium assessoribus praestantissimis quibusque probata est. Vere miranda ille sermonis claritate atque vi argumentandi ostendit, quantopere justa et aequa esset causa Religiosorum, sua vero potestate quam perverse gubernium uteretur. Suam ipsi etiam Religiosi causam per menses tres cum verbis tum scriptis defenderunt; neque utrorum esset justa causa latere ullum hominem potuit. At, jura quaelibet cum despiceret gubernium, id unum sua defensione obtinere Religiosi valuerunt, ut honore salvo abirent[2].

Nec tamen ad id tempus exspectatum a Jesuitis fuerat quin sibi tectum providerent. Jam enim die post quam subscriptum decreto fuerat, e Provincialibus unus in Angliam ea de causa profectus est. Haec ita scribentis menti, quasi sponte ac vix non necessario, succurrunt infinitae propemodum Superiorum curae, insomnesque noctes, multiplices etiam aerumnae ac vel ipsae lacry-

[1] *Journal officiel*, lundi 29 Mars 1880.

[2] C. DE ROCHEMONTEIX, S. J., *Les Congrégations religieuses non reconnues en France*, Tom. II, Le Caire 1901.

mae, quibus immensus ille labor iis steterit, dum hospitium suis diu ac frustra quaerebant, seniorum quoque adspicientes dolorem juniorumque generosam ac paratam voluntatem atque filiorum suorum omnium intimam animi tristitiam, quippe qui patriam sibi carissimam ad longum tempus relinquere cogerentur, immo eamdem fortassis amplius non essent conspecturi [1].

Provincia Tolosana suos in Hispaniam Scholasticos misit; Residentias autem dispersas in regiones, atque has ipsas iterum, si quid opus, in sectiones distribuit; nonnulli etiam tributi missionarii sunt Missioni Madurensi. Provincia porro Lugdunensis suis Scholasticis et Novitiis in Anglia invenire locum potuit; reliqui autem Socii in ipsa Gallia degebant dispersi. In Angliam similiter Scholasticos suos magnam partem transvexit, reliquos vero in insula Jersey posuit Provincia Franciae; dum Provincia Campaniae, quae Novitiatum sibi in Neerlandia invenerat, in Anglia vero Scholam Apostolicam, Scholasticos suos in Provincia Belgica ac Franciae collocavit.

Ac magnam profecto iis temporibus caritatem, actuosam illam ac devote paratam, experiri Patres nostri potuerunt, qua primaevorum Christianorum memoria renovaretur. Inter se quippe concertabant Socii de honore quem sibi, excipiendis Christi exsulibus ac martyribus, conciliare se putarent. Erat vero ea quasi mutua compensatio quaedam illius caritatis, quam in Gallia Jesuitae olim aliarum Provinciarum exsulibus liberaliter impendissent. At in ipsa quoque Gallia ingens tristitia ac miseratio inter eos erat, qui multorum beneficiorum auctores ductoresque animarum, quique suos ipsi filios, fratres et cognatos in longinquas abire terras viderent, dolorem quippe atque inopiam ibidem inventuros. Quo in genere justissima etiam tristitia erat Adm. Rev. Patris Beckx, qui bonus pater, annos ipse natus ferme 86, filiorum suorum sorte vehementer dolebat. Quod igitur poterat solatium iis adlaturus, ipso festo die S. Francisci Regis, 16 Junio 1881, encyclicam epistolam misit *Ad Patres et Fratres Societatis, De iis quae praestanda sunt in praesenti temporum calamitate.* Suam primum de persecutione ista testatus tristitiam:

[1] Cf. Jean Charruau, *Le R. P. Henri Chambellan, S. J.*, II éd., Paris 1904. J. Burnichon, S. J., *Vie du P. Fr. Gautrelet S. J.*, Paris, 1889, chap. XII-XIII.

« Arcano, inquit, divinae sapientiae consilio in ea incidimus tempora, in quibus infensissimi Dei et Ecclesiae hostes nihil intentatum relinquunt, tum ut sanctissimae religionis dogmata quae vel ad fidem vel ad mores pertinent, tum Ecclesiae Catholicae et Summi Pontificis auctoritatem et jurisdictionem, ac denique in universum omnes Religiosorum Ordines et in primis Societatem nostram, omni qua possunt ope impetere et evertere conentur. Atque ut de nobis tantum hic dicam, quas jam a triginta et amplius annis in plerisque regionibus tribulationes, angustias, vexationes, exsilia, proscriptiones patiamur non est hic locus commemorare, cum vos omnes vel testes ex auditu, vel participes horum omnium fueritis et modo etiam sitis. Ingravescit quotidie magis et latius diffunditur calamitas et persecutio, adeo ut nullus jam locus nullaque ferme orbis terrarum regio ab ea secura remanserit, et quem tandem finem sit habitura, prorsus nesciamus ».

Verum animo non despondet ille plus quam octogenarius pater, Deo quippe confisus, quem ipse brevi adspecturus sit; confisus suis quoque filiis, quorum sibi jamdudum animi nobilitas perspecta sit. Ait enim :

« Sed in tanta rerum perturbatione gentiumque pressura, erecto et alacri animo nos esse oportet, omnem sollicitudinem nostram reponentes in Christo Jesu Domino Nostro, qui *faciet cum tentatione proventum* [1]... Non sine magna animi mei laetitia accepi, generatim omnes sese non degeneres Societatis et S. P. Ignatii filios in amplectenda cruce praestitisse, *gaudentes pro nomine Jesu contumeliam* et persecutionem *pati* [2]. Cum itaque omnes videam in hac re bene animatos, nihil modo addendum arbitror, nisi ut divinae bonitati pro tanto munere iterum iterumque gratias referam et vobis omnibus ad haec constanter ferenda novos stimulos adjiciam » [3].

Qui posteaquam de juniorum institutione nervose dixit, quam, quo difficiliora obtineant tempora, constanti soliditate magis praestare necesse sit [4], suos ut in labore durent hortatur, neve ulla ratione animum deficere sinant.

[1] I *Cor.*, X, 13.
[2] *Act.*, V, 41.
[3] *Epist. Gen.*, Tom. III, p, 268-269.
[4] Ibid., p. 270 ss.

« Ita enim, inquit, in medio persecutionum aestu sese excitabat Paulus Apostolus. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus* »[1].

« Qui vero ardet animarum zelo, infinitas propemodum vias, rationes, industrias, occasiones captat, ut eis subveniat. Primi nostri Patres jussu Apostolicae Sedis in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Indiam missi, cum nulla adhuc haberent aedificia ac Templa suis usibus accommodata, uberem tamen messem et fructum copiosissimum ubique retulerunt. Possumus itaque et nos in alienis Ecclesiis de consensu Episcoporum et Curionum Sacramenta ministrare, conciones habere; possumus Exercitia Spiritualia tradere et pueros rudemque plebem Christianae fidei praeceptis et rudimentis imbuere; possumus sacras expeditiones suscipere et circuire vicos et castella praedicantes *Evangelium regni;* possumus qua privatis qua publicis colloquiis et exhortationibus omne hominum genus, divites, pauperes, juvenes, senes a daemonum stipendiis ad Christiana signa traducere, vel pravis falsisque opinionibus imbutis evangelicae veritatis lumen ostendere, aliosque e coeno vitiorum emersos et ab improborum pestilenti consortio avulsos ad bonam frugem convertere. Hae sunt partes nostrae, haec munera. Patres Fratresque carissimi, secundum finem quem sibi proposuit Societas. Cum satis multi adsint operarii nostri, qui hoc potissimum dispersionis tempore aliis occupationibus in Collegiis, in scholis, in lectionibus non detinentur, cur non se totos in procuratione aeternae salutis proximorum devoveant? »[2].

Quae Patris Beckx salutaria monita Nostri exsecuti sunt fidelitate summa. Nam, cum ad alienas manus nostra Templa devenissent, cerneres Patres domo mane egressos, ad aliorum Ecclesias se conferre, ibique Sacrum facere, pueros ibi, cum facultas dabatur, Christiana doctrina erudire, aliis quem minus acceptum laborem haberent e manibus quasi surripere, poenitentibus parum exultis praesto esse; tum ad hospitia se conferre in orphanotrophiis et xenodochiis sacram doctrinam tradere. Haec suis exoptabat munia Pater Beckx, tanquam quae Jesu Sociis apprime convenirent. Quae

[1] II *Cor.*, III, 8-9.
[2] Ibid., p. 282 s.

tum eo quidem tempore facta sunt, tum hodiedum etiam fieri pergunt, in illis praecipue regionibus ac civitatibus, ubi, quoniam Societati una cum libertate etiam Templa sunt erepta, ipsa dispersa vivere cogitur. Ea igitur ratione multam operam in Gallia Nostri animabus impenderunt, donec, quae persecutione anni 1880 nostris rebus conditio facta fuerat, in meliorem fortunam paulatim est mutata. Vel ipsae studiorum Domus vix non omnes in Galliam redierunt, factumque ut nostris ipsi Collegiis denuo moderaremur. Sua nimirum vi destituta jam erant decreta mensis Martii.

Neque etiam ejus rei ignarum gubernium erat. Verum decreta ista premere quid attineret? Iis quippe condendis mediocris opera praestita fuerat, fortioribusque remediis uti adversarii jam parabant. Tum vero et comitiis fidere plus poterant. Die igitur 14 Novembri 1899, de consociationibus legem gubernium tulit. Eorum mox perspectum consilium est, ut religiosos scilicet Ordines omnes vel Congregationes aut e republica expellerent, aut viribus debilitatos frangerent. Nos equidem cogitando vix assequi possumus, eam aliquando reapse fuisse mentem Waldeck-Rousseau administri, ut tandem ullis Religiosorum Ordinibus faceret exsistendi potestatem In ea vero sententia multo etiam minus eum fuisse, qui exsecutioni legem mandaret, Combes administrum, ex ipsis, quas gessit, rebus plane liquido postmodum constare unicuique potuit. Haud sane est cur dicamus, a Catholicis deputatis, qui dicuntur, aliisque nonnullis omnes conatus adhibitos esse, quibus ostenderent quam esset iniqua lex ista [1]. Norunt etiam omnes, in utrisque comitiis intercedentes auditos esse non modo Catholicos viros, verum etiam eos magno numero, qui, nihil ipsi religionem curantes, sed libertatis solius principia sectantes, legem recusarent. Cujus quidem rei, quorum tanta dicendi vi propugnabant jura, Religiosi gratam animi memoriam perpetuo iis servabunt [2]. Ipse etiam attollens vocem Leo XIII, missa 29 Junio 1901 epistola ad Superiores Ordinum religiosorum:

« Improbamus, inquit, summopere leges istiusmodi, quae juri tum naturali tum evangelico adversentur.... juri etiam, quod abso-

[1] Cf. DE MUN, *La loi des suspects*. Paris, 1900. — *Lettres d'un abbé a M. Waldeck-Rousseau*. Paris (s. a.). — A. BÉLANGER, S. J., *Les Méconnus*. Paris, 1901.

[2] *Déclaration des Provinciaux de la Comp. de Jésus en France*. *Etudes*. 88 (1901), 864 ss.

lutum Ecclesia habeat, condendi religiosa instituta, quae ejus auctoritati subjecta sint ».

At vero, quod quidem facili conjectura assequi poterat quilibet, irrita omnia ceciderunt. Utrisque comitiis jussa, lex promulgata est 1 Julio 1901. Cujus titulo XIII, qua ratione in Religiosos adhiberetur, his verbis pronuntiatum:

Art. 13: « Ne ulla religiosa Congregatio formator, cui rei hujusce potestas facta non sit per legem aliquam, qua conditiones instituti ejusdem atque operae faciendae determinentur. Ea porro novum institutum ne conditor ullum, nisi lato hac de re decreto Consilii publici (*Conseil d'Etat*). Ut dissolvatur Congregatio vel ut occludatur institutum quodlibet, legitime pronuntiator decreto Consilii ministrorum ».

Art. 14: « Ne quis ad regendum, sive ipse per se sive interposita persona, instructionis institutum, cujuscumque illud generis fuerit, neve ad alios in eodem instruendos admittitor, qui socius ipse sit Congregationis auctoritate publica non approbatae ».

Art. 18: « Quae, quo tempore promulgabitur haec lex, Congregationes exsistent, antea haud approbatae publice vel agnitae, intra menses tres ostendunto in judicio necessariam adhibitam a se curam esse ut legis praescriptis obsecundarent. Quod si ostendere omiserint, ipso jure solutae habentor. Eadem etiam conditio esto Congregationum earum, quibus, ut sint, publice denegata potestas fuerit ».

Eodem die 1 Julio 1901 statutum est a Waldeck-Rousseau, ut potestatis obtinendae petitioni adjungerentur haec: Constitutionum Congregationis exemplaria duo; elenchus unus bonorum mobilium atque redituum; elenchus alter membrorum omnium, addito utroque nomine, civili ac religioso, cujates essent, quot annos nati, unde oriundi, quo tempore Congregationem ingressi. Triduo jam ante quam promulgaretur lex, eamdem ut exsecutioni mandarent commissum est viris, qui ab Ecclesia quam maxime abhorrerent (28 Junio 1901) [1].

Facile intelliges, a Societate petitam facultatem istam non fuisse. Provinciarum quippe Praepositi quatuor, re mature deli-

[1] Documenta omnia typis impressa prostant in *Etudes*, 88 (1901), 262 ss., praecipue, p. 280 ss.

berata collatoque cum Superioribus consilio, suam in publicum ediderunt sententiam, qua declarabant, quibus de causis potestatem petituri non essent. Dicebant autem praecipue haec:

« Nostrae agendi rationis causa unica est in ipsa legis indole ac vi, quam legem ut nos accipiendo quasi sanciamus postulant. Ista enim lege, quae exceptionis revera sit lex, vehementer laeduntur nostra, quae sunt maxime necessaria, jura hominum liberorum, civium, Catholicorum, Religiosorum, ita quidem ut nos ipsos feriendo simul etiam vim lex inferat iis, quae sunt nusquam alienanda jura Ecclesiae. Haec sane illius declarata sunt sermone (Leonis XIII), cujus auctoritatem recusare nemo unus possit. Re enim vera faciendae potestatis (*autorisation*) finis hic est, ut irrevocabiliter Congregationes devinciantur lege exceptionis ista, qua, quae sunt illarum membrorum atque ipsius Ecclesiae maxime necessaria jura violentur; hostilibus quippe animis rogata lex, iisdem etiam exsecutioni mandabitur. Congregationes autem feriens, ad ipsam deinde Ecclesiam lex pertingit. Quod quidem ipsum auctoribus ejus notum simul atque propositum est. Hac porro lege gradum denuo faciunt sui, contra Ecclesiam indicti perpetuoque continuandi, belli. Ecclesiam profecto isti petunt, Congregationes aggrediendo; Ecclesiam vicissim hae defendunt, potestatis accipiendae petitionem recusantes, cujus hic unus sit finis ut, servituti illas subjiciendo, ipsam Ecclesiam sibi servam parent. Ideo nos potestatem istiusmodi petere non possumus »[1].

Jam die 3 Octobri, praeclarae Provincialium proclamationi consentire se testatus est Ill. de Cabrières, Episcopus Montis Pessulani:

« Vos, inquit, multis Christifidelibus, qui animis adhuc haererent ancipites, praestitistis, quo sana mente judicium efformare sibi possint de agendi ratione religiosorum virorum et feminarum, qui sponte sua dispersi in exsilium abierunt.... Supremum quippe vos officium exhibuistis Fratribus vestris Sororibusque, quos procul a patria terra vitam degere coegerunt ».

Consensu proclamationi adhaeserunt deputati, qui dicuntur, aliique viri laici; quorum quidem unus, de Gaillard-Bancel[2], eam dixit esse plane dignam ac strenuam declarationem.

[1] Ibid., p. 864 - 1, 864 - 4.

[2] Die 18 Martio 1901. Jesuitas ille in comitiis praeclara concione defendit; quae typis separatis prodiit Valentiae.

« Nos, inquit, pugnare pergemus.... Armorum autem socios eos omnes habebimus, qui intellexerint, Congregationibus intentatum bellum esse ipsius Ecclesiae indicendi belli initium.... Deus nobis victoriam impertietur » [1].

Quae tamen victoria interim reportata non est; sed, omni rerum futurarum spe in solo Deo collocata, mox Patres e patria exire exsules pararunt. Feliciter contigit ut nonnullae in exteris regionibus conservatae Nostris Domus essent; quare statim in Neerlandiae loco Gemert, in insula Jersey, Angiae in Belgio tectum subire potuerunt. Verum cum abesset multum ut omnibus sufficere Domus istae possent, curandum fuit ut de aliis praeterea provideretur. Multa igitur circumspectione adhibita ac deliberatione in eum compositae statum res sunt, quem etiam hodiedum obtinent: Provinciarum Tolosanae et Campaniae Theologiae auditores Angiam in Belgio, Provinciarum autem Franciae et Lugdunensis in Angliae locum Ore, qui est prope Hastings, se receperunt. Auditores porro Philosophiae Provinciae Tolosanae et Campaniae in Neerlandiae loco Gemert, Franciae et Lugdunensis in insula Jersey commorantur; dumque harum juniores Scholastici Cantuariae, illarum in Belgii loco Florennes sedem habent, Tertiae denique Probationis Domus Provinciarum trium, Franciae, Lugdunensis, Campaniae, condita est Cantuariae; quartae vero, Tolosanae, in loco 's Heeren-Eldren, qui est prope a Tungris Belgarum. Quae tamen partitio atque conjunctio nequaquam ita intelligenda est, quasi Provinciarum Socii ex ista tantum norma per Domos atque Collegia constanter distribuantur, vel ut etiam aliarum Provinciarum Patres Fratresque in iisdem non commorentur; ut enim diversarum Provinciarum Socii eo modo permixti viverent, tempore etiam quieto in Societatis usu ac more semper erat.

Liquet igitur Societatis magnam partem, inde ab illo ad hoc usque tempus, vixisse dispersam, Sociosque multos in exsilio duxisse aetatem. Ac putares quidem his omnibus aerumnis satisfactum fuisse odio adversariorum. Verum enimvero tantummodo quasi sopitum illud sub cinere latebat, paratum quippe opportunitate qualibet data, in flammas denuo erumpere. Cui rei argumento est immanis haec, quae contra *Provinciam Lusitaniae* nuper exarsit persecutio.

[1] *Etudes* (1901), Tom. 89, p. 269-273.

Diximus, suam olim Societati in Lusitania Missionem fuisse, quam annos inter 1829 et 1833 e Gallia Patres, postea vero, aliquanto dumtaxat temporis spatio interjecto, ad annum usque 1880, Socii Itali et Lusitani excoluerunt. Eo autem anno 1880, Lusitana facta est sui juris Provincia brevique tempore praeclare efloruit. Anno deinde 1901, decreto Hintze Ribeiro, Provincia haec adepta est ut, sub nomine consociationis « Fides et Patria » (*Associação Fe e Patria*) e legum jure agnosceretur.

Pridie quippe ejus diei, quo persecutio exarsit, Provincia Lusitaniae Socios numerabat 355: Sacerdotes 150, Scholasticos 93, Coadjutores Temporales 11. Ii omnes impigram animabus navabant operam in Missionibus 3 (Goana, Macaensi, Zambesiana inferiori), in Collegiis duobus (Campolide et San Fiel), in Schola apostolica una et in Residentiis 7. Scholastici nostri plerique tum in aliis Provinciis operam studiis dabant tum in Collegio Barrensi, in quo loco Tirocinium quoque et Domus Tertiae Probationis erant. Periodica praeterea tria curabant, e quibus unum, quo scientias excolebant, nomen habebat *Brotéria*.

Narrant Adm. Rev. Patrem Nostrum, nonnullis ante rerum civilium in Lusitania perturbationem mensibus, die quodam haec dixisse:

« Valde equidem timeo ne brevi tempore nostrarum in Europa Provinciarum aliquam in dispersionem abire videamus. Etenim e Brasilia tam instanter multos Societatis Religiosos, qui auxilio mittantur, exposcunt, ut nisi dispersa aliqua Provincia fuerit, tot numero socios postulantibus satisfieri nequaquam possit »[1]. In commentariis autem diurnis R. Patris A. Cabral, Praepositi Provinciae Lusitaniae, ad diem 9 Julium scripta referuntur haec:

« Advenit R. P. Lombardi, Societatis Missionis Romanae in Brasilia Superior. Is, diu mecum conversatus, ostendit quam esset nobis necessarium ut Bahiae conderemus Domum; qui mirandum in modum, quod petebat, rationibus vindicavit. Tum deinceps consilia diu contuli cum Patre Menezes. Ac reapse magni quidem momenti res est ut Domus ista condatur; qui vero rem efficiant, Religiosos unde habebimus? »[2].

Rem dubiam solutura mox fuit ipsa persecutio. Residentia qui-

[1] *Etudes*, 5 Déc. 1911, p. 632.
[2] Ibid.

dem Quelhas, quae Ulyssipone erat, in angustias redacta prima omnium est, periculo illa quidem maxime exposita, quo tempore nefarii homines Regem interfecerunt atque Barcinone horrendum in modum saevierunt. Junio autem mense 1910, cum ad regimen accessisset de Sousa, mox certis viris ab eo commissum, ut inquirerent utrum illa consociatio « Fides et Patria » e legum jure esset necne. Res Patribus feliciter cessit. Residentiae tamen Ulyssiponensi Quelhas temperatum non est, quippe quae consociationis elencho reapse non referretur, quamquam ad eamdem pertinere eam ignorabat nemo. Secretis igitur consiliis Residentiam persecuti sunt, donec die 4 mensis Octobris promulgatum est decretum de Residentiae abolitione[1]; verum antea etiam quam exsecutioni idem mandari potuit, erupit seditio.

Cujus quidem diei vespere Residentiam nefanda praedonum turba praeterierunt, rati nimirum jam inde profectos esse Patres. Qui ipso die 6, equitum tutela prius usi, vespere in vincula conjiciuntur carceris *Governo Civil*, unde postea ad alterum carcerem, *Limoeiro*, abducti sunt Patres 6 cum Coadjutoribus 3.

Ulyssipone autem Collegium Campolidense jam nocte. quae inter 3 et 4 Octobris diem erat, in periculo versabatur, seditiosorum quippe globulis e media urbe ad Campolide usque pertingentibus. Die 4 Octobri fugam arripuerunt Patres nonnulli, Paiva Couceiro autem, machinis bellicis praefectus, juxta Collegium in ipso colle Campolidensi constitit. Globulis inde ab eo impetiti seditiosi, qui vicissim tormentis bellicis, Collegii turrim impetivere adeo ut ipsum Couceiro ducem recedere compulerint. Collegio dum undique circumfunditur plebecula, aufugiendi opportunitas facta est plusquam 15 Patribus Fratribusque, quorum alii, postquam labores miseriasque innumeras exhauserunt, in Hispaniam pervenerunt, alii tandem in carcerem detrusi sunt. Die 5 Octobri, reliqui Patres, aufugere conati, ad Campolidensem viae ferreae stationem pertigerunt. Verum, eheu, cum impedita rhedarum transvectio esset, id unum iis reliquum fuit ut ad locum Campolide redirent. Ex itinere feliciter contigit ut Praepositus Provinciae, in domum cujusdam sartoris se recipiens, incolumen vitam servare posset. Primus omnium Pater Barros, Campolidensis Collegii Rector, conjectus

[1] De Azevedo, *Proscritos*, Valladolid, 1911, Primiera parte, p. 4.

est in carcerem, qui erat in castris militum ad machinas bellicas ministrantium; quo multi contubernalium paulo post eum consecuti sunt. Praepositus autem Provinciae, Pater Al. Cabral, posteaquam dies sex, a quinto nimirum ad decimum Octobris, latebra occultatus mansit, aegre deinde Lusitaniae fines egressus est.

Die 4 Octobri, insano furore acta plebs expilavit *Val de Rosal*, quod Campolidensis Collegii praedium erat. Cujus incolae, Patres duo totidemque Fratres Adjutores, fuga quidem primum elapsi, sed duo deinde capti, Sacerdos unus, Coadjutor alter, in vincula conjecti sunt.

Eodem quoque die, Residentiae Cetobrigae Domum Templumque compilarunt. Ejus incolae, Patres tres et quatuor Coadjutores, dies aliquot per montana circumerrantes, multas aerumnas exhauserunt, prima feria VI ibidem sacra Communione refecti; tandem omnes capti, carcere conclusi sunt.

Nec meliorem conditionem sortita est magna Barrensis Domus. Cujus Collegii mercenarius aliquis, cum uno e seditiosis rixatus, irae impotens, eum sclopeto interfecit. Quo prætextu Costa usus deinde est, ut vinculis mandari omnes juberet. Erant quippe hujus Domus Socii 91. Die igitur 6 Octobris contra Collegium agi coeptum. Ex una parte pedites, equites ex altera parte totam domum cinxerunt opportunaque loca occuparunt, ut eam vi oppugnarent, si illius incolae, ut ipsi pertimescebant, auderent obsistere. At resistere Patres ne cogitaverunt quidem.

Concessum tamen ut Pater unus cum Fratribus Coadjutoribus aliquot remanerent, SS. Sacramentum consumpturi, sed in carcerem deindi ituri. Felicior Collegii Sancti Fidelis fortuna fuit. Nam omnes ejus incolae Lusitaniae fines transgressi sunt antequam capi potuissent, et ita longa atque aerumnosa emensi itinera, in Hispaniam tandem pervenire potuerunt, ubi magna cum caritate excepti sunt.

Quae a recenti republica, die 8 Octobri, contra Religiosos proclamata lex est, unam statuit exceptionem, Societati nostrae plane honorificam. Dum enim ceteris, ternis habitantibus, ut in Lusitania remanerent concessum est, Jesuitae omnes exsulare jussi sunt ac vetiti in patriam redire; atque iterum, dum ceterorum Regularium bona tantummodo in elenchum publice conscripta sunt, quae ad Jesuitas pertinerent, in publicum addicta sunt universa.

Verum hic ipse Nostrorum, vinculis detentorum, honor atque decus fuit. Eos quippe furens seditiosorum turba, armis ac telis per agros silvasque, quasi ferae essent, insectata fuerat; eos conviciis, contumeliis, vulneribus, omnimodis doloribus affecerat infima plebis multitudo; at quae in carceribus illi pertulerunt, memoriam renovavit earum rerum, quibus victimas suas, gloriosos martyres illos, olim affecerat Pombal. Qui victus suppeditabatur, eum ipsis manibus, cochleari aliove instrumento nullo, aliquando sumere coacti sunt; si naturae necessitate adacti recedere deberent, id iis octava quaque hora concedebatur; vespere autem monebant custodes fore ut, si quis noctu assurgere tentasset, ignito sclopeto glandem in eum immitterent. Immo vero committere alicubi ausi sunt ut impudicas mulieres in carcerem inducerent; quae tamen, ut erat Nostrorum severa virtus et digna plane modestia, infecta re atque confusae abscedere debuerunt. Scribens etiam postea Praepositus Provinciae [1]:

« Insignis, inquit, erat Nostrorum alacritas, uti diversis viis ad me perventum est, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Magnae etiam consolationis pro me fuit plurium e Nostris agendi ratio, in qua magnum erga sanctam vocationem nostram amorem ostenderunt. Fuere Scholastici, quibus impense tum milites praesidii, tum parentes caeterique cognati innuerunt, ut Societatem relinquerent. Responsiones eorum juvenum vere nostrae vocationis dignae fuerunt » [2].

Nec tamen Dei providi defuit suis confessoribus protectio; eorum enim vitam, mediis periculis atque aerumnis, incolumem servari voluit; ipse etiam, sua opitulante gratia, animis eorum vim addidit solatiumque suggessit, ut in vocatione sancta immoti perstiterint ad unum omnes; famae etiam eorum invigilans, cujus tanta iis sit necessitas, qui animarum saluti procurandae se dare voluerint, fecit ut ipsis inimicorum conatibus innocentia Nostrorum splendidius eluceret. Verum etiam temporalium rerum momentis providit ipse qui dixerat: « Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis » [3]. Demum

[1] De Azevedo, *Proscritos*, Valladolid, 1911, Primera parte, ubi haec omnia uberius describuntur.

[2] *Epist. P. Cabral*, 14 Oct. 1910.

[3] *Matth.*, VI, 33.

hoc evenit ut ipse misericors Deus salutem procuraverit aliorum populorum, qui exsulum laboribus nunc jam fruuntur. In Brasilia quippe, quo illi cum ex fuga, tum e carceribus liberati, magnam partem se receperunt, in civitate Bahiensi instituta mox condita sunt duo, Residentia et Collegium. Aliae praeterea Brasiliae civitates plurimae, ex opera Sociorum Lusitanae Provinciae fere 90, ingentia commoda percipiunt. Qui e Macaensi Missione et ex insula Timor expulsi sunt Patres, laborem suum Goanae Missioni impendentes, eam egregiis viribus auxerunt. Quod si addas, Lusitanae Provinciae Novitiatum esse in Belgio rite constitutum, atque Scholasticos, qui studiis dant operam, per aliquot Societatis Collegia distributos, perspicuum sane cuique fuerit, Deum providum miris plane modis adfuisse auxilio servis suis, atque ipsius hujus, quae in Lusitaniae Provinciam erupit, persecutionis historia quasi hymnum divinae Providentiae decantari. Ita quidem ipse hujus Provinciae Praepositus.

Dum igitur paratum ubique exsulibus viam quasi sternebat ipse Deus, odio tamen usque furentes adversarii eos contumeliis atque calumniis persequi contumaces conabantur. Qua de re Rev. Pater Cabral, posteaquam, missa, 5 Novembri 1910, ad universum Lusitaniae populum praeclara epistola, animo magno atque intrepido excitatis contra Nostros calumniis intercessit; protestatus est iterum, die 8 Julio 1911, quam essent ridiculae inimicorum nostrorum novae calumniae, quasi Jesuitarum niterentur auctoritate atque opibus qui seditiosorum in Lusitania regimen evertere conarentur [1].

In Evangelio sane dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum caelorum* [2]. His quippe contenta Societas.

Enimvero qui in caelis est Pater noster Socios nostros, e regione sua in exsilium abeuntes, adspexit. Quos videns, dolore quidem oppressos, verum simul etiam Deo provido confisos e patria terra excedentes, Jesus Christus beatos esse pronuntiavit; de ipsis enim, in monte olim considens, novique regni sui novas promulgans leges: *Beati, inquit, estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos*

[1] *A mon pays, une protestation justifiée*, 5 Nov. 1910; et: *Os Jesuitas e a Contra-revoluçao*, 8 Julio 1910.

[2] *Matth.*, V, 10.

*fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* [1].

At eorum quoque, qui calamitatem istam excitarant, Dominus Deus irrisiones vidit sceleratumque gaudium, quo de Christi Ecclesiaeque servis in exsilium detrusis delectabantur. Vidit consilia quae inibantur ab istis, ut Religiosorum ecclesiastica bona nefario ausu diriperent et legitimas quascumque dirimerent pactiones, atque istis rebus omnibus gerendis eos irriderent, lacesserent, cruciarent, qui pro sacris Ecclesiae legibus strenue decertassent. Verumtamen neque sic etiam dilaniatae victimae suos tortores odio habent, quippe qui Christi malint inhaerere verbo, dicentis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est* [2]. Ideoque Deum supplices orant quotidie ut animo convertantur ipsorum inimici, *qui abstulerunt labores eorum;* orant, inquam, ut dignetur misericors Deus animas eorum, qui damna ipsis extrema intulerunt atque etiamnum inferunt, ab aeterna damnatione eripere; ne videlicet isti, tartarea aliquando obruti miseria, ac sempiternae victimarum suarum felicitati invidentes, exclamare cogantur: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est* [3].

[1] *Matth.*, V, 11-12.
[2] *Matth.*, V, 54-55.
[3] *Sap.*, V, 3 ss.

## CAPUT V.

### Societatis Jesu Missiones exterae

Qui Indiarum, Japoniae, Sinarum, Moluccarum, Paraguariae, Canadae, Ethiopiae, Congi historias Missionum legerit [1], persuasum ille sibi facile habuerit, Societatem Jesu ita semper fuisse Missionariorum Ordinem ut non solum in instituenda juventute verum etiam in disseminanda per exteras regiones fide laborem praecipue collocarit. Erant igitur Societatis, ante annum 1773, insigne decus Missiones magno numero, exhausti in iis labores gravissimi, immanes martyrum cruciatus, ad fidem Christianosque mores traducta hominum multitudo ingens.

Quo sane tempore suppressa est Societas, Missionariorum ejus erant ferme tria millia. Qui, ubicumque res fieri ullo modo potuerat, fidi in statione manserunt. Verum morte paulatim absumebantur Nostri; quique ex aliis religiosis Ordinibus auxilio advenerant Missionarii, propter temporum illorum iniquitatem, sat pauci, laboribus ferendis pares nequaquam erant; ideoque, quamvis instantibus precibus evangelici operarii, aerumnis senioque ipsi confecti, aliorum subsidia implorarent, complures tamen Missiones demum interierunt.

In Russia vero, quae erat Dei profundissima sapientia atque infinita bonitas, communitates retinuit Societas, antiqui moris nostri haud immemor. Schismaticis enim operam navare cum non sineretur, suos ad Russicas colonias, quae advenarum saepius erant, Missionarios misit. Qui ad ripas Volgae inter Germanos Polonosque primum constiterunt; anno quidem circiter 1800 in regione Saratow Missiones excolebant ferme decem, eodemque fere tempore (1804) operam Odessae collocabant. Anno deinde post ad insulas maris Aegei, Tyne et Syra, accesserunt, ubi, qui Societatis olim erant Patres, ad illud usque tempus labori naviter incubuerant [2]; in

[1] * *Litt. ann. Miss. Tenensis et Syrensis usque ad 1834.*

[2] Alex. Brou, S. J., *Les Jésuites Missionaires au XIXe siècle.* Bruxelles, 1908. Quem pretiosum libellum huic capiti, quod est de Missionibus exteris, fundamen-

locum etiam Astrakan pervenerunt anno 1806, atque anno 1810 ad Caucasum. Haec autem initia fuerunt Missionum inter migrantes populos, quae ipsae saeculo XIX successus nactae sunt tam prosperos: in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, in Australia, in Brasilia, in Africa Meridionali.

Vixdum igitur restituta Societas erat, cum ex America, e Sinis, e Syria enixe rogati sunt Patres ut in eas, quas antea excolebant, regiones denuo se conferrent. Atque erat quidem initio exiguus valde Nostrorum numerus; qui tamen quemcumque poterant laborem magnanimi impenderunt. Cavendum vero summopere erat ne nimiis Missionum operibus solida Provinciarum institutio atque conformatio impediretur. Americae sane Missiones sua paulatim augmenta fecerunt. Sed quoniam Praepositus Generalis, Aloysius Fortis, operariorum penuria pressus, Missionum exterarum labori e sententia promovendo par non erat, saepius ille, suorum ardoribus moderari coactus, ut in Collegiis excolendis omnem diligentiam ponerent enixe hortatus est. Qui ad Patrem quidem Drach in Helvetiam, anno 1825, missis litteris:

« Plurimis, inquit, de causis Missiones ad Indos et barbaras gentes vel schismaticas mille difficultatibus impediuntur, et viae ad illas (cum earum tempus nondum advenerit) nobis ubique intercluduntur. Quapropter illud tenendum a Sociis omnibus nostris est, velle Deum certissime nos in Europa, et quidem occupatos totos in hac universali juventutis missione, et debitum nostrum implere, quod Deo vovemus, et intendere vires, ut juvenum animas Deo lucrifaciamus. Cum patebit ad Indos iter, tunc alio modo opus nostrum disponemus » [1].

In eamdem ille sententiam, aliquot mensibus post, ad Patrem Staudinger, Vice-Praepositum Helvetiae, Brigam scribens:

« Nunc temporis enim, inquit, de Indiis adhuc non cogitandum: quia pueri debent esse Indi nostri, in quos effundendus est zelus omnis pro civili, studiosa et praecipue religiosa et catholica educatione » [2].

Cum porro in Hispania quoque antiquas Missiones instaurari

tum posuimus. Cf. etiam F. Rouvier, S. J., *Loin du Pays. Les religieux français et l'influence de la France dans les Missions*, Paris, 1895.

[1] * *Reg. P. Fortis, 21 Febr. 1825, ad P. Drach. V. Prov. Helvetiae.*

[2] * Ibid., *12 Jun. 1825, ad P. Staudinger, Brigae.*

atque e Nostris Missionarios ad transmarinas ditiones mitti cuperent, Pater Fortis, hortando scribens ad Praepositum Provinciae, advertit summam esse Sociorum penuriam, unde fiat ut multae Provinciae oneribus ferendis impares videantur; tum vero: « Procedendo, inquit, firmiter ratum habeamus, nobis hoc tempore vivendum speciali ductu Providentiae divinae, quae nos prodigiosa omnino via incedere nunc jubet. Nostrum est orare, confidere Deo, mutuam exercere caritatem et obedientiam, atque Institutum nostrum perfecte observare. Non ego solus, verum e Superioribus multi mecum quasi digito tangimus, velle Deum nunc gubernare ipsum solum, nobis vero incumbere ut intente observemus signa voluntatis ejus eamque exsequamur » [1].

Interea vero aucta Societas, quo tempore Pater Roothaan regendam eam suscepit, Sodalium numerabat 2000. Qui posteaquam per annos aliquot adolescentis Ordinis vires aestimare potuit, ratus jam opportunum adesse tempus, quo antiquus exterarum Missionum labor denuo assumeretur, 5 Decembri 1833, praeclaram illam epistolam misit *De Missionum exterarum desiderio excitando ac fovendo.* Commonstrando igitur ille Missionarios nostros, qui ante suppressam Societatem erant:

« Insignem, inquit, per duo saecula Deo Domino nostro gloriam et innumeris animabus salutem aeternam pepererunt.... Extant etiam nunc, nec unquam excident zeli eorum praeclara monumenta.... Indiarum tam multa regna, Sinarum Japonumque imperia, Syriae, Aegypti et Aethiopiae regiones, vastissimas utriusque Americae plagas vixdum iis temporibus cognitas, incredibili animi fortitudine libenter adierunt ».

Tum vero, Isaiae verbis [2] deplorata primum clade, qua, suppressa Societate, tot numero Missiones exterae afflictae sunt, mox tamen gavisus, jam denuo ad Societatem supplices tendit manus:

« Ex Americae quidem Statibus Foederatis, inquit, Nostri, qui non exiguo jam numero ibi nec sine magno fructu laborant, novas operas sibi submitti postulant, idque in omnibus fere quas inde ad nos scribunt litteris etiam atque etiam flagitant.... Deinde pauci illi ex Nostris qui ad montem Libanum missi nuper fuerunt, et qui in maris Aegaei insulas, augeri sociorum numerum vehementer

[1] *Ibid., *26 Jun. 1825, ad P. Gordon, Prov. Hispaniae.*
[2] *Is.*, LXIV, 10 ss.

desiderant, cum utrobique et messis multa sit, et periculum imminens ne, ut in America, ita et in illis regionibus, variarum sectarum emissarii incautos ac male sanos populos perfidis artibus occupent et in transversum agant. Praeterea Nostrorum opera postulatur ad varias non Asiae modo, verum et Africae oras, ubi plurima Christianorum millia, Sacerdotum ope destituta, in praesentissimo periculo versantur aeternae salutis amittendae, nec sibi solum amittendae, sed et posteris suis, ubi fidei Catholicae, quae in grave discrimen vocatur, jacturam fecerint. Taceo de Indiis orientalibus, de Sinis aliisque antiquis hujusmodi Missionibus, de quibus pariter a Nostris aliquando instaurandis jam non semel facta nobis mentio fuit ab iis, quibus pro suis in universali Ecclesia muneribus haec cura incumbit ».

Rogat deinde Pater Roothaan ut, qui Missionum in se desideria sentiant, nomen dent; monetque ne Praepositi Provinciales detrimenta suarum Provinciarum extimescant, memores verbi S. Scripturae: *Date et dabitur vobis* [1]. Tum etiam demonstratis dotibus solidaque virtute omnimoda, quibus praestare Missionarios oporteat, filios suos hortatus ut, divinae gratiae cooperantes, suum ipsi animarum zelum exstimulent:

« *Non est abbreviata manus Domini* [2], inquit, et quod olim per hanc suam familiam in gloriam Nominis sui operari dignatus est, id eum etiam his luctuosissimis temporibus effecturum certe confidamus, si modo nostrae vocationis memores, optimique Parentis nostri praeceptis inhaerentes, instrumenta nos apta divinae manui praebuerimus. Sit nobis, quaeso, alte impressa animo gravissima illa et multa consideratione digna sententia, quam Sanctum Patrem nostrum frequenter in ore habuisse non ignoratis: *Paucissimi sunt qui intelligant, quantum Deo volenti in ipsis operari ipsi impedimento sint, quantumque Deus in nobis et per nos effecturus esset, nisi a nobis ipsis impediretur.* O, ergo si nos quotquot sumus divinae manui plane movendos regendosque committeremus! O si quisque saepe illud Christi verbum sibi dictum serio cogitaret: *Si scires donum Dei!* [3]. Heu! quam multa fortasse talenta inoperosa jacent, quam multae gratiae infructuosae! quam multae for-

[1] *Luc.*, VI, 38.
[2] *Is.*, LIX, 1.
[3] *Jo.*, I, 4.

tasse animae non perirent, si omnes *boni aemulatores* essemus! ».

Denique, in memoriam reducta suoque argumento applicata regula nostra Summarii 19, his verbis sermonem absolvens:

« Et quanto, inquit, aliquis se arctius Deo astrinxerit et liberaliorem erga Summam Majestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem experietur » [1].

Evocanti autem Praeposito Generali ita respondit Societas ut erectae Missiones complures fuerint: Bengalensis anno 1834, Madurensis anno 1836; eodem anno in Argentiniam quoque appulerunt Patres, instaurandaeque Missionis Paraguarensis consilia inierunt. Quibus in locis omnibus laboris Patrum, qui prius eos excoluerant, vestigia haud spernenda invenerunt; nec minus ita obtinuit in fundanda Missione Sinensi anno 1840, Canadensi anno 1842, Columbiana anno 1844. Sed et novae erectae Missiones sunt, anno 1837 in insula Jamaica, anno 1840 in Montibus Saxosis, anno 1845 in insula Madagascar.

Quos operarios Episcopi ut plurimum, aliquando ipsi etiam principes rogabant. Anno quidem 1852 Napoleon III Societati Missionem tribuit, quae in regione Guyanensi inter exsules erat [2]; anno deinde 1859 Isabella, Hispaniae Regina, ut *Fernando-Po* et in Philippinas Nostri mitterentur curavit; eos autem pro Indianis, in regione Napensi versantibus, anno 1862 adscivit Garcia Moreno; dum anno 1891 Belgarum Rex, ut ad nigritas Congi mitterentur obtinuit.

Ac plurimum sane Missiones exteras promoverunt, quae in Europa contra Societatem persecutiones excitatae sunt. Turbis in Hispania motis suos, anno 1835 acceptos, Missionarios Argentinia retulit; qui ex Argentinia, anno 1841-1842, expulsi ad Uruguarenses migrarunt. Simili ratione, quo tempore Nostrorum in Pedemontio labores, anno 1851, desierunt, partem illi in Californiam profecti sunt; quique civilium rerum eversionem, Neapoli excitatam, aufugerant Patres, anno 1867 in Novum Mexicum vela fecerunt. Neque aliae in septemtrionalibus regionibus fuerunt rerum vicissitudines. Anno quidem 1847 ex Helvetia pulsi Nostri in Foederatos Americae Status mutarunt sedes; in Austria vero dispersi

[1] *Epist. Gen.*, Ed. alt. Rollarii, 1909, Tom. II, p. 347-365.

[2] Mury, *Les Jésuites à Cayenne. Histoire d'une Mission de 22 ans dans les pénitenciers de la Guyane*, Strasbourg, 1895.

fundandis in Brasilia et in Australia Missionibus dederunt locum. Atrox deinde cum gubernio pugna, quae in Germania « Kulturkampf » dicebatur, in causa fuit cur, anno 1873, Germanicis in India et America Missionibus suppetias iri posset; quemadmodum nostris etiam diebus Lusitana persecutio missioni Brasiliensi insigniter profuit.

Quo tempore Pater Roothaan regendam suscepit Societatem, Nostrorum non erat nisi una proprii nominis, nempe Missouriana, Missio, Patribus paucis in insulis Aegaeis non numeratis [1]; hodiedum vero Societatis universae, in 27 Provinciis, Missiones sunt ferme 40. In quibus porro ejus sunt Episcopi 6, Vicarii Apostolici 6, Praefecti Apostolici 3, dum in aliis locis omnibus Missionarii nostri Ordinariis externis subjecti sunt. Ipsorum autem Missionariorum late dictorum numerus, ineunte anno 1909, ad 3522, ingentem sane numerum, pervenerat; quem numerum continuis augmentis crevisse, hoc quasi conspectu intelliges.

In America Septentrionali [2] ante suppressam Societatem Missio conditionem nacta erat prosperrimam; cujus tamen, restituta Societate, vestigia supererant vix aliqua. Anno autem circiter 1820, Ill. Dubourg, Episcopus Neo-Aurelianensis, cujus jurisdictioni parebat Foederatorum Statuum fere media pars, ut novi operarii auxilio sibi mitterentur ardenter prospectabat. Dum igitur, qui in *Marylandia* Jesuitae ante suppressionem erant, quique, annuente Pio VII, Russiae Sociis, anno 1804, se adjunxerant, suo ipsi labori vix sufficiebant, factum est, ut duo e Belgio Patres candidatos Belgas aliquot in America in Societatem susceperint. Hos jam diximus, cum, rerum inopia pressi, suum in loco Whitemarsh Novitiatum sustinere non possent, ab Ill. Dubourg Missioni inter Indianos condendae addictos fuisse. Qui posteaquam 31 Majo anni 1823 Sanctum Ludovicum advenerunt, mox Florissantii considentes vitam ibi degerunt pauperrimam. At, jam anno 1829, suscepto in civitate Sancti Ludovici Collegio, quae Universitas postmodum facta est, novae singulis annis stationes erigi potuerunt [3]. Utraque autem Missio haec, ut postea etiam Missiones Californiae et Cana-

[1] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 196 ss.

[2] * *Roothaan*, cap. XIII, fol. 197 ss.

[3] Cf. * *Litt. ann.*, supra cit., *Historia et annuae Miss. Missourianae ab anno 1823 ad annum 1834*.

densis [1], ad Provinciarum gradum ex ordine evectae sunt; Neo-Eboracensis autem addita est Provinciae Marylandiae. Quarum, qui ortus atque progressus fuerit, suo loco jam exposuimus.

Iis autem ipsis rebus, ut ad quinque Provincias hae Missiones brevi excreverint, apparet quam egregie fidei praedicatio Patribus successerit. Missionum praecipue inter Indianos constitutarum celebrata est fama [2], neque oblivioni unquam dabuntur nomina Patrum van Quickenborne, de Smet, Hoecken, Point, Mengarini, Nobili, Miège aliorumque virorum vere magnanimorum; quorum profecto prodigiosos labores inter barbaras istas gentes, quae ipsorum Gallicave lingua dicuntur Osages, Pottowatomies, Kickapoes, Miamis, Gros-Ventres, Têtes-Plates, Pieds-Noirs, Sioux, Cœurs d'Alène, Pend-d'Oreilles, Nez-Percés, aliisque nominibus, etiam hodiedum legens quisque miratur. Quot enim illi indigenarum millia ad caelum introduxerint, haud facile aestimaveris. Eo vehementius dolendum sane, Indianis istis certam instare gentium suarum exstinctionem, quod e suis moribus libere vivendi spatium loci ipsos deficiat. Cum enim invadentibus immigrantium atque auri venas investigantium turmis locum cedere continuo cogantur, ac praeterea inebriantis potus abusu, turpitudine morum, mutuisque inter se illatis bellis quasi exhauriantur viribus, paulatim tabescentes lentoque interitu absumpti, futurum certo est ut, haud ita longo temporis intervallo, praeter suam in rebus historicis memoriam nihil reliquum fecerint. Verum in Montibus Saxosis jam abundant Nostri copia laboris, quem hominibus albi coloris impendant; pro quibus etiam, in locis *Spokane* et *Seattle*, Collegia condita fuerunt [3]. Reticendum non est, hanc Missionem atque etiam illam, quae sequitur, Alaskae, pertinuisse olim ad Provinciam Taurinensem, quae strenuos sane viros illuc misit.

Ad Alaska [4] porro ante hos viginti amplius annos evocati No-

[1]* *Ill. Praesul Marianapolitanus ad Patrem Roothaan, 24 Aug. 1840:* quo scripto ad Societatis zelum animarum provocat.

[2] *Nelle montagne rocciose. Estratto di alcune lettere del* P. Giuseppe Giorda, Roma, 1866.

[3] R. P. J. de Smet, S. J., *Missions de l'Orégon et voyages dans les Montagnes Rocheuses en 1845 et 1846. Ouvrage traduit de l'anglais.* Paris, 1848. — Piolet, S. J., *Les Missions catholiques*, etc. Tome VI. *Missions d'Amérique*, Paris, 1903. — Laveille S. J., *Le P. De Smet (1801-1873).* Liége-Arras 1913.

[4] Fr. Barnum, S. J., *Life on the Alaska Mission, with an Account of the*

stri sunt ab Ill. Domino Seghers, Episcopo Vancouver. Rectissime autem de hac quoque Missione dixeris: *Pauperes evangelizantur.* Ex indigenarum ferme 30.000 baptizati sunt 5000. At huc etiam, e regione meridionali, pervaserunt aurifodinarum investigatores; inter quos statim quidem Stationes aliquae erectae sunt in locis Juneau, Fort Wrangel, Sitka, Douglas Island; verum solatio nequaquam abundans labor istiusmodi fuit. Posteaquam, anno 1897, in regione Klondyke, quae Britannicae ditionis est, aurum repertum est, suam ibi quoque Patres in juvandis animabus operam posuerunt. Et quamquam inter homines istos auri sacra fames, impudicitia, impietas viribus multo validioribus propagatur quam fides et religio, immensum tamen laborem iis impendit Pater Judge, cujus obitus atque exsequiarum solemnia mirum quam vehementer eos commoverint. Mutata tamen regione, qui auri venas inquirunt, ut plurimum ad *Nome City* prope locum *Bering* migrarunt, ubi jam ampla facta est civitas erectumque Templum Catholicum. Ex hujus autem turri, collucente noctu cruce electrica, Missionarius viatoribus, qui inter nives forte aberraverint, viam ostendit: egregium profecto symbolum laboris illius, quo Nostri animas, ab aeterna salute devias, in viam reducere conentur. Die porro 28 Martio 1904, Pater Raphael Crimont nominatus est Alaskanae Missionis Praefectus Apostolicus [1]; in qua Missionarii 33 operam suam vere apostolicam animabus impendunt. Haec missio, quae 33 Missionarios habet, nunc ad Provinciam Californiae pertinet.

Ad *Americam Meridionalem* inde inflexo itinere, obvias primum habemus Missiones Anglicas tres. In Jamaica insula ubi Nostri ab anno 1837 degunt, Missionarii 23 hodiedum laborem impendunt in Catholicos circiter 15.000, quibus praeest Vicarius Apostolicus; pertinet autem Missio haec ad Provinciam Marylandiae-Neo-Eboracensem [2].

Proxima est Missio *Honduras*, quae ad annum 1852 refert ortum. Ejus autem incolae vix non omnes Catholici sunt, puta

*Foundation of the Mission*, Woodstock College Press, 1893. Vide etiam pulchram *epistolam A. R. P. Martin ad P. Tosi*, editam in *Woodstock Letters*, 1894, p. 50 s.

[1] * *Bull. S. J.*, I, 569.

[2] * *Roothaan*, cap. XIII, fol. 206 ss. * *Epist. Patris Roothaan ad Ill. Benedictum Fernandez*, 7 Aug. 1837.

30.000 e 33.000. Missionarii 26, qui Vicario Apostolico parent, pertinent ad Provinciam Missourianam. Apud Indos Provincia Missouriana habet Missionarios 32.

Ad *Guyanam Brittannicam* deinde Nostri evocati sunt anno 1855, ab eo qui Missionem hanc condidit, Ill. Dominus Heynes. Ex incolarum 300.000 Catholici sunt circiter 23.000, qui ad has regiones aliunde plerique immigrarunt; excoluntur autem a Missionariis 22, ad Provinciam Angliae pertinentibus.

Ex Hispania, anno 1835, expulsi Patres, ut in Americam se conferrent invitati sunt; qui anno 1844 in *Columbiam* advenerunt. Cum autem, qui « conservatores » dicebantur, anno 1850 regimine excidissent, succedentes iis, qui liberales alieno nomine vocantur, Jesuitas mox insectari atque protrudere inceperunt. Haud tamen ita longe inde devexi, Nostri constiterunt in regionibus Aequatoriali [1] et Guayaquil, quo eos Garcia Moreno, ephemeridis eo tempore moderator, adsciverat. Collegium vero Quitense unum annum tantum subsistere potuit. Anno autem 1861 denuo in regionem illam admissis Garcia Moreno Collegia condidit in civitatiubs Quitensi et Guayaquil. Quo eximio viro sua eos auctoritate tutato, Patres Stationes erexerunt circiter 20, atque hominum 10.000, in provinciis Napo, Macas, Gualaquiza ad fidem adduxerunt. Verum ubi Garcia Moreno martyr occubuit, Missio destructa est dissipataeque Stationes. Quae deinde anno 1883 melior iterum conditio facta fuerat, ultra tamen annum 1894, multis impugnata difficultatibus, subsistere non valuit. In Columbiam reversi, Patres Missionem hodiedum, 197 operarii, excolunt fructu uberrimo; qui pertinent ad Provinciam Castellanam. Missiones porro *Aequatorialis*, *Peruana* et *Boliviana*, quae rerum vicissitudinibus atque perturbationibus plurimis obnoxiae semper fuerunt, Missionarios censent 167 e Provincia Toletana.

In *ipsa America Meridionali* [2], id est in Argentinia, Uruguaria, Paraguaria, Chilo, Brasilia, cursum magis ordinatum res nostrae tenuerunt. Ubi licet bona Nostrorum fama fuerit, tanquam qui cultura expolire homines istos efferatos rite nossent, quaecumque tamen Paraguarienses narratiunculae de Nostrorum divitiis, ambitione, aurifodinis, atque Fratre Coadjutore in regia potestate con-

[1] *Katholische Missionen*, 1874, 213 ss.; 1875, p. 71 ss.; 1876, p. 175; 1877, p. 23.
[2] * *Roothaan*, cap. XIII, fol. 207 ss.

stituto circumferebantur, avidis auribus exceptae ibi sunt. Hispaniae quidem amicitia renuntiata, cum Sancta tamen Sede conjuncti manere, vinculis quam fieri posset laxissimis, gubernia volebant: sui igitur juris Jesuitas nec Praeposito Generali subjectos esse oportebat; quos hic quidem exsilio, illic vero molestiis omnimodis perpetuo vexabant.

Ad *Argentiniam* [1] evocati sunt Patres, anno 1836, decreto ea de re in reipublicae comitiis conditio. Quibus, ut in civitate Buenos Ayres subjectoque territorio fidem praedicarent, permisit Rosas dictator; inter Indianos vero Missionem condere eos vetuit, ne videlicet novae, quae dicebantur, reductiones instruerentur. Ea viri diffidentia cum in dies invalesceret magis, factum denique est ut anno 1841 suas Nostri Domos occludere cogerentur. Qui aliquamdiu spem fovere potuerunt fore ut gubernium Chilense feram Araucanorum gentem excolendam ipsis committeret; at infecta re cedere anno 1845 debuerunt. In *Paraguariam* etiam redire Patres tentarunt; iis anno tandem 1843 Chilensis praeses faustum responsum dedit. Verum, quae summa diligentia fuerat suscepta atque laeto fructu exculta Missio, solos tres annos, a 1843 ad 1846, stare potuit. Mortuo deinde Rosas, Patribus in Argentiniam redire licuit; qui, ad annum usque 1858 impenso labore, iterum exsulare coacti, anno 1873 denuo redierunt. A' quo tempore satis tranquilla Societas in ea regione operam ponebat. Similis eorum in *Chilo* etiam conditio erat, ubi tamen ab iis, qui radicales dicuntur, minae haud defuerunt. Argentinia, Chilum et Uruguaria pertinent ad Provinciam Aragoniam, dum in regione Puerto Montt Patres aliquot Germani suae nationis hominum curam gerunt. Qui sunt Missionis operarii 333, in juventute excolenda vix non omnes occupantur. Nam dum Romae ipse Pontifex Societati gubernandum tradidit Collegium Pium Latino-Americanum, quo ex universa America Meridionali studiosi juvenes excipiuntur, Episcopi quoque Nostris commiserunt Seminaria Buenos Ayres, Santa Fé, Montevideo, Ancud (Chilum). Moderantur praeterea Patres Collegia 5. Luctae quidem haud expers, paulatim tamen ac solide, in clero praecipue efformando, provehitur impensus animabus labor [2].

[1] *Katholische Missionen.* 1875, p. 11 ss. — *Acta Leonis XIII,* Tom. I, p. 83.

[2] De missionibus Americae Meridionalis vide imprimis R. Perez, S. J., *La Comp. de Jesús en Columbia y Centro-America*, Tomi III, Valladolid, 1898 ss.

Missio *Guatemalensis* [1] initia habuit anno 1843, fundanda colonia Belgica, in qua Patrum Walle et Gehon insignis labor fuit. Quicumque tamen sive a clero sive etiam ab ipso gubernio adhibiti sunt conatus ut fixas suas ibi sedes Societas obtineret, obnitentibus iis qui liberales dicuntur, irriti ceciderunt. At anno demum 1851 acceptum est operae pretium, eo quod Jesuitae publica auctoritate in Guatemalam admissi tunc sunt. Ex insula igitur Jamaica Patres nonnulli in Guatemalam transmittentes, tutum per annos viginti laborem ibi ponere potuerunt. Qui Seminario praeerant, popularibus Missionibus vacabant, ferasque Caraibarum tribus excolebant. Anno deinde 1871 Guatemala pulsi atque ad *Nicaraguam* profecti, amplius 10 annos apostolicis laboribus impenderunt, anno tandem 1884 iterum inde expellendi.

*Brasiliae* [2] Missiones ipsae quoque ortum habent ab iis, quae in Argentinia excitatae turbae atque a Rosas dictatore persecutiones motae fuerant. Eo enim tempore, cum Brasiliae gubernio sedanda incumberet seditio provinciae *Rio Grande do Sul*, quae sui juris respublica volebat esse, ac proinde, recuperata paulatim regione rebusque ad pacem compositis, Sacerdotes conquirerentur, Stationibus praeficiendi, ipse Pontificius allegatus auctor fuit ut in Brasiliam accirentur, qui essent in Argentinia labore destituti, Jesuitae. Anno igitur 1842 Residentia condita est in loco *Porto Alegre;* anno deinde 1843 in loco *Desterro*, ubi anno 1846 etiam Collegium Nostri inchoarunt. Interea vero immigrantium hominum tam ingens multitudo ad provinciam istam uberrimam conveniebant, ut jam anno 1844 solorum Germanorum 8000 locum *Sao Leopoldo* circumhabitarent. Quorum qui Catholici erant, Templis sibi exstructis, Sacerdotibus tamen destituebantur. Eo igitur ipso tempore cum in Austria dispersi Nostri fuissent, ex iis aliquot, in Brasiliam transmittentes, suam inter Germanos operam posuerunt. Collegium in loco *Itu* Patres Romanae Provinciae, Bartholomaeus

Cf. etiam *Acta et decreta Concilii plenarii Americae Latinae, in Urbe celebrati anno Domini 1899.* 2 Vol., Romae et Friburgi Brisgoviae, 1900. Cf. Bellesheim, *Archiv f. Kath. Kirchenrecht*, 1901, p. 38-63. Lee, *Religious liberty in South America*, Cincinnati, 1907.

[1] Perez, S. J., *La Comp. de Jesús en Columbia y Centro-America*, Valladolid, 1897, Tom. III, 17 ss.

[2] Piolet, S. J., *Missions catholiques*, etc., Tom. VI, p. 417-452. — *Stimmen aus M.-L.*, 1874, II, p. 361 ss. — * *Roothaan*, cap. XIII, fol. 207 ss.

Taddei, Josephus Giannini aliique excitarunt, alterum vero posuerunt Patres Romanae Provinciae Pernambuci. Quo in loco Nostri, una cum magnanimo illo Episcopo Olindano multas aerumnas exhauserunt. Nam cum ille, secreto franco-muratorum coetui obnixus, aliquem e clericis suis amplioribus, quod is notorius franco-murator esset, a sacris suspendisset, Nostrorum Collegium, 14 Majo 1873, captum, expilatum atque demolitum est; Patres vero probris ac fustibus impetiti. Ad quos scribens Episcopus: « Martyres Christi, inquit, vobis ego ex intimo animo salutem dico.... Vestros ego pedes deosculor, lectissimi viri, qui digni habiti sitis pro nomine Jesu Christi pati. Hei mihi! quod ob mea ego peccata tanta gratia exciderim. Dominum nostrum orate ut eodem me etiam favore dignum efficiat [1]. Exoptantis Episcopi desiderio satisfactum postea est, quippe qui iniqua judicis sententia labori publico ad triennium addiceretur; quae tamen poena in triennalem custodiam mutata deinde est.

Per id tempus non solum Collegium Pernambucense captum atque expilatum, Patresque probris ac fustibus expetiti, sed etiam P. Virgili vulneribus confossus, vix convaluit. Quo etiam majorem cladem opperiebantur, quum, anno 1889, sublatum est regnum Imperatoris. At cessit tamen tempestas, suaque Nostri libertate hodiedum fruuntur. Missiones igitur jam duae sunt; quarum una a Provincia Romana, a Provincia Germaniae gubernatur altera. Illius porro sunt Missionarii 109, qui Collegia prospera conditione moderantur tria, in locis *Itu*, cui schola apostolica annexa est, *Neo-Friburgo* et *Rio de Janeiro;* Collegium inchoatum, Residentias tres ac praeterea Domum Probationis. Provincia autem Germaniae Collegia quatuor habet, in locis *Suo Leopoldo*, *Pelotas*, *Florianopolis*, *Porto Alegre*, unum Convictum in loco *Parecy Novo*, Residentias 11 et unam Stationem, quarum Domorum simul omnium Missionarii sunt 208.

Qui vero e Nostris extra Collegia laborem suum impendunt, operam praecipue navant hominibus e Germania Italiaque advectis, practica, quam dicunt, fide plerisque aliquatenus imbutis. Ipsi Brasiliani molliores quam vitiosiores sunt, maxime vero ignorantia

[1] A. Brou, S. J., *Les Jésuites missionnaires du XIXe siècle*, Bruxelles, 1908, p. 61.

laborant. Missionariis autem id primum incumbit curandum ne, qui ex Europa advenerunt, indigenarum vivendi consuetudini citius ipsi assuescant, verum conservando excolant, quas bonas indolis dotes secum attulerunt. Atque operae pretium quidem fuerit in memoriam hoc loco reduxisse, Protestanticae religionis ministrum, e civitate Rio Grande, anno 1890 Berolini questum esse, nullam immigrantium Germanorum saluti curam a Protestantibus impendi, « dum e contra Jesuitae, inquit, intra paucos annos pervenerunt ut Domos magno numero, Templa, scholas, hospitia erexerint; qui illorum indefessus vigor est, vicos perlustrant, sua ministeria obituri, tam ingenti sane Catholicorum commodo, quam lugendo plane detrimento Protestantium. Eadem nobis quoque incedendum esset via » [1].

Is quidem erat rerum status in Brasiliensi Missione, quum saeva procella, autumno 1910, Lusitaniae Provinciam florentissimam disjecit. Quorum pars magna, novum laborandi campum quaerens, in Brasiliam transmisit, ubi novas Sociorum suppetias dudum exspectatas fuisse antea jam diximus. Nova igitur Patri Nostro, anno 1911, facienda incubuit Brasiliensis Missionis circumscriptio, quae quidem esset « *a*) territorialis; *b*) conveniens numero incolarum, non merae extensioni territorii; *c*) accommodata historicae evolutioni trium Missionum Societatis ibidem tunc laborantium; *d*) talis, ut praepararet, quoad fieri posset, novarum Provinciarum constitutionem ». Quare in haec ille verba statuit:

« I. Una vocetur Missio Brasiliensis Meridionalis, dependens a Provincia Germaniae, et complectatur tres illos status: *Rio Grande do Sul*, *Santa Catharina et Parana*. Hujus Missionis Meridionalis erit in posterum Residentia Neo-Tridentina, atque in eadem manebit ut in proprio territorio Collegium Florianopolitanum ».

II. Altera appelletur Missio Brasiliae Orientalis (sive Centralis), dependens a Provincia Romana, et comprehendat hos status: *S. Paulo*, *Rio de Janeiro*, *Espirito Santo*, *Minas Geraes*, *Goyaz*, *Matto Grosso*.

III. Tertia sit Missio Brasiliae Septentrionalis, dependens a Provincia Lusitana; haec autem complectatur omnes illos Status Septentrionales, qui Missioni Orientali non sunt assignati, scilicet

[1] Ibid., p. 62.

*Bahia, Sergipe, Alagoas, Pernambuco, Parahyba, Rio Grande do Norte*, etc. »[1]. Haec pars habet Missionarios 96.

Jam in *Africam*[2] digressi, ipsius saeculi XIX novas Missiones describendas statim aggredimur, quippe cum ex antiquioribus illis Societatis Missionibus vix quidquam sit reliquum. Ac primo quidem loco dicemus de *Africa Meridionali*. In qua regione celeberrimus terrarum explorator ille Livingstone viam paravit emetiendo vallem, per quam decurrit Zambesi flumen, regionemque lacubus istic circumjacentem. Cum Missionarii Protestantes eum mox consecuti essent, cunctandum profecto Catholicis non fuit. Anno igitur 1877 Ill. Ricards, qui in loco Grahamstown Episcopus erat, hortatus Nostros est, ut ad *Zambesi Superiorem* se conferrent, ratus videlicet ille, ex ipso nostro suae civitatis Collegio Missionem Africae Meridionalis debere exordiri. Quod opus cum ipse etiam Pater Weld ardenter promovere studeret, Patribus hac de re grat'as egit Eminentissimus Franchi Cardinalis, Congregationis de Propaganda Fide Praefectus[3]. Aprili igitur mense anni 1879, Pater Depelchin cum Missionariis 11 per civitatem Kimberley profectus est in locum *Bulawayo*, qui erat pagus Lo Bengulae Regis *Matabelarum*. Quo cum, quinque mensium itinere facto, die 2 Septembri pervenissent, humaniter quidem excepti sunt; mox vero apparuit per longum profecto tempus exspectandum antea esse, quam ad fidem ibi ulli homines converterentur. Quia igitur ad interiores terras penetrandum censuerunt, dum una eodem in loco turma remansit, altera ad *Oumgournis* profecta est, tertia ad tribum *Barotsarum*. At vero immani labori cum Missionarii nonnulli, viri illi quidem fortissimi, succubuissent, resque fere tota in irritum cecidisset, intellexerunt Nostri coarctando reformanda consilia ita esse, ut prius haberent unde universum inceptum deinde procederet, Collegium videlicet, cum Domo studiorum et Residentia Cafrorumque Missione in ipsa regione Castrensi Bonae Spei; instituendas porro esse regionis *Matabelarum* Stationes tres, in locis Tati, Buluwayo, Pandama-Tenka; alias autem tres Stationes *Zambesi Inferioris*, in locis Quilimane, Mopea, Tete. At per annos decem exspectandum primum

[1] De circumscriptione, etc. *Epist. Adm. Rev. P. N. ad Praep. Prov. Rom., Germ. et Lusit.*, 25 Dec. 1911.

[2] Piolet, S. J., *Missions catholiques françaises*, Tome V, Paris, 1902.

[3] *Epist. Emm. Franchi ad Patrem Weld*, 22 Dec. 1877. — J. Spillmann, S. J., *Vom Cap zum Sambesie. Anfänge der Sambesie-Mission*, Freiburg, 1882.

fuit, cum Rex Matabelarum a docendo populo suo Missionarios prohiberet. Anno tamen 1887 spes affulsit aliqua, quod eo tempore Lo Bengula Rex a Patribus petierat ut arborum agrorumque culturam regios subditos docerent. Qua opportunitate usi, Patres quamplurimos pueros religione Christiana erudierunt. At Matabelas inter et Anglos orta lite, Lo Bengula Rex decrevit, ut albi coloris homines quilibet, ipsi adeo Missionarii, regione Mashona excederent.

Litigandi autem causa haec fuit: Mashona regione potiri cupiebant principatus quatuor: qui eam modo obtinebat Lo Bengula, Angli, Lusitani, atque Africae Meridionalis coloni illi, qui suo a Neerlandica lingua ducto nomine Boers dicuntur. E quibus cum praevaluissent Angli, adveniens statim Caecilius Rhodes terram occupavit. Qua re iratus, Lo Bengula albi, quod diximus, coloris homines quoslibet regione jussit excedere. Commeatum vero secuti Caecilii Rhodes, Missionarii in Stationes suas redierunt. Nova deinde Angliam inter et Lusitaniam secuta lite, in duas partes ita dividi Missio debuit (1892), ut Missio *Zambesi Superioris* Provinciae Angliae, *Zambesi Inferioris* Missio Lusitanae Provinciae tributa fuerit. Labores suos Patres statim denuo susceperunt. Missio autem *Zambesiana Inferior* seditioni primae quidem Matabelarum, alteri vero Mashonarum objecta fuit; postea quoque notum illud Anglos inter et Colonos (Boers) bellum erupit. Quibus rebus omnibus factum est ut, post annos amplius viginti quinque, nisi modicos progressus aliquos Missio haec facere non potuerit. Zambesi quippe Superioris, sive Rhodesiae, Praefectura Apostolica est, in qua Missionarii 85 ipsos se suumque laborem fidelium circiter 5000 impendunt. Praeterquam quod Patrum Ecclesiae novem decemve in ipsa Rhodesia sunt, Stationes etiam duas, inde ab anno 1905, inter Batongas condiderunt. Ad Provinciam Angliae Missionem hanc pertinere, jam diximus. Quae porro *Zambesi Inferioris* Missio condita est anno 1889, Lusitanae Provinciae attributa, ab iis, quas diximus, seditionibus et litibus immunem plane fuisse liquet. Ubi posteaquam, experimenti capiendi causa, Patres aliquamdiu excurrerunt, censuerunt ad ipsam vallem, qua Zambesi flumen per 300 milliariorum ingentem longitudinem decurrit, coarctandos esse labores nostros, quippe quibus in locis praesidia Lusitanorum militum auxilio esse et quadantenus tutam Missionariis commoratio-

nem praebere possint. Stationes autem ibi sunt quatuor, in locis *Quilimanae*, *Chupanga*, *Zumbo* et *Boroma*. Hic quidem 35 Patres, curam gerendo orphanotrophii valde numerosi, Christianos pueros complures rite instruebant atque conformabant, cum vix exorta republica Lusitana dispersi sunt. Utinam nigritarum isti ingenti multitudini Venerabilis ille Pater Gonsalvus de Sylveira, qui in his ipsis Africae partibus praedicavit fidem, obtineat ut, Patribus feliciter reversis, ad sacra religionis nostrae mysteria, Dei gratia laboribus Missionariorum adspirante, magno numero accedant. Nunc Missio Zambesi Inferioris data est Patribus Verbi Divini, quibus tamen Nostri 26 adhuc assistunt.

Haud ita longum tempus est cum Societas alteram in Africa procurandam Missionem suscepit, prope *Congum* fluvium sitam [1]; ubi nigritarum tribus non vagantium more, sed terras excolendo vivunt. Ea autem Congolensis respublica ortum habuit anno 1885, praeside Leopoldo II Belgarum Rege, qui mox etiam Patres nostros ut Missionem istam subirent rogavit. Die igitur 8 Aprili 1892, Societati a Leone XIII commissa est Missio Kwangensis [2], milliariis 400 a mari distans, quo loco dilatata respublica Congolensis in Africam Centralem extenditur [3]. Quarum tribuum convertendarum atque excolendarum hic obtinet modus: Belgae suis expeditionibus, ad servitutem abolendam institutis, nigritas multos in libertatem vindicantes, adultos quidem exercitui adscripserunt, pueros vero parentibus orbatos in orphanotrophiis collocarunt, quae sua cujusque provinciae Missionarii curabant, sumptibus publice suppeditatis. Alii autem orphani caritati privatorum curandi relinquuntur. Quibus adde eos pueros, qui a parentibus sive derelicti sive ultro commissi sunt Missionariis. Atqui in his omnibus orphanotrophiis ipsa Missionis spes tota constituta est, quippe cum ab adultis exspectari vix quidquam possit. Suo igitur quisque opificio eruditi pueri, ubi perfecta eorum institutio est, matrimonio junguntur cum puellis, quae in aliis ejusmodi domibus educatae fuerunt. Juncti

[1] G. Oppelt, *Léopold II, roi des Belges, chef de l'Etat indépendant du Congo: fondation de l'œuvre internationale africaine*, Bruxelles, 1885. — Cf *Au Congo et aux Indes*, Bruxelles, 1906. — *Kwango*, par Ivan de Pierpont, S. J.

[2] * *Bull. S. J.*, I, p. 480 ss.

[3] *Missions belges*, Bruxelles, 1893 ss. — Piolet, S. J., *Missions catholiques françaises*, Tom. V, p. 221, 257, 293. — A. Vermeersch, *La Question congolaise*, Bruxelles, 1907.

autem prope plerumque a Stationibus collocantur, ubi, Christiano ritu vivendo aliosque iterum instruendo, provehunt ipsos Missionariorum apostolicos labores. Quos Patres visendo saepius obeunt. Eo igitur modo collocati jam sunt pueri amplius 400, qui, turmatim dispositi, cum Patrum Residentiis 8 vel 9 conjunguntur. Quae quidem omnia, ut sapienter ordinata fuerunt, ita salutis animarum procurandae spem faciunt egregiam. Nec vero est cur dicamus, Missionariorum laborem illum praestantissimum patere omnimodis insectationibus malevolorum. In quo genere primi sunt, qui anticlericales dicuntur, quorum magis etiam exstimulatur odium eo, quod gubernii officiales multi auctoritati Nostrorum haud parum invident. Accedunt Protestantes nonnulli, qui hostiles animos satiant insectando atque calumniando Patres. Secutae tunc sunt incriminationes falsae, atque ipsae, causa non audita, damnationes. In universa quippe Congolensi regione, e Stationibus, quae numero erant 44, inviserant locos tres; volebant nimirum illi de tota re certiores fieri; at ne ipsi eos Jesuitae edocerent recusarunt. Quare Nostri, ad Regem conversi, suam illi causam ita probarunt ut, 4 Januario 1906, Missionarios Congolenses gubernium laudarit. At vero retractatae calumniae non sunt. Die deinde 26 Majo 1906, respublica Congolensis declaravit: « Magni aestimari a se, quam partem Missionarii Catholici haberent in procuranda regionis istius cultura »; ac die 22 Majo 1907 haec addidit: « Quoniam quidem Missionariorum opera in immutandis nigritis carere non posset, atque eorum partes in instructione provehenda pretii essent maximi, ideo Missioni amplificandae se favere, terras illis concedendo, subsidia tribuendo, adjuvando in institutis apparandis ». Ad salutem quidem nigritarum speramus fore ut ipsis rebus agendis verba ista comprobentur. Ineunte anno 1913 Nostri erant, in Stationibus 7, Missionarii 40, qui pertinent ad Provinciam Belgicam [1]. Cujus Provinciae ipse etiam Praepositus libellum nuper edidit, ad repellendas novas adversariorum calumnias [2].

Quarta Societatis praecipua Missio Africana constituta est in

[1] *Les Missionnaires du Kwango et le rapport de la Commission d'enquête*, Bruxelles, 1906. — E. DE ROY, *de Katholieke Kerk in Congo 1484-1905*; quod opus in Gallicam linguam conversum est ab A. Heysse, Roulers, 1906.

[2] *Les Jésuites et les Fermes-Chapelles. A propos d'un débat récent*, par le R. P. EMILE THIBAUT, Provincial de la Compagnie de Jésus en Belgique, Bruxelles, 1911.

insula *Madagascar* [1]. Omissis conatibus illis omnibus, qui sive superioribus saeculis sive ipsius saeculi XIX parte priore, eventu quippe nullo adhibiti fuerunt, exordimur ab anno 1860. Quo quidem anno in insula ista Catholicus nullus, unus autem Missionarius erat, Pater Finaz S. J. Protestantes e contra jamdudum operi instabant, nixi videlicet Anglorum auctoritate pecuniaeque vi ingenti. Mortua, anno 1861, crudeli ista Regina Ranavalo, P. Finaz spem bonam habuit de ejus successore Radama II. E Nostris sane 11 Tannarivensem Missionem inaugurarunt; dum moniales tres erudiendis feminis auxilio aderant. Domus igitur mox erectae sunt duae, quarum Socii in duabus scholis institutionem procurabant alumnorum 400; quorum quidem unus ipse regni heres erat. At ipsi quoque Protestantes, mortua Ranavalo Regina, in eam regionem denuo intrarunt. Cum porro, 12 Majo 1863, strangulatus esset regius ille filius Radama, quaeri quidem potuit, quis in culpa sceleris istius. At certe constat hac ipsa caede partam Protestantibus victoriam fuisse. Secuta deinde est per annos quadraginta producta dimicatio, inter se nimirum concertantibus Gallorum et Anglorum, quae sunt Catholicorum et Protestantium, partibus. Aliquando sane Protestantibus parta victoria videbatur, cum anno 1869 Protestantismus declaratus fuerit esse regni hujus religio. Ad Independentium quidem sectam pertinent Regina ejusque administer princeps atque dominari *videntur* Angli clerusque Anglicanus; *re* tamen *vera* Ecclesiae Protestanticae inter indigenas constitutae quasi supremus pontifex est ille regni administer princeps. Ceterum quamvis magnum proselytarum numerum, cum oratoriis, scholis earumque alumnis, ostentare possent Independentes, Anglicani, Lutherani, dicendum est revera gentili ritui suo addictam mansisse gentem Malgascorum.

Catholicae etiam Ecclesiae ii fuerunt in insula Madagascar progressus ut Societatis Missionarii, anno 1882, proselytarum numerarent 80.000, e quibus erant baptizati 23.000. Missionis porro

[1] MAUPOINT, *Madagascar et ses deux premiers évêques*, 2 Vols., Paris, 1864. SCAU, S. J., *Madagascar*, Paris, 1907. — Cf. *Missions catholiques 1907;* * *Roothaan*, cap. XIII, fol. 193 ss. De Missionibus universis Patrum Gallorum cf. * *Exposé de l'état et des besoins de nos missions 1864 ss.;* quae explicatio, ad administrum gubernii Gallici directa, lithographice exarata est. Cf. etiam * *epistolas tres: unam Patris Roothaan ad Patrem A. Guidée, 5 Nov. 1840; duas Ill. Brunelli ad Patrem Roothaan, 24 Apr. 1843 et 5 Apr. 1845.*

censu referebantur Templa 152, cum Sacerdotibus 44; juventutis magistri 346 et magistrae 181, cum discipulorum 24.000. Bello Gallos inter et insulam Madagascar deinde gesto, religioni detrimentum magnopere illatum non est; nam quo tempore, 17 Decembri 1885, pacem pepigerunt, Vicariatus Apostolicus in ea regione conditus jam fuerat. Prosperum inde secutum est Catholicae religioni tempus. Anno certe 1893, Societatis Missionarii 97 impigram navabant operam proselytarum 140 millibus; dum juventuti erudiendae instabant Fratres Scholarum Christianarum 16, moniales 27, magistri magistraeque 700. Missionis praeterea erant Collegium unum in civitate Tananarivo; normales, quae dicuntur, scholae 9; lepra infectis hominibus curandis nosocomia 2, officina typographica una. Nocumento quidem Missioni fuit bellum (1894) et quae secuta est Gallorum occupatio; mox tamen in integrum restituta res. Eo quidem tempore orta videbatur animorum quaedam quasi commotio ad Catholica sacra transire cupientium, ut, anno jam 1900, baptizati numerarentur 94.998, catechumeni 266.877. Ex quo censu sane liquet, in baptizandis hominibus festinatiores Missionarios nequaquam fuisse. Cum Missio haec universa, usque ad annum 1896, solius Tolosanae Provinciae curis commissa esset, cui praeterea Madurensis Missio incumberet excolenda, petentibus Superioribus divisa est in Vicariatus tres: primum quidem Meridionalis pars insulae delata est ad Lazaristas; anno deinde 1898, regio Septentrionalis commissa est Patribus a S. Spiritu nuncupatis. Societati autem nostrae sola intermedia pars ita reservata, ut Hovarum regio Provinciae Tolosanae addicta maneret, regio autem Betsileorum tribueretur Provinciae Campaniae. Haec quidem Missionarios in insula Madagascar habet 54; illius vero ibidem atque in insulis Mauritii et Réunion Socii universi sunt 89. Quid autem Missione hac prosperrima futurum aliquando sit, Deus novit. Qui utinam Christianos illos tutando conservet atque Missionariorum virtutem collocatamque in Deo fiduciam firmissimam remuneret.

Praefecti Apostolici, qui erat in insula Réunion, anno etiam 1830, jurisdictio in universam *Oceaniam* patebat. Neque tamen ille numerosus grex erat. Postea vero, inter annos 1830 et 1840, immensum archipelagus istud divisum est in Vicariatus tres: Oceaniae Orientalis (1833), Oceaniae Occidentalis (1836) et *Australiae*

(1834) [1]. Quae hodiedum laetissimis augmentis floret in istis mundi partibus Ecclesia, tempore illo Sacerdotes paucos numerabat, numeroque exiguo aliunde advectos Catholicos. Anno tantum 1849 aliqui ex Austria Socii in Australiam appulerunt. Qui a colono quodam, Francisco Weikert, illuc evocati, hujusque plaustro tamquam primo domicilio usi, conditionem initio nacti sunt molestissimam. Erant enim in Australia illa Meridionali, ut rari incolae, ita ingentia distantium locorum spatia. Postea vero Nostri, paroeciis clero saeculari commissis, in duobus quasi mediis locis constiterunt, in civitate Norwood, quae sita erat prope ab Adelaide, et Septemcollibus (Sevenhills); accessit deinde Missio tertia ad maris sinum Palmerstown.

Anno deinde 1865 ex Hibernia quoque Patres in Australiam advenerunt, pro eo, qui primus erat regionis illius Episcopus, in civitate Melbourne moderandam scholam suscepturi. Quorum, anno 1882, erant Domus tres. Hodiedum vero Austriacorum Hibernorumque Patrum conjuncta Missio concredita est Provinciae Hiberniae, quae in Dioecesibus quatuor (Adelaide, Port-Augusta, Melbourne et Sydney) Missionarios numerat 106.

Cui Missioni viciniores sunt *Coloniae Neerlandicae*, ubi saeculis XVI et XVII, invadentibus eam regionem Hollandis, antiqua Missio destructa fuerat; Missionarios enim Catholicos Calvinistae tolerare nulla ratione poterant. Cum vero, prioribus annis saeculi proxime superioris, Ludovicus Napoleon etiam in ditione Indica religionis colendae libertatem vindicasset, mox Sacerdotes aliquot profecti sunt Bataviam. Quorum opera ac labore, anno 1842, is Missionariorum et Catholicorum, vix non omnium Europaeorum, factus numerus erat, ut in unum Vicariatum Apostolicum conjungi possent. Anno deinde 1859, die 20 Aprili, Lusitania, quoniam imparem se jam sentiret gubernandae parti illi quae ingentium olim in India coloniarum tunc superesset, Hollandiae vendidit insulae Timor majorem partem atque insulam Flores integram, una cum minoribus insulis Andonare, Solor, Lomblen, Pantar et Ombal (sive Alor). Venditionis quidem pacto conditio addita haec fuit, ut Catholicae religioni auxilio Hollandi essent. Negotium autem aliqua-

[1] Moran, *History of the Catholic Church in Austral Asia*, 2 vols, Sydney, 1895. *Katholische Missionen. 1877-1879.* Feigl., *Hinterröcker S. J., Apost. Missionär in Australien*, Linz, 1875.

tenus facessente clero saeculari, Jesuitae ut eo se conferrent, invitati sunt anno 1859. Quorum prius quidem exiguus, paulatim tamen auctus est numerus. In prono quidem erat ut imprimis cum invidia Missionariorum Protestantium hic concertandum esset. Catholici tamen Missionarii non pauci gubernium saepe nacti sunt satis benevolum. Egregius etiam fructuque uberrimus hic labor fuit feminarum sanctimonialium Fratrumque religiosorum, qui mira dexteritate Protestantium pueros et puellas quamplurimos educando curant. Per diuturnum quidem tempus gubernium principio, quod « primi occupantis » dicitur, quasi adstrictum mansit, ut nimirum, quo quis loco prior incepisset, jam in eodem illi soli liceret laborem animabus impendere. Ab isto tamen principio paulatim remisisse gubernium, testis est regio illa Minahassa (insulae Celebes), in qua recens facta est Catholicorum Missio florentissima. Indigenarum porro conditae sunt Missiones magno numero, atque his viginti annis inter ipsos etiam Javanos. Quae autem in insulis Kei Missiones sunt prosperrimae, die 22 Decembri 1902, Missionariis Hollandicis Congregationis Issoudun concessae atque ad gradum Praefecturae Apostolicae evectae sunt. Triennio postea, die 11 Februario 1905, insulae Borneo pars Neerlandica, facto nomine Praefecturae Apostolicae insulae Borneo Neerlandicae, simili ratione delata est ad curas Patrum Capuccinorum. In Vicariatu Apostolico Bataviae e solis Nostris Missionarii sunt numero 80, qui Missionibus quatuor, in 17 Stationibus, laborem suum strenui impendunt. Catholicorum numerantur circiter 57.000, qui majorem partem aut indigenae sunt aut in India Orientali nati. E Missionariis aliqui subsidio gubernii juvantur. In civitate Bandoeng sedem habet, qui periodico hebdomadario, Java Post, conscribendo praeest [1]. Ultimis autem annis « in insula Java.... in Moentilan jam cum optima spe successus opus conversionis Mahometanorum coeptum est, ita ut sperari liceat fore ut incolae hic primum luce veritatis aeternae illuminentur, ubi insana commenta Buddhae et Mohametis miserrime gentes decipiebant » [2]. Qua de causa eo in loco condita est schola, quae dicitur, normalis, futuris ludimagistris educandis, qui

[1] A. v. d. Velden, S. J., *De R. K. Missie in N.-O. Indië 1808-1908*. Nijmegen, 1908. Cf. Hensen, *De Katholiek*, P. 133 (1908), p. 274-295.

[2] Cf. *Epist. A. R. P. Gen. ad Patres et Fratres Miss. Ind. Orient. Prov. Neerl., 5 Nov. 1911.*

sua omnes sponte, in hoc convictu degentes, ad Christiana sacra transierunt, quibus populares suos aliquando initiandos habebunt. Collegium istud inchoatum subsidio gubernii juvatur, solisque Nostris utitur magistris; quorum utinam ad majorem Dei gloriam labores prosperentur!

Majore etiam quam in coloniis Neerlandicis libertate fruebantur Nostri in insulis *Philippinis*[1], dum ditionis Hispanicae hae erant. Quae ante suppressam Societatem florentissimae Missiones ibi erant, gravissimum detrimentum postea passae sunt. Oras enim maritimas atque ipsas interiores terras infestantes piratae et Mahumetani ita vexabant ut, solo anno 1836, e Philippinis abducti hominum 6000, divenditi atque in servitutem dati fuerint. Anno tandem 1859 revocati sunt Patres, qui imprimis instruendae juventuti in civitate Manilensi, fideique in insula Mindanao praedicandae adlaborarent. Collegii istius ac praecipue speculae ejus, quae dicitur, meteorologicae fama facta est celeberrima. In insulam autem Mindanao Patres iterum laborandi rationem, quae « reductionum » dicebatur, invexerunt, eventu quidem laetissimo. Christianorum enim numerus, anno 1881, censebatur ad 194.134; qui anno 1893 facti jam erant 302.107. Positis quippe in Missione ista annis 36, ad fidem Patres adduxerant Indianorum 57.000, quos in reductiones distribuerant; quarum, quae omnium pauciores, 20, quae plurimos, incolas numerabat 2800. Successu etiam prospero labor impensus est convertendis Mahumetanis (Moros), qui tres seorsim pagos condiderunt.

Annis 1896-1898 gesto bello, Missioni clades illata est gravissima. Relicta quidem omnibus, quam quis vellet religionem sequendi libera potestas, gubernii vero auxilium atque subsidium, nisi soli speculae metereologicae, concessum amplius non est. Quae res erat Missionibus inter feras incultasque tribus excolendas molestissima. Accessit quod Protestantes gubernii homines animos gerebant a Catholica religione abalienatos: unde fieri haud potuit, ut alicubi inter se non vehementer diffiderent. Ex concordato porro secutum, ut multi religiosi viri suis paroeciis excederent, Dominicani, Augustiniani, Franciscani; dum Benedictini, Capuccini, Je-

[1] Zamora, *Las corporaciones religiosas en Filipinas*, Valladolid, 1904. Blair and Robertson, *The Philippine Islands 1493-1898*, Cleveland, 1903 ss.

suitae remanserunt. Quorum aggravatus proinde labor, infideliumque conversioni detrimentum illatum est gravissimum. Nostri tamen loca sua ac Stationes paulatim recuperant, ac Missionariorum numerum, vehementer auctum, ad 162 evexerunt; qui pertinent ad Provinciam Aragonensem.

In *Sinis* [1] quoque antiquas suas Nostri Missiones denuo invenerunt. Quae enim Missio est in Kiang-nan, solidos ipsa 300 annos jam exstitit, quippe cum ortum referat ad illud tempus, quo Pater Matthaeus Ricci in civitate Nankinensi sedem posuit. At quo tempore suppressa est Societas, florentissimae Missionis hujus reliquiae tantum factae sunt exiguae. Dissipatam Ecclesiam gubernavit Ill. van Laimbeckhoven (ob. 1787), cui tristissimum incubuit onus promulgandi decretum suppressionis. Anno denique 1838 Sacerdotes supererant paucissimi; eos Illmus Pereira commisit Illmo de Besi, qui anno 1840 nominatus est Vicarius Apostolicus [2].

Anno 1800 duo e Russia Socii, Patres Grassi et Korsak, ex consilio et petitione gubernii Russiaci, tentarant si in Sinas penetrare liceret; quibus tamen neque per Siberiam neque per Ulyssiponem via fieri potuit. Quum igitur, anno 1814, Pekini mortuus esset ex iis, qui Societatis olim fuerant, Sacerdotibus ultimus, Pater de Poirot, atque Christiani provinciae Kiang-nan ut sibi denuo Jesuitae darentur enixis precibus rogarent, eorum exaudita petitio non est; quippe quae per gubernium Lusitaniae esset transmittenda. Nec tamen animo despondentes illi, die 25 Aprili 1832, iteratas submiserunt preces, vehementer instando ut sibi Societatis Patres omnino concederentur. Quibus A. R. Pater Roothaan, datis litteris, haec inter alia respondit: « Vos porro, inquit, sic habete nobis maximopere cordi fore, ut cum vocari Societatis homines ad Missionem Sinensem contigerit, lectissimos, quique aptissimi videbuntur, ad vos destinemus.... Caeterum, optimi viri ac desideratissimi, scire vos necesse est, in nostra potestate non esse, ut ad Si-

[1]* Roothaan, cap. XII, fol. 189 ss. — Launay, *Histoire des missions de Chine*, Paris, 1903. — Allier, *Les troubles de Chine*, Paris, 1901. — Forsyth, *China Martyrs of 1900*, London, 1904. — Cherubino da Sappada, *Una pagina dalla Cina. Cause ed effetti della rivoluzione del 1900*, Udine, 1903.

[2] Qui 30 Decembri 1841 haec scripsit: « Sacerdotes nunc 10 sunt, e quibus quatuor exhausti viribus; ut Christiani intra quinque sexve annos vix semel confiteri peccata sua possint, maneantque semper frigidi, semper ignari, semper dissoluti moribus ».

nenses juvandos ultro properemus; sed neque vestra invitatio, quamvis nobis gratissima, ad Missionem istam suscipiendam sufficere nobis potest: aliorum scilicet est id efficaciter procurare ». Iidem igitur Christiani non solum, anno 1838, ad Reginam Lusitaniae denuo epistolam hac de re dederunt, verum etiam, anno 1840, litteris suis suppliciter rogarunt ipsum Summum Pontificem Gregorium XVI, ut e Societate Jesu Missionarios in Kiang-nan quamprimum mitteret. Postea etiam Vicarius Apostolicus Chan-tong, Ill. Ludovicus de Besi, ex ordine Fratrum Minorum, suis ad Christianorum postulationem adjunctis precibus, Patri Roothaan scribens: « Equidem episcopatum, inquit, non suscepi nisi valde invitus, accepta prius pollicitatione, quam Vestra Paternitas Cardinali Praefecto dederat, fore ut quantocius mihi e suis Religiosis tres quatuorve submitteret ». Die igitur 12 Junio 1842, e tribus, qui missi fuerant, Patribus duo, nempe P. Claudius Gotteland et P. Franciscus Estève, in portum Chang-hai appulerunt et venerunt in Missionem die 11 Julii 1842 [1]. Jam gaudio exsultans Ill. de Besi, 25 Julio 1842, ad Praepositum Generalem scribens: « Dicere equidem Paternitati Vestrae non valeo, inquit, quanto solatio quantaque exsultatione affectus animo fuerim, ubi ardentissima vota mea expleta vidi, Patribus Societatis denuo reducibus ad immensum hoc imperium.... Christiani porro omnes in Domino exsultarunt, jamque felices se dicunt, ac volunt reapse boni Christiani esse, meque precantur ut infinitas Paternitati Vestrae gratias agam; quod ipsum nunc epistola hac, tum illorum tum meo nomine, praesto intimi animi mei significatione » [2].

Provinciae *Kiang-nan* Missionis territorium, per dimidiam totius Galliae latitudinem patens, erat universi orbis frequentissima incolis regio [3], populoque ingentes civitates complures numerabat.

[1] Tertius vero P. Benjaminus Brueyre, qui in loco Tchou-chan remanserat, Seminarium Sinense erecturus, paulo postea advenit, 23 Oct. 1842. Cf. J. H. Dugout, *Catalogus Patrum et Fratrum S. J., qui Evangelio propagando in Sinis adlaboraverunt*, pars II, 1842-1908, Chang-hai, 1908. — P. Tacchi Venturi, *L'eredità del P. Matteo Ricci in Cina, in Atti e Memorie del Convegno di Geografi Orientalisti tenuto in Macerata il 25, 26, 27 Settembre 1910*, Macerata, 1911, p. 101. — Idem, *Opere storiche del Padre Matteo Ricci S. J., edite a cura del comitato per le onoranze nazionali*, Vol. I, *Commentarî della Cina*, Macerata, 1911.

[2] *Institutiones et opera Missionis Nankinensis S. J., ab eius exordio ad Junium 1888*, Chang-hai, 1888.

[3] Incolarum numerus in singulis milliariis quadratis plerumque excurrit inter 167 et 240; aliquibus tamen in locis numerus ille ad 700 excrescit; est etiam ubi sint 1475. In Gallia vero numerantur 73, in Belgio 198, in Brabantia 323.

Porro quamquam, saeculi XIX annis prioribus 40, martyres in Sinis pauci referuntur, quippe in quorum censu soli ponantur Ill. Dufresse, Vicarius Apostolicus Setchuen (1814), Beatus Clet (1820) et Beatus Gabriel Perboyre (1840), nequaquam tamen a vexandis Christianis destiterunt Sinenses, volentes nimirum Europaeis aditum imperii, in quod penetrare hi conabantur, pertinaciter occlusum servare. Praevaluerunt tamen Occidentales homines: Angli quidem anno 1842, deinde Galli anno 1844; atque e Statibus Foederatis Americani eodem anno 1844. Qui omnes ut liberum esset commercium postularunt, ac praeterea Galli et Americani id exegerunt ut nulli violentiae obnoxii suis sacris Christiani uterentur. Tandem igitur aliquando Missionariis ad terras illas ita accedere denuo licuit, ut scelestorum hominum ab iis non expeterentur poenae.

Primus autem Nostrorum laborandi campus fuit in regione vicina Changai [1], ubi superstites Christianos, qui inter 5000 et 6000 fortasse erant, in unum collegerunt. Anno 1843 ab Ill. de Besi erectum Seminarium est, unde ad annum usque 1907 Sacerdotes indigenae ferme 100 prodierunt. Instructum etiam est egregium opus illud, quod S. Infantiae dicitur. Quam vero arduus Missionis hujus labor fuerit, cogitatione quis assequi poterit legendis iis, quae, die 12 Januario 1845. Superior Missionis Patribus suis praecepta dedit:

« Quotidie, cum infantes, quos ad Residentiam attulerint, baptizaveritis et matrimoniis benedixeritis, infirmisque administraveritis Sacramenta, sedebitis Confessiones excepturi. Sufficiet autem si singulis diebus poenitentes 20 audiveritis. Aliquando quidem difficulter eum numerum attingere poteritis; etenim ut minimum 10 horas in eo opere ponere debebitis, id est in unaquaque Confessione excipienda dimidiam horam, quoniam quidem semper illa per annos 10 vel 20 vel 30 excurret. Neve putaveritis istud longius esse dimidiae horae spatium. Ipsi enim vos brevi experiemini, tanto tempore opus esse poenitenti, quippe quem loquentem vos aegre intelligatis, nec magis ille vos. Sola patientia atque caritas eam vobis paulatim suppeditabit notitiam, qua opus vobis sit ad absolutionem impertiendam ».

[1] * *Epist. Patris Roothaan ad Patrem Gotteland, 7 Julio 1840; 21 Decembri 1842; ad alios Patres, 20 Augusto 1843.*

« Sacrum Missae sacrificium hora opportuna celebrate, ac semper, sive multi audiunt sive pauci, de fidei mysteriis doctrinam perspicue proponite per viginti circiter horae sexagesimas. Quod, ubi potueritis, etiam facite cum Matrimonio benedicetis. Saepe fiet ut inter ipsa illa exercitia evocemini ad infirmos, qui longo spatio a vobis distent. Tunc vero, intermissis negotiis omnibus, ita celeriter eo vos conferetis ut nullam obliviscamini vobiscum ferre earum rerum, quibus ad Sacrum faciendum, Viaticum administrandum, Extremam Unctionem peragendam opus sit. Infirmum invise, sanctisque eum verbis solare; Confessionem ejus excipe, Sacram ei Communionem porrige, eique Extremam Unctionem administra, etiamsi in extremo vitae periculo non versetur.

« Deinde infantes baptiza, qui in ista regione pagove isto sunt; quibus rebus omnibus completis, ad Residentiam cito revertere. Et quoniam aut navi, aut, pro more istius regionis, gestatoria sella iter facies, tempore, quo ita lente progredieris, utere ad spiritualia exercitia peragenda; sic enim fiet ut, cum redieris, mox paratus esse possis vel alios invisere infirmos vel labori consueto te dare; cujus quidem, dum aberas, necessitas facta erit urgentior. Felicem te si tempestive semper adveneris, ut morituris possis Sacramenta ministrare ».

« Cum autem domi manere poteris, usque ad horam octavam vel decimam vespertinam exceptis Confessionibus, quieti deinde te dabis. Noctu excitatus ut ad moribundum te conferas, ne unquam detrectaveris. Quanta enim conscientiae reprehensione angereris si quieti tuae, quantumvis necessariae, renuntiare nolles, ita quidem ut anima quaepiam, in ipso suo ad alteram vitam transitu, Sacramentis privaretur. Excita tuum animarum zelum, quo ipsi quoque corpori vires suppeditabis. Quod si deinde reducem te Christianis circumdatum videris, qui, peccata confessuri, te per tres, quatuorve, vel ipsos octo dies expectarint, fieri nullo modo poterit ut de corpore tuo prius curando cogites ».

« Dominica autem die haec tua quies erit, ut bina Sacra duobus in locis facias, post singula evangelia populum Christiana doctrina erudiendo. Carissime in Jesu Christo Frater, patientiam, magnam patientiam in rebus omnibus atque semper habeto! Est enim ea virtus in regione hac omnium maxime necessaria, sine qua in Sinis bonum opereris nullum. Macte virtute atque memor esto, Missio-

nario in istis laboribus gratias a Deo dari eximias, quibus quae ipsius amore sacrificia obtulerint, sane compensentur ».

Quam instructionem approbans Pater Roothaan magnopere gavisus est; magis etiam ubi eam ad verbum observari comperit. Gratiis quidem Deo actis, caelestem benedictionem filiis suis tam impigre laborantibus, imploravit uberrimam; simul ut Deus illis valetudinem impertiretur ac vires, quibus tanto labori ferendo pares esse possent.

Arduam porro Missionariorum vitam perpendens, Pater Roothaan id etiam cavere voluit ne, qui Missionum desideriis ferrentur, animi sui illusionibus imprudentes periculose objicerentur. Qua de re ad Patrem Stanislaum Clavelin, anno 1843, scribens:

« Quae enim, inquit, praecipua Missionarii felicitas? Haec nimirum, quod, quam illi vitam agendam habent, tota illa est in *sacrificio* posita. In eo quippe omnis est, ut magis e vero atque reapse animum ab iis rebus expeditum habeas, quibus suapte natura magis afficiatur; ut inopiae omnimodae atque aerumnis objiciaris; ut *multum* labores, saepe *parum* et in rebus *minimis* effecturus; atque id quidem ut animas salves, at quae *despectae* sint animae et derelictae. Haec ego dicere non cesso iis, qui ad exteras Missiones aspirant; haec ego repetere soleo. Nam qui fuerunt S. Francisci Xaverii successus prosperrimi, quaeque successorum ejus eximii labores, quod illi sibi pepererunt nomen quamque famam reliquerunt, fieri potest ut fucum nostris hodiedum hominibus faciant. Ardentissimo sane desiderio quisque feratur, quo magna quaedam pro Domino Nostro facere cupiat atque pati, verum ad hoc simul etiam animo probe accingatur ut, *quae Deus voluerit*, haec inveniat, ne videlicet aliquando frustratum se videat. Ut *in sacrificio vitam* ponas, en totam rem; hoc ipso quoque exemplo Dominus Noster praeit: Vivens enim ille et moriens, atque etiam postea, immo vero hodiedum, *victima;* hunc quippe gloriae titulum in ipso caelo conservatum ille sibi voluit: *Agnum tanquam occisum.* Quod ut recte intelligamus, utinam tribuat Dominus omnibus nobis, ejusque rei perficiendae consilia suggerat » [1].

In ea igitur Missione numerus Catholicorum, anno 1848, ad 60.963 evectus est. Anno deinde 1849 Nankinum Patres venerunt,

[1] * *Pater Roothaan ad Patrem Clavelin, 29 Sept. 1843.*

cujus tamen loci efflorescens Christianorum coetus, anno 1853, coorta civilium rerum perturbatione, dispersus ac partem etiam eversus est. Sinensis porro Missionis mutatio ingens facta est anno 1856. Cum enim, die 30 Majo, Pius IX « ad rem Catholicam magis magisque promovendam, Missionem Pekinensem adhuc nimis amplam in tres Vicariatus Apostolicos, nempe Pekinensem septentrionalem, orientalem et occidentalem (Suen-Keu-fou, Kwang-Pink-fou, Tsing-Tin-fou) nuncupatos, divisisset, eodem die Patrem Adrianum Lanquillat renuntiavit Vicarium Apostolicum provinciae Tcheu-li, id est partis orientalis [1], quae die ejusdem anni 3 Junio commissa est curis Societatis [2]. Die deinde 4 Junio 1859 Pater Andreas Borgniet nominatus est Vicarius Apostolicus provinciae Kiang-nan, sive Nankinensis [3], quae Missio ad nostram Provinciam Franciae delata est; illa vero ad Provinciam Campaniae. Quae porro bella gesta sunt anno 1860, Missionis partem non exiguam, in regione Changhai, vastarunt. Accessit quod, anno 1862, Christianos 400 ipsumque Ill. Borgniet cholera morbus absumpsit. Quo tempore, annis 1862-1864, in provincia Kiang-nan defuncti sunt Missionarii 16; anno autem 1865, febri typhoide occubuerunt Missionarii 6. Nova deinde seditio commota est anno 1868.

Atque anno quidem 1862, intercedente gubernio Gallico, libera religionis exercendae facultas data erat; verum cum pacti hujus falsatum exemplar Pekino ad mandarinos misissent, quo ediceretur, Christianis Sacerdotibus, ut rem suam obtinerent, optimatum atque mandarinorum consensu opus esse, intelliges religionis propagandae eam fuisse difficultatem gravissimam, quippe cum isti consensum suum vix unquam praebere vellent. Verum sic etiam Missio haec suos continuos progressus fecit. Anno autem 1870 exortas in Nankinensi quoque Missione difficultates plerasque removit Masi-ni, Vice-rex; cujus tamen intercessio impedire non valuit ne, qui mandarinus militibus praefectus erat, in loco Tien-tsin aliquot sanctimoniales a Caritate, Sacerdotes atque ipsum etiam Galliae consulem, die 21 Junio, interfici juberet [4].

Secutum deinde est vexationibus aliquatenus vacuum tempus.

[1] * *Bull. S. J.*, I, p. 240.
[2] Cf. tamen * *Bull. S. J.*, l. c., p. 241.
[3] * *Bull. S. J.*, l. c., p. 258 ss.
[4] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 189 ss.

Anno 1875, in provincia Kiang-nan Christiani numerabantur 88.813; in provincia autem Tchely, anno 1880, eorumdem census evehebatur ferme ad 29.000. Quaecumque porro Christianis illatae sunt insectationes, calumniae, Missionum incendia, non obstiterunt ne suis perpetuis augmentis religio gauderet. Anno quippe 1900 in provincia Tchely erant Societatis Sacerdotes 46 et saeculares indigenae 10, Fratres nostri Coadjutores 11, Catechistae 438, virgines 271, scholarum pueri et puellae 5000, Christiani omnino 48.920. Provincia autem Kiang-nan eo tempore numerabat Sacerdotes 159, e quibus 42 Sinenses erant; scholas habebat 940, cum discipulis 18.563: baptizatorum omnino 124.000, cum 50.000 catechumenorum.

Is igitur Missionum status erat, cum saeva ista seditiosorum, qui vulgo Bokser dicuntur, in eas irrupit calamitas. Quae cooriens procella dudum praesagiri potuerat, facta tandem imperialis curiae seditione, atrox incubuit, Missioni vix non ubique cladem inferens terrimam. Statim quidem, e mandato Vice-regis, vastati sunt Christianorum coetus 360. In vicariatu *Tcheu-li*, ubi verno tempore anni 1899 saevire seditiosi coeperant, jam ipso autumno plena omnia turbis atque incendiis erant. Januario autem mense 1900 Missionis pars septentrionalis ignibus quasi conflagrabat universa; quo tempore eversi jam jacebant Christianorum coetus 45. Persecutionis porro comites erant fames atque egestas. Tum meridionalem quoque Missionis partem invaserunt. Quamquam Christianos ubique ad apostasiam compellere seditiosi conabantur, ea tamen fidelium constantia fuit, ut hoc laboris sui fructu Missionarii jure gaudere possent. Etenim milleni, atque integri alicubi pagi, pro Jesu Christo sanguinem, inter atrocia saepe supplicia, lubentes profuderunt. Nec Patribus temperatum est. Die enim 20 Junio 1900, in loco Ou-i, ad ipsum altare consistentes, caesi sunt Patres Isoré et Andlauer; die autem 20 Julio, interfecti, in loco Tchou-kia-ho, Patres Mangin et Denu. Ipso etiam 26 Aprili 1902, pace jam facta, victima occubuit Pater Lomüller, cum suo catechista suoque rhedario [1].

Sedata procella, tum demum, quam saeva calamitas ista fuisset, aestimare Nostri potuerunt. Interfecti quippe erant Missionarii 5: miseriis omnimodis exhaustus occubuerat Ill. Bulté; ablati Chri-

[1] *Katholische Missionen*, 1900 ss. PIOLET, S. J., *Les Missions Cath.*, Tom. III. *Chine et Japon*.

stianorum 5000; ex oratoriis 677, eversa 616; e scholis 430, destructae 381; e 6 Collegiis, demolita 3. Constabat vero unum hoc, firmos esse in sua fide Christianos. Ceterum denuo erecta hodiedum ita sunt universa, ut Christianorum numerus, major ille quidem quam ante persecutionem erat, praeter catechumenorum 10.000, jam evehatur ad 59.646. Ecclesiae et Sacella sunt 332, oratoria 1511. Numerantur autem nostri Sacerdotes Missionarii 82, Sacerdotes saeculares 15. Catechistae porro 710, virgines edocendis puellis praepositae 451. In utroque Seminario, majori inquam et minori, alumni simul sunt 73; in Collegiis 5 docentur pueri 618; scholae, quae normales dicuntur, destinatae quippe educandis virginibus, quae ipsae futurae sint magistrae scholarum, discipulas numerant 210; convictorum autem instituta sunt, pro pueris 271 cum discipulis 4519, pro puellis 268 cum discipulis 3525. Adultorum baptismi, ipso anno 1905, censebantur 3914. Ad Provinciam Campaniae Missionem hanc pertinere jam diximus.

Etiam in Vicariatu *Kiang-nan* [1], qui ad provinciam Franciae pertinet, turbas movere conati sunt homines seditiosi. Quibus id quidem alicubi successit; at plerisque in locis quies perturbata non est. Quamquam igitur Ecclesiae scholaeque aliquot incendio deletae sunt, strenue tamen ac severe obnitente qui vices Regis agebat, magnum detrimentum Missioni illatum non fuit. Die 1 Julio 1907 numerabantur Christiani 164.088, distributi per civitates vel municipia 1227 provinciae Kiang-nan, quae ipsa a Missionariis divisa est in regiones pagosve 113. Singulis regionibus Missionarius plerumque unicus; dividuntur iterum pagi in sectiones 18, qui sibi praepositum suum quisque ministrum habent. Praeter Vicarium Apostolicum, e Societate Missionarii in toto Vicariatu sunt 186. Saeculares quoque Sacerdotes numerantur 49, moniales plurimae, scholarum magistri plus quam 700 et magistrae circiter 780, virgines denique, quae magistrae futurae sint, 800.

In civitate Chang-hai paroeciae sunt 4, hospitia 3, pro pueris instituta 3, 3 etiam pro puellis. Nostri autem in docendo adjuvantur a Fratribus, qui dicuntur « Petits Frères de Marie », a Sororibus S. Vincentii a Paulo et a Sororibus quae dicuntur « Auxiliatrices du Purgatoire ». Sorores etiam, quae dicuntur « Petites Sœurs des

[1] Id., ibid., *Le Kiang-nan*, chap. VI, pag. 161 ss. * *Roothaan*, cap. XII, fol. 189 ss.

Pauvres », pridem inaugurarunt asylum, quo recepti jam curantur senes 312.

Zi-ka-wei porro civitas suum habet Scholasticatum Societatis, Seminarium majus minusque cum alumnis 51, Collegium cum 266 discipulis. Ubi in publicum etiam editur folium bis in hebdomada, typisque vulgatur periodicum « Messager du S. Cœur ». In eadem denique civitate Universitas est inchoata, cum auditoribus 172, unaque specula observandis, quae mari caeloque fiunt, phaenomenis destinata.

Jam, exspectatione ducti laetissima, a Sinensi imperio ad *Japoniam* [1] oculos convertimus, ubi quippe a S. Francisco Xaverio fundata Missio tam prospera olim effloruit tot Martyribus insignita. Qui, anno 1841, ad Chang-hai appulerant Patres, de Japonia aliquando petenda cogitarunt, neque alia Pontificis voluntas erat. Verum, cum tam ingentes in Sinis prostarent labores, perfici consilia istiusmodi eo tempore nequaquam potuerunt. Aliis igitur restaurandae Ecclesiae illius negotium demandatum eo successu fuit, ut hierarchice ordinatae Dioeceses 5 in Japonia jam exstent. Anno autem 1905, quo cum S. Sede de Japoniae negotiis tractare Imperator coeperat, praecipua aliqua inter gubernium Pontificisque allegatum, Ill. O'Connell, agitata quaestio haec fuit, utrum Universitatem Catholicam in civitate Tokio institui Jesuitasque ad eas regiones denuo evocari expediret. Ea quidem res ut a Japonibus exoptata, ita Sanctae Sedi accepta erat. Pius Papa X proinde, Septembri mense 1906, fundandum Institutum Studiorum superiorum Societati statim obtulit [2]. Cui operi ordinando mox destinati sunt Patres 3: P. Jacobus Rockliff, P. Henricus Boucher et P. Josephus Dahlmann. Praeter quos, Januario mense 1910, Missionarii duo in Japoniam iter direxerunt. Nunc in Japonia Missionarii laborant sex.

In *India* [3] quoque fundatis a S. Francisco Xaverio Ecclesiis, suppressa Societate, tristissima illata clades est, quae postea etiam,

[1] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 188 ss. *Die Katholischen Missionen*, 1909-1910. — Ligneul et S. Verret, *L'Evangile au Japon au XXe siècle*, Paris (s. d.). — G. W. Knox, *The development of Religion in Japan*, New-York, 1907.

[2] Appendix Congr. gen. XXV, p. 4, decr. 6, in *Instit. S. J.*, Tom. II.

[3] Bussière, *Histoire du schisme portugais dans les Indes*, Paris, 1854. — Suau, *L'Inde Tamone*, Paris, 1901. — D. Guchen, S. J., *Une âme d'apôtre, le Père Victor Delpech S. J., missionnaire au Maduré* (1835-1837), Paris, 1899. — *Katholische Missionen*, 1874-1876. — A. Jean, S. J., *Le Maduré, l'ancienne et la nouvelle Mission*. 2 Vol., Bruges, 1894.

deficientibus Missionariis, gravior in dies acciderat. Lusitanorum praeterea, qui erat, patronatus damna huic Missioni inferebat revera ingentia. Ulissyponense quippe gubernium a se nominatos Episcopos *suis* unius navibus Missionarios eo transvehebat. Verum, pactionis leges parum curans, Lusitania non solum Jesuitas expulit, sed anno 1833 alios etiam religiosos Ordines inde deturbavit, atque anno 1834 in publicum ecclesiastica bona addixit. Suis igitur obligationibus vicissim etiam solutum se existimans, Gregorius XVI Vicariatus primum erexit Madras et Calcuttae, tum Ceylon et Pondichery, denique Apostolicam Praefecturam Madurensem. Ipse quoque Pontifex Jesuitas in Bengaliam et Maduram misit. Erat vero tristissima Bengaliae conditio. Immensa enim regio ista Missionarios numerabat haud amplius 20; qui vero Goani erant clerici, reprehensione gravi nequaquam vacabant. Usi quoque ista rerum conditione, Protestantes augmentis validis propagabantur.

Anno igitur 1834, Pater Robertus de S. Leger, cum Patribus Anglicis aliquot, Missionis operam *Calcuttae* inaugurarunt [1]. Qui in ipsis plateis primum concionati, scholam deinde instituerunt Collegiumque sunt auspicati. At, ecce mox obloquentes adversarios, nimium propagari Patrum labores. Rem tamen parum morati, Nostri, annuente Roma, acceperunt quod dicebatur « Seal College », indigenis (Hindoes) destinatum, ibique per annos aliquot operam suam impenderunt. Quod cum Brahmani paulatim aegre ferre coepissent, Jesuitis abeundi veniam dederunt. Tandem, posteaquam cum Illmo Careu intercessit altercatio aliqua de exemptione, Nostri anno 1846 e regione illa cesserunt. Anglorum igitur Patrum Missio ista obtinuerat per annos 12.

In *Madura* [2] porro Nostri laborem suum impendere coeperant, anno 1837, vocati nimirum a Patribus Missionum Exterarum (*Missions étrangères*), qui operae ipsi suae vix non succumberent. Galli igitur Patres 4, sub Vicario Apostolico Pondichery, Illmo Bonaud constituti, extremum paeninsulae cornu fide excolendum susceperunt. Quibus facta quoque facultas est, debitis additis legibus, « exercendi artes medicinae et chirurgiae » [3]. Verum erat hujus etiam

[1] * *Epist. Patris Roothaan ad Patrem Robertum de S. Leger, 21 Apr. 1834*,

[2] Piolet, *Missions*, Tom. II. — Suau, S. J., *Le Maduré*, p. 183 ss. — **Roothaan*. cap. XII, fol. 182 ss.

[3] * *Bull. S. J.*, I, p. 129.

Missionis conditio miserrima. Nacti praeterea Nostri sunt Indo-Lusitanos Sacerdotes vehementer obsistentes atque ipsum Brevo *Multa praeclare* falso proferri declarantes. Sed a gubernio quoque Patres vexationibus impediti sunt. Ad militare quidem consilium evocatus est Pater Garnier; anno jam 1840 defuncti sunt Patres Martin et Bournet [1]; Pater autem Bertrand postea veneno absumptus est. Ipso deinde anno 1843, inopia immanique labore Missionarii 7 succubuerunt. At enim eae victimae erant, quibus infidelium convertendorum opus prosperaretur. Anno quippe 1842 erant in Missione hac Catholici 118.400, schismatici 36.500 et Protestantium 38.000. Suus autem Missioni Madurensi Vicariatus Apostolicus factus jam est anno 1847. eique praepositus Illmus Dominus Canoz S. J., qui per annos 40 Ecclesiam hanc gubernavit [2]. Ejus initio Missionarii tantum 24 erant. Quoniam vero Anglorum etiam gubernium paulatim intelligere coeperat, praestantiora esse jura Missionariorum quam Lusitanorum schismaticorum rebellionem. ipsius Missionis progressui fideliumque numero augendo id valde propitium fuit. Nunc habet e Provincia Tolosana Missionarios 208.

Reluctantium autem Sacerdotum Indo-Lusitanorum quasi propria sedes in ipsa civitate *Bombay* erat [3]. Carmelitae sane Itali, conditionem ab istis sibi factam diutius ferre non valentes, loco tandem excesserunt. Ac similis quidem fortuna Vicariatus vicini Patna, ubi Illmus Dominus Hartmann cum suis missionariis Capuccinis in sua ipsius Ecclesia obsidione cinctus fuit (1849). Qui haud longo tempore post veniam Roma petiit, ut Jesuitis traderetur Vicariatus Bombayensis. Ac reapse, anno 1856, e Germania Socii eo venerunt. Biennio deinde post, ipse Illmus Dominus Hartmann recessit; mandatum Vicarius Madurensis Illmus Dominus Canoz accepit ut Bombayensem Vicariatum ordinaret [4]. Quo facto, 18 Decembri 1860, Bombayensis Vicarius Apostolicus nominatus est Pater Walterus Steins-Bisschop, e Provincia Neerlandica So-

[1] * *Epist. Patris Roothaan ad Patrem Garnier, 18 Januario 1841*, qua Patrum zelo moderatur.

[2] Patri Roothaan nisi aegerrime persuaderi non poterat ut sineret, vel in ipsis Missionibus, e Societate Episcopos esse. Cf. *Mgr. Alexis Canoz S. J., par un Père de la même Compagnie*. Paris, 1891, p. 103 ss.

[3] *Katholische Missionen, 1874*, p. 14 ss.; 132 ss.; 1876, p. 117 ss. — *Acta et Decreta Concilii Prov. Bombayensis Primi, in civitate Bombay 1893*, Bombaii, 1898.

[4] * *Bull. S J.*, I, p. 254 s.; p. 255 s.; p. 256; p. 256 s.

cius [1]. Qui in regionem istam adveniens, conventum inter Papam et Lusitaniam pridem promulgatum reperit; erat vero ea gravissima Vicariis Apostolicis clades, quippe qua schismatici Indo-Lusitani rebellionis suae quasi victoriam referre viderentur. Magna tamen diligentia atque insigni sapientia opus suum aggressus et prosecutus est ita, ut qui, anno 1867, ei proficiscenti successit, Illmus Dominus Meurin, Collegium unum perfectum, inchoatum alterum inveniret. Erant autem ibi instituta ejusmodi maxime necessaria, quippe cum Bombayensis civitas, cultura multum progressa, suam jam haberet Universitatem, suas bibliothecas. sua Collegia, suos doctorum virorum coetus. Suos porro Patrum etiam labor prosperos successus a Deo consecutus est.

E Bombayensi autem Vicariatu Illmus Dominus Steins-Bisschop profectus *Calcuttam* [2], Illmo Dño Augusto van Heule S. J. in eo Vicariatu successurus. Missio enim Calcuttensis, sive Bengaliae Occidentalis, anno 1859, commissa fuerat Provinciae Belgicae. Quo adveniens Pater Depelchin, cum Patribus 6, Missionis alicujus ruinas tantum nactus est. In frequentissima quippe civitate illa, cujus, computatis quidem suburbiis, incolae erant 1.700.000, Europaeorum haud amplius 20.000 numerabantur, e quibus Catholicae religionis homines inter 7 et 8000, fortunae conditione pauperes. Quo igitur fidei augeretur auctoritas, erigendum Collegium fuit. Ac reapse die 10 Januario inauguratum Collegium est S. Francisci Xaverii, ejusque, quo die Vicariatum moderaturus adveniebat Illmus Dominus Steins-Bisschop, discipuli jam erant 350.

Quartam in India Societas accepit Missionem *Mangalorensem* [3]. Jam quidem medio saeculo XIX Missionarios nostros ibi expetierant, quippe cum oneri isti diutius ferendo Patres Carmelitae pares non essent; eorum enim, anno 1878, Sacerdotes non supererant nisi 6, dum Protestantium numerabantur Stationes 20, 65 scholae, Collegium unum amplissimum. Anno igitur 1877 Pius IX Missionem istam Societati commisit, quae ad Provinciam suam Venetam eam detulit. Quo ubi primum Missionarii nostri,

[1] Ibid., p. 261 s.; p. 263 s.

[2] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 186 ss. — * *Bullar. S. J.*, I, p. 313-315. — De Calcutta vid. *Missions belges*, quaeque edita est lucubratio anno jubilaei, 1909: *Quinquagenaria Missio Calcuttensis*, 28 Nov. 1859 - 28 Nov. 1909.

[3] Cf. * *Roothaan*, cap. XII. — S. F Zanetti, S. J., *La Missione di Mangalore* Milano, 1895.

anno 1879, advenerunt, Collegium inaugurarunt cum discipulis 150.

Anno proinde 1880, Societatis in India Missiones erant omnino quatuor, quarum suum quaeque Vicarium Apostolicum suumque Collegium, e Provinciis nostris quatuor habebat: e Provincia quippe Germanica, Bombaii; e Provincia Belgica, Calcuttae; e Gallorum Tolosana Provincia, Pondichery; ex Italorum Veneta Provincia, Mangalore. Quibus Collegiis commoda religionis procurata sunt quam maxima; tum vero etiam e Missionariorum vita atque cultu palam apparuit, Ecclesiae Romano-Catholicae nullo quidem modo id evenisse, quod ex Indo-Lusitanorum parum honesta vivendi ratione opinari aliqui jam coeperant, ut nimirum collapsis viribus illa jam defecisset.

Nostri igitur summa diligentia suique omnimoda abnegatione labores suos Missionibus illis impendere perrexerunt usque ad annum 1886, cum maximi momenti mutatio universae Ecclesiae illius Indicae obtinuit. Etenim cum Lusitania eo anno celebratum est conventum novum, quo deformitati multimodae finis demum imponebatur. Ac primum quidem suis limitibus circumscriptus est antiquus ille Lusitaniae patronatus. Deinde vero instituta Hierarchia est. Goanus quippe Archiepiscopus, facto ei nomine Patriarchae Indiae, suffraganeos accepit Episcopos Cochin, Damaum et Mylapore. Id deinde convento, additaque anno 1893 mutatione illius, procuratum est ut provincia unaquaeque ecclesiastica, quantum quidem fieri potuisset, attributas singulis religiosis coetibus Missiones omnes complecteretur: nempe in provinciam ecclesiasticam Pondichery collectae Missiones erant Patrum Missionum [1] ad exteros (Missions étrangères); in provinciam Agra, Missiones Capuccinorum; in provinciam Verapoly, Missiones Carmelitarum; in Provinciam ecclesiasticam Bombayensem, Societatis Missiones omnes, excepta tantummodo Missione Calcuttensi. Reliquum jam est ut de singulis Dioecesibus, quae Societatis hominibus commissae fuerunt excolendae, pauca quaedam addamus.

Germanorum Patrum Missio Bombayensis complectitur Archidioecesim *Bombay* cum Dioecesi *Poona*. In Archidioecesi Christiani sunt 18.000; in Poona Dioecesi 16.200. Operam in ea Missione na-

[1] PIOLET, S. J., *Les Mission Cathol.*, etc. Pondichery, etc., Tom. II, p. 231 ss.

vant e Provincia Germaniae Socii 125, cum Sacerdotibus indigenis ferme 30. Anno 1907 Universitatis Bombayensis auditores erant 275; Collegii autem eodem anno alumni 1470, praeterea in aliis Collegiis 4, erectis in civitatibus Mazagon, Bandora, Poona, Karachi, discipuli simul omnes 3500. Quibus si instituta puellis educandis destinata addideris, numerabis universae Missionis discipulorum ferme 10.000.

Italorum deinde Venetae Provinciae Missio Mangalorensis ipsam *Mangalorensem* [1] Dioecesim complectitur. Cujus sunt Christianorum 93.000, e Societate Missionarii 64. Recensenda hoc loco veniunt Collegium Mangalorense cum discipulis 620, Seminarium Kankanadi cum 36 alumnis; Mangalorae praeterea hospitium, destinatum senibus asylum, atque imprimis leprosorum institutum celeberrimum, cujus fundator ac per multos annos moderator insignis ille vir, Pater Augustus Müller e Provincia Marylandiae-Neo-Eboracensi. Ac praeterea omnino hic nominanda videtur recens illa expeditio facta apud omnium Indorum pauperrimos Korgar [2].

Madurensis porro Tolosanae Provinciae Missio complectitur Dioecesim *Trichinopolitanam*. Christianorum autem sunt 246.000, quibus laborem suum impendunt Socii nostri 210 cum saecularibus Sacerdotibus 15. Discipuli in Collegio instituuntur 1872; Ecclesiarum et Sacellorum numerus ad 1093, puerorum scholarium ad 14.229 evectus est.

Bengaliae porro Occidentalis ad Belgicam Provinciam pertinens Missio complectitur ipsam Archidioecesim *Calcuttensem* [3]. Quae enim hujus suffraganeae sunt dioeceses, Assam, Dacca, Krishnagar, ad Nostrorum curas haud spectant. Quam Missionem, ante hos amplius 50 annos a Pio IX Societati commissam, ad Provinciam Belgicam detulit Pater Beckx. Posteaquam, 28 Novembri 1859, Pater Depelchin cum Patribus Belgis 4 et 2 Anglis Calcuttam navi appulit, operariorum deinceps numerus singulis annis auctus vel certe suppletus est [4]. Ac jure quidem Praepositus Provinciae, ipso eorum

[1] * *Roothaan*, cap. XII.

[2] *Relazione di P. Alessandro Camisa d. C. d. G., missionario nel Mangalore. Estratto dalle « Missioni Cattoliche »*, Milano, 1911: « *I Korgar nella Missione di Mangalore* ».

[3] *Roothaan*, cap. XII, fol. 186.

[4] *Epist. R. P. Praep. Prov. Jos. de Vos. ad Patres Prov. Belg., 1 Nov. 1909.*

jubilaeo anno quinquagesimo, ad Patres et Fratres Missionis Bengalensis haec scribere potuit:

« Rebus hoc dimidio saeculo gestis, ad historiam librorum annalium, quibus de convertendis ad Evangelium infidelibus narratur, pagina jam addita est plane gloriosa; quippe qua, quam sit vivida Ecclesia Christi, conspicue eluceat. Annuo enim vestrorum ministeriorum elencho apparet, continuis augmentis crescere numerum Catholicorum atque vestris laboribus partos durare fructus. Sunt porro inter vos Societatis Collegia florentissima, nostris Religiosis efformandis instruendisque institutae Domus, indigenis docendis erectae scholae, quarum sit maximum momentum. Geographicis Indiarum tabulis, loca laboribus exculta notantur pluries centena, Stationes etiam sive praecipuae sive secundariae, quibus neophytarum multa millia colligantur. Latissimum per istas regiones quasi rete extenditur, quo, vestris pietatis, instructionis, caritatis, institutionis oeconomicae et socialis operibus, magis ac magis constringendo, quas Evangelio civitates provinciasque peperistis, in dies firmius obtinere possitis. Quicumque inter vos Patres sunt, Scholastici, Coadjutores, quicumque Sacerdotes sive paroeciis praefecti sive Missionarii per istas terras excurrentes, zelo certant animarum atque ipsos se totos, operae nusquam parcendo, proximorum usibus impendunt in iis laboribus, quos sibi obedientia commissos habent. Vestra omnium virtute ac devotione, quae Catholica religio ante hos quinquaginta annos in infimo pretio erat, suam sibi conciliatam jam habens auctoritatem, publici gubernii summos officiales quoslibet atque ipsos etiam adversarios suos ad reverentiam quasi coegit. Verum successus illi solatio pleni multo vobis constiterunt, gravissimis dico incommodis atque aerumnis, molesta egestate, calamitatibus atque contradictionibus, ita ut non paucorum labefactatae vires fuerint et ex optimis quibusque operariis praematura morte abrepti nonnulli decesserint. Inter quas tamen difficultates suum Deus providus provexit opus, atque ab Apostolis strenue tolerata crux, quod quidem solet, ipsa animarum inferno ereptarum pretium fuit » [1].

Miro imprimis successu prosperati sunt labores Patris Lievens, qui, spatio annorum octo confectus viribus, in Belgium deinde re-

[1] *Epist. R. P. Praep. Prov. ad Patres et Fratres Missionis in Bengalia Occidentali, 15 Oct. 1909.*

diit diem obiturus. Qui insignis Missionarius, contra immanes Hindouorum et Mahumetanorum exactiones tutando indigenas, eorum ad se animos mox converterat. Unde ad Ecclesiam accedentium numerus ita in dies augebatur, ut novae semper Stationes instituendae essent, atque, laboribus Patris Lievens eorumque qui illi successerunt, numerus baptizatorum censeatur ad 74.914, catechumenorum ad 78.285. In universa autem Missione operam suam hodiedum navant Socii nostri Belgae 281; erant, die 1 Septembri 1909, baptizati Catholici 101.008, catechumeni 79.549; Ecclesiae et Sacella 456; scholae 177, quibus docebantur pueri et puellae omnino 13.992 [1]. Collegii in civitate Calcuttensi discipuli sunt fere 800; in loco Darjeeling, 200.

Societatis Provincia Belga in insula *Ceylan* [2] quoque Missionem habet et Seminarium, quod dicitur, regionale. Norunt omnes, a Leone XIII, anno 1893, Dioecesium in ista insula numerum duabus auctum fuisse, ut jam sit archidioecesis Colombo cum suffraganeis Jafnapatam, Kandy, Galle, Trincomali.

E quibus dioecesis *Galle*, ad curas Provinciae Belgicae delata, primum suum Episcopum, 11 Januario 1895, accepit Illm̃um Dominum van Reeth, cui commissum simul est ut administrationem gereret dioecesis Trincomali. In sua autem ipsius Dioecesi Sacerdotes ille habet fere 30, e quibus paucos indigenas [3]. Episcopale porro Collegium discipulos censet amplius 250, dum Catholicorum numerus anno 1907 excedebat 9000.

Dioeceseos Trincomali, quae, Sociis Provinciae Campaniae commissa, a die 27 Augusto anni 1895 primum suum ipsa Episcopum habebat, Illm̃um Dominum Lavigne [4], Catholicorum numerantur fere 20.000, Missionarii 20. Collegii, in loco Batticoloa instituti, discipuli sunt plures 100.

Indianorum regionale, de quo diximus, Seminarium in civitate Kandy a Nostris Belgicae Provinciae Sociis gubernatur. Leo PP. XIII, qui anno jam 1890 erigendum institutum istud de-

[1] *Quinquagenaria Missio Calcuttensis: 28 Nov. 1859 - 28 Nov. 1909.* Cf. etiam *Au Congo et aux Indes*, Bruxelles, 1906: *Ceylan, Bengale occidental*, par Victor Le Cock, S. J., et Grégoire van Ansten, S. J.

[2] Piolet, l. c., Tom. II, p. 125-138. — Van der Aa, *L'île de Ceylan*, Bruxelles, 1900. — Mgr. Zaleski, *Ceylan et les Indes*, Paris, 1891.

[3] *Bullar. S. J.*, I, p. 520 ss.

[4] * Ibid., p. 557 s. Obiit 10 Iulio 1913, Montis-Pessulani.

creverat, ac per Delegatum suum Apostolicum dein mox inceperat aedificia struere, tandem anno 1893, Seminarium Pontificium Leonianum [1] pro clero indigena omnium Missionum Indiae et Ceylan, sub directione Societatis a se positum, instituit. Situm illud habet in media insula prope a civitate Kandy. Mandatum autem Belgicae Provinciae fuit ut Rectorem Lectoresque Seminario provideret. Cujus quamquam initia erant exigua valde. Pater quippe unus et duo tresve alumni, quoniam tamen vitale ipsum erat, anno insequenti jam numerabat discipulos 12; is porro numerus hodiedum evectus est ad 110, quorum sunt Magistri Lectoresque 12. Utentes autem *Ratione studiorum* Societatis, litterarum studiis supplendo vacant per annos duos vel tres; quibus elapsis, Philosophiae per tres annos, Theologiae per annos quatuor operam navant. Erant quidem aliquando qui putarent periculum istud esse, ne Nostri sibi adjutores ambitiosos atque inquietos, imo adversarios ita efformarent. Quibus Patres, ipsis quippe rebus gestis insistentes, responderunt, periculum istiusmodi tunc tantum adfuturum, si quando religiosa alumnorum conformatio negligeretur. At *religiosa* plane institutione imbuuntur hi saeculares futuri Sacerdotes. Immo vero hoc quoque in consiliis est ut Prolytae ac Doctoris gradibus iidem aliquando insigniri possint. Cujus Seminarii Pontificii commodis, ex universis Indiae Dioecesibus 36, usae jam sunt 29; ejus autem Sacerdotes ad hanc usque diem ordinati sunt plures quam 60.

In regionibus porro *Mahumetanorum* [2] suae Societati jam ante suppressionem Missiones fuerunt. Constantinopoli quidem inter annos 1583 et 1773 pestilentia absumpti sunt e Societate homines amplius 100. Ac magnopere gavisi sunt, qui unioni cum Romana Sede faciendae adversabantur, quum, suppressa Societate, in his etiam regionibus penuria Sacerdotum invaluit tristissima. At anno jam 1805, cum in ipsa Russia Nostrorum Domus nisi paucissimae non erant, in insulas Maris Aegei Jesuitae advenerunt. Suppressa nimirum Societate, in Statione remanserant sua Patres aliquot; atque ipso anno 1805 superstes ibi erat Pater Mortellaro. Denuo igitur illi Missiones Tenensem et Syrensem [3] susceperunt; quod fuit initium ejus, quam in Archipelago isto Missionem etiam hodiedum

[1] Cf. Van der Aa, *L'île de Ceylan*, Bruxelles, 1900.

[2] *Roothaan*, cap. XII, fol. 176 ss.

[3] Piolet, S. J., *Les Missions Catholiques françaises au XIX^e siècle*, Tom. I.

*Provincia Sicula* habet. Nostri quippe ibi inter medios Graecos pusillum gregem suum custodiunt atque augent. In Moravia quoque Stationes quatuor *Provincia Galiciae* obtinet; dum *Veneta Provincia* in Albaniae civitate Scutari Collegium unum habet, atque in eadem regione illam Missionem ad excolendos montium incolas. Quarum Missionum Patres obscure quidem, at cum ingenti utilitate, labores suos impendunt [1].

Majus vero momentum earum Missionum est, quas in *Syria*, *Armenia*, *Aegypto* et *Algeria* e *Provincia Lugdunensi* Patres excolunt. Anno videlicet 1818 Patriarchae Orientales in *Syriam* [2] Societatem inducere conati jam erant. Verum matura res ista nondum erat, quippe cum ipsi in Europa Patres debitam conformationem suam atque ordinationem nacti nondum essent. A consiliis tamen suis non recesserunt Orientales, quibus ipse Cardinalis, Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando Praefectus, Maurus Cappellari favebat. Vixdum igitur ad Summum Pontificatum evectus ille erat, facto sibi nomine Gregorio XVI, cum, anno jam 1831, ad Orientalium vota accedere Societatem jussit. Qui primi in illas regiones advenerunt, Patres tres, mox immanibus se objectos difficultatibus intellexerunt, omnia nimirum passim infestante Mehemet Ali, atque Drusis Maronitisque inter se lacessentibus et interficientibus. A Turcis tamen Stationem acceperunt in loco Bikfaya; in loco etiam Muallakah, ab iis, qui Aegypti partes sectabantur. Anno deinde 1841 *Berythi* scholam instituerunt, ac praeterea in regione Hauran impigram operam impenderunt.

Adde, quae interdum Patres implenda acceperunt, peculiaria mandata; ut cum in Mesopotamia Patri Planchet commissa est lis quaedam inter Delegatum Apostolicum istiusque regionis clerum dirimenda, atque procuranda acceptatio decisionum Romanarum; eidem porro commissum ut Graecus quidam, a schismate conversus, Episcopus vindicaretur ab aggressione Turcarum et schismaticorum; tum etiam ut ordinaretur Chaldaea Patrum Dominicanorum Missio. Qui, posteaquam anno 1850 Delegatus Apostolicus nominatus

[1] * *Litt. ann. Missionis Tenensis et Syreusis, ad ann. 1834.*

[2] * *Epist. Patris Roothaan ad Patrem Planchet, 3 Junio 1833; ad Patrem Ricadonna, 7 Majo 1835.* — * *Note sur les Missions S. J, en Syrie, remise en 1844 a Mr. l'abbé de la Croix.* — JULLIEN, *S. J., La nouvelle mission de la Comp. de Jésus en Syrie (1831-1895)*, 2 Vols, Paris et Lyon, 1899. — *Echos d'Orient*, Tom. IX-X (1906-1997). — PIOLET, S. J., o. c., Tom. I, p. 295 ss.

est, atque consecratus, anno 1853, Episcopus Mossoul, anno deinde 1859 Orfae caede occubuit [1].

Quae *Missio Syriuca* ad annum usque 1843 ipsi Praeposito Generali immediate subjecta fuerat, eodem anno ad *Provinciae Lugdunensis* curas delata est. Gallorum sane in illa regione auctoritati Gallicaeque linguae usui ea res non parum favit. Eodem etiam anno 1843, in loco Ghazir ortum Seminarium erat; cujus initio quidem alumni soli duo fuerunt; qui tamen, ipso illo scholari anno exeunte, facti jam erant, ex omni ritu, 25. Mox etiam Collegium aedificatum est, juxta Seminarium. Anno autem 1859, Seminarii alumni erant 80, in Collegio discipuli 120. Quod sub idem tempus ortum est institutum Mariamettarum, religiosae quippe magistrae illae sunt, scholares hodiedum censet 3500. Residentiae quoque erectae sunt, anno 1853 in loco Zahlé, in loco Saida anno 1857. Istis autem rebus omnibus crescente Catholica Gallorum auctoritate, immanes secutae sunt anni 1860 Syriacae caedes; quibus e Nostris caesi 5 sunt; Christianorum interfecti propemodum 8000; deleti vici 360; dirutae aedes sacrae 560, monasteria 42, scholae 22. At cruentae tragoediae iste primus tantummodo actus fuit; altero, qui Damasci secutus est, interfecti sunt homines 8500, e quibus erant Praelati 4, Syriaci Sacerdotes 50: ex Ordine S. Francisci omnes; dirutae sunt aedes sacrae 2, domus haud minus 3800. Quam immanem stragem Abdel Kader tandem aliquando inhibuit.

Restaurata tamen paulatim universa sunt, Gallorum beneficentia, ac praecipua quidem opera Illmi Domini Lavigerie. Ingenti collecta pecuniae vi, ope illius, quae dicebatur, *Œuvres des Ecoles d'Orient*, instituta complura orphanotrophia. Ipsa quoque Societas nostra orphanis asyla condidit Malacquae, Saidae, Berythi. Novae praeterea exstructae sunt Residentiae Damasci (1872), Aleppi (1873), Homs (1882).

Anno deinde 1880, subsidio accesserunt operarii non pauci; alii quidem e Gallia expulsi; alii vero e Missione Neo-Aurelianensi, quae sui juris eo tempore facta est; alii denique ,ex Algeria profugi, in Syriam migrarunt. Effloruit proinde novis augmentis Missio, ut prospero successu Nostri in regione Hauran, inter Drusos et schismaticos, operam suam impendere potuerint. Omnium tamen maxi-

[1] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 179 ss.

me ipsa Berythensis civitas prospera facta est illo novo Missionariorum subsidio. Eo quippe in loco, Nostrorum, jam anno 1839, Residentia fuerat; cui deinde, anno 1841, schola addi potuerat. At, quae Protestantium quasi Universitas Berythi erat, eorumdem vehementer auctoritatem augebat. Hanc igitur ut labefactarent, Nostri suum Seminarium atque Collegium, e loco Ghazir, Berythum transtulerunt; Collegio deinde, anno 1875, nomen fecerunt Universitatis. Ibi instituta est, anno 1882, Facultas quae dicitur medica; cujus diploma, quod in solis coloniis Gallicis primum vigebat, agnitum deinde etiam in ipsa Gallia est, atque anno tandem 1899 a Turcarum gubernio. Berythensis medici ordinis, anno 1913, ipsi 268 auditores erant [1].

Post annum 1880, Patres integram philosophicam quoque et theologicam facultatem constituerunt, quas Leo XIII, 25 Februario 1881, a se confirmatas, indito nomine Universitatis S. Josephi, donavit « potestate conferendi gradus academicos et lauream doctoralem in Philosophia et Theologia cum juribus et privilegiis consuetis » [2]. Studiorum autem in utraque facultate rationem liquet ampliorem esse quam ut ex ipsa Syria studiosi multi numero convenire possint. Eorum sane anno 1907 haud plures 67 erant; at eodem etiam tempore ex Universitate Berythensi jam prodierant Episcopi 21 cum Patriarchis 3; Sacerdotes ex omni ritu circiter 230.

Anno denique 1902, his disciplinis addita est Facultas Orientalis, qua exercetur biblica exegesis una cum scientiis auxiliaribus, atque imprimis linguae orientales traduntur.

Universitati porro conjungitur ingens officina typographica orientalis [3], cujus typis haec vulgantur; acta diurna, *Al Bachir*, condita anno 1870; periodicum *Al Machrig*, inde ab anno 1898; *Mélanges de la faculté orientale*, ab anno 1906. Suam in hac Missione operam impendunt Socii nostri 154.

Quo tempore fundabatur Syriaca Missio, ad *Algeriae* quoque litus Pater Roothaan oculos convertit. Ibi cum Galliae pro rebus bellicis administer Bourmont, diebus 19 Junio et 4 Julio 1830, devicisset Algeriae Ducem (Dey), Gallicaeque ditioni regionem istam

[1] * *Roothaan*, cap. XII, fol. 179 ss.

[2] * *Bullar. S. J.*, I, p. 391.

[3] *L'imprimerie catholique de Beyrouth et son œuvre en Orient* (1853-1903), Bruxelles 1903.

subjecisset, dolendum sane est, in excolendis coloniis hunc deinceps obtinuisse errorem gravissimum, in Algerianis nimirum convertendis operam ponendam esse nullam. Tunc enimvero, qui ipsi libertati et pro suo cujusque lubitu opinandi facultati favebant homines, spectaculum mirum profecto exhibuerunt hujusmodi, ut, quae erat triumphatorum religio, eam continuo ad ima quasi dejectam, nec gratias ullas nisi Islamismi cultoribus indultas vellent. In erigenda quippe Algeriana Dioecesi prohibitum Illmo Domino Dupuits (1838-1846), ne quem laborem impenderet ipsis Algerianis. Admirati proinde atque irati vehementer sunt gubernii homines, ubi ad Catholica Templa convenientes viderunt Arabes, eosque audierunt una cum ceteris fidelibus inter sacra liturgiae officia concinentes, atque conspexerunt auscultantes recitatum Sacrum Evangelium. Sed nec postea ullo modo aut sane vix quidquam immutata est illiberalis ista dispositio animorum.

Primi Algeriae Missionarii erant nostri e Gallia Patres, quibus, a Patre Roothaan missis atque confirmatis, Illmus Dominus Dupuits anno 1840 commisit fundatum a se in suo ipsius praedio orphanotrophium. Anno deinde 1841, in civitatibus Algeria et Constantine, e Societate nostra Missionarii jam 7 laborem suum impendebant. Translato autem in locum Ben-Aknoun orphanotrophio Pater Brumauld mox pueros curavit 200. Cujus in magna omnium consideratione opera erat. Ipse quidem ostiatim mendicans, e plateis susceptos pueros fabrili arte erudiebat. Quo viro operaque ejus summopere delectatus, supremus ille militum dux (*maréchal*) Bugeaud, aliquando dicentibus quibusdam, « Jesuitam esse Brumaud », respondendo exclamavit: « At diabolus ille esto, per me licet; in Algeria quidem multa bona operatur; quid ego quaeram amplius? Profecto meus ille amicus erit semper ». Anno sane 1844 ipse Bugeaud ad Patrem Brumauld orphanos adduxit aliquot, quos in proelii loco ipse collegerat; eos Nostri Christianos fabrosque idoneos fecerunt. Cum igitur continuis augmentis aucta Domus ita esset ut, post annum 1850, alumni ejus numerarentur 500, atque etiam alterum mox in loco Bouffarik aedificandum orphanotrophium esset, secum ipse statuit Pater Brumauld, e Gallia quoque conquirendos orphanos esse, qua re cum orphanorum tum coloniae commodis haud parum serviretur. Quod summae laetitiae significatione exceptum consilium est, atque anno 1853 Parisiis advene-

runt pueri 200. Simul etiam Patres novas Residentias excitarunt tres, in civitatibus Algeria, Constantine, Oran. Anno 1849 Missioni huic florentissimae e Societate laborem suum impendebant Sodales 55. At gubernium, quo erant homines animo angusto ac parvo, obsistere semper perrexerunt, ne Algerianis tribubus instruendis et convertendis opera daretur.

Anno 1879, Societati a Leone XIII commissum est ut in civitate Cairo *Copticum* Seminarium excitaret. Quod inchoatum quidem est discipulis 12, verum ob ingentes rei difficultates ac rebellionem Arabi Pasha diu stare non valuit. Postea vero in Aegypto condita sunt Collegia duo, unum quidem in eadem civitate Cairo, cujus hodiedum discipuli sunt 450; Alexandriae alterum, cujus nunc 150 censentur discipuli; porro civitatis ejusdem Seminarium alumnos numerat quasi 10. Suum reliquae regionis laborem Missionarii, anno 1887, exorsi, Residentiam erexerunt in loco Minieh, qui milliariis circiter 250 a civitate Cairo distat. Quam autem prosperi hujus operae successus fuerint, ex ipso fructuum censu satis apparet. Nam dum uniti Coptae, quo tempore laborem suum Patres aggrediebantur, non erant plures quam 4000 vel 5000, anno 1902 schismatici conversi numerabantur 11.190; anno deinde 1905, Coptarum unitorum erant 20.000, e quibus partes conversorum quattuor; qui augmenta sua etiam nostris temporibus facere pergunt. Dolendum tantummodo est, quod Protestantes, qua pollent pecuniae vi, haud paucos illiciunt. Nostrorum porro labor alter in instituendis scholis versatur, quas hodiedum jam dirigunt 43. Eas autem opera multa constare, ex eo facile apparet, quod ex iis nonnullae a Residentia Minieh milliaribus 200 vel 250 distant. In universa Aegypti Missione, quae Provinciae Lugdunensi addicta est, e nostra Societate laborem nunc impendunt Sodales 78.

Ad eamdem porro Provinciam etiam *Armeniae* [1] Missio pertinet. Anno quippe 1880, cum Syriacae Missionis Superior exceptus a Leone XIII esset, abrupto sermone interrogans eum Pontifex, « Cordine, inquit, vobis Armenia est? ». Cui respondens ille: « Sane, inquit, Beatissime Pater, nobis illa cordi est; at Armenia multum

[1] Piolet, S. J., *Les miss. cath.*, l. c., Tom. I, p. 149 ss. — Lepsius, *L'Arménie et l'Europe*, Lausanne, 1895. — Praecipue De Damas, S. J., *Coup d'œil sur l'Arménie. A propos d'une mission de la Comp. de Jésus ouverte en Asie Mineure par les ordres de Léon XIII*, Lyon-Paris, 1888.

distat Berytho. Duae quidem novae linguae addiscendae ibi essent. Verumtamen, si eo nos Tua Sanctitas miserit, ibimus ». ... « Omnino, inquit Pontifex, ibitis; *mea* ista *Missio* atque ad *me* vos inde nuntios mittetis ».

Atqui anno jam 1881, Societatis in Armenia Residentiae erant tres, in locis Amasia, Adana, Marsivan; quibus quarta addita est, anno 1882, in loco Sivas, atque anno 1883 Caesareae quinta. Ingentes vero cum Turcis exhauriendae difficultates erant. Anno quippe 1886 occlusae scholae omnes; quae, intercedente postmodum Galliae allegato, iterum aperiri potuerunt. At magis quam ipsi Turcae molesti sunt schismatici; accedit quoque Protestantium aemulatio. Anno praeterea 1894 tremendus ille erupit cholera morbus. Protestantibus caute latentibus, Nostri ab hora tertia matutina ad vespertinam decimam aegrotis aderant, curas suas illis quaslibet impendentes. Tantum autem caritatem demirati Sivenses: « Jesuitas, inquierunt, Gallicos vidimus; Deum illi suum in corde ipsi suo gerunt; ad istorum proinde scholas nos pueros nostros mittemus ». Morbi contagione occubuerunt Patres duo. Verum nec morbo solum, sed caedibus etiam tenuati sunt Catholici. In Armenia Minori hodiedum clero indigenae collaborant e Nostris 57; accedunt sanctimoniales feminae 50, quae scholas moderantur, aegrotos curant atque caritatis opera passim exhibent. Residentiarum operibus intenti, Patres scholas ubique erigunt, quarum sibi, magno quidem religionis commodo, praesidium ac tutelam servant. Discipulorum jam sunt fere 4000. Armeniae Minoris incolae omnino sunt 2.300.000; e quibus Christiani 500.000: Protestantes quippe 14.000, Catholici 12.000 reliqui vero Monophysitae. Eorum tamen haud pauci, bona fide ducti, credunt Immaculato Conceptui, pro defunctis orant, Summum Pontificem magna benevolentia prosequuntur; Rosarium recitant, atque Sacratissimum Cor Jesu colendo venerantur. Putant enimvero, inter Gregorianos, quo nomine apud eos Monophysitae vocantur, et Romanos aliam non esse quam rituum differentiam. A qua tamen opinione abducti, multi inter illos ex animo convertuntur, atque adeo pagi interdum integri ad Romanam communionem accedunt. Quodsi gubernium quodpiam Catholicum a cruentis Mahumetanorum caedibus defendere ac tutari eos posset, probabilis quidem conjectura est, magnam partem ad Romano-Catholicam religionem transituros.

Antea vero quam ex Africa atque ab ipsis Missionibus discedamus, memoria etiam recolamus oportet, quam Missionem ultimam Pater Roothaan in istis regionibus constituere conatus est. Quo videlicet tempore tantopere derelicta mundi pars ista erat, tentare ille voluit, si quo modo ad eas terras, quae in tabulis geographicis nomine *regionis ignotae* indicabantur, penetrare Nostri possent atque Missiones iis in locis constituere. Cujus quidem incepti occasio reique gerendae historia cujusdam quasi tragoediae seriem exhibet, qua oppositae inter se fraus atque fides, ignavia atque animi fortitudo, narrationem, summo colore illustratam ac rerum momentis animos vehementer commoventem, sub oculos subjiciunt.

Ejus nimirum novae Missionis instituendae consilium, rationibus omnino instructum, Congregationi de Propaganda Fide propositum est a Sacerdote quodam, cujus ipsa dignitas atque amplitudo ad fidem faciendam interposita videretur. A Societatis igitur Praeposito Generali quaesitum, utrum tentare ipse vellet inceptum illud gravissimum. Atque is quidem cum esset Pater Roothaan, cujus ardens fidei studium recusare apostolicum laborem nullum nosset, praesertim si qua res cum periculis conjuncta atque humano auxilio destituta videretur, ad petitionem accessit, ut Societas sternendo pararet viam ad novam Missionem illam, quae tamen ipsa ad Congregationem de Propaganda Fide semper pertineret.

Autumno proinde anni 1846, Patres misit tres, robustos illos viros ac strenuos, quorum Superiorem constituit Patrem Maximilianum Ryllo. Is, die 31 Decembri 1802 in Russiae loco Podorosk natus, Societatis Provinciam Romanam ingressus erat 29 Septembri 1820. Annis deinde compluribus in Missione Syriaca, in Melita insula atque in Sicilia laborando positis, die 4 Julio 1844 Rector constitutus est Collegii Urbani Congregationis de Propaganda Fide. Quo munere dum fungebatur, Pater Roothaan eum isti operi in Africa Centrali suscipiendo praefecit. Autumno itaque 1845, Pater Ryllo cum aliis Patribus duobus, Propagandaeque alumno uno profectus est ad Aegypti civitatem Alexandriam, exspectaturus scilicet Sacerdotem illum, a quo diximus Missionis hujus suscipiendae institutum ac descriptum consilium fuisse, cujus etiam consilii perficiendi causa consecratus iste fuerat Episcopus in partibus. At, Nostris utcumque Alexandriae et Cairi exspectantibus, visus Vicarius Apostolicus nequaquam est, ita quidem ut perspicuum ali-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quando fuerit omnibus, haud equidem animorum zelo, verum unius episcopalis consecrationis cupiditate ductum, hominem istum consilia Missionis suscipiendae statuisse. Jam igitur voti compos factus ipse, suae ipsorum fortunae Patrem Ryllo hujusque socios reliquit. Quibus, posteaquam exspectarunt per menses aliquot, consilium datum est, ut iter suum pergerent. Relicta proinde Aegypto, per Nubiam incedentes pervenerunt ad locum Khartoum, ibique Stationem sibi posuerunt, unde nimirum per regionem istam passim excurrerent.

Exiguo deinde temporis spatio necessariae quieti dato, adverso flumine juxta ripas Nili, qui dicitur, Albi prosecuti sunt iter, incultas videlicet hominum tribus inquirentes. At narrando vix referri potest, quantas in ista via aerumnas Patres exhauserint. Nam cum proxima aequatori regio esset, intolerabilis propemodum erat aestus; calidum quippe trahebant spiritu aerem, atque ipsa tepida vehebantur aqua. Versabantur autem in continuo vitae periculo, quod fluvio crocodili innatabant multi, feraeque innumerae regionem infestabant.

Verum illi laboris atque aerumnarum obliti mox sunt, ubi primum nigritarum tribus aliquas invenire potuerunt. A quibus amice excepti et liberaliter habiti sunt, magno nimirum amore tractati. Eorum erat Arabici generis sermo, ut inter se intelligere Patres et nigritae satis apte possent; et quoniam, patriarcharum fere modo viventes, moribus utebantur simplicibus, videbatur ea ipsa Christianae vitae suscipiendae atque excolendae quasi fundamentum idoneum esse. In hospitibus porro excipiendis ut erant plane liberales, ad domicilia ipsi sua Patres induxerunt; quae, catacumbarum diceres ritu, ex terra alte effossa erant, ab aestu quippe vehementissimo eos defensura.

Patres igitur, itinere suo contenti valde atque alacri animo, in Nubiae civitatem Khartoum, anno 1848, redierunt. Ingentes illi aerumnas perpessi omnes erant, imprimis vero Pater Ryllo, qui paulo post, Junio mense 1848, in loco Khartoum vita functus est. At enim aperta Congregationi de Propaganda Fide Missio Soudanensis erat, quam illa postmodum Coetui Missionariorum Veronensi commisit; Patris autem Maximiliani Ryllo nomini honos deinceps habitus est vel maxime a Patre Roothaan.

Atque hic quasi conspectus est eorum laborum, quos Societatis

nostri Sodales exhauserunt in utraque America, in Africa, in Australia, in Oceania, in Philippinis insulis, in Sinis, in India, in regionibus illis, quae Mahumetanorum jugo subactae ingemiscunt. Qui, ineunte anno 1913, Mssionarii nostri erant 3587 [1], immensae profecto incumbunt operae, quae uti Deo gratissima ita Societatis nostrae est maxime propria. Nec vero de laboribus eorum, qui in Europa se totos animabus impendunt, quicquam detraxeris, existimans, Missionariorum aerumnis ac vitae devotione maxime fieri, ut reliquae Societatis universae laboribus Deus benedictionem suam largus impertiatur; dum vicissim tamen mox addendum etiam hoc erit, viros illos religiosa virtute insignes, qui in Collegiis, nostris studiorum Domibus, Residentiis impigram navantes operam, ipsas etiam Missiones desideriis suis petunt, hac ipsa sua sanctissima voluntate atque orationibus in causa esse, cur Missionariorum aerumnosas operas Deus benignissimus provehat.

Poteramus equidem nos multo excurrere longius, narrando fratrum nostrorum facta praeclara. Sunt enim plane egregia quaecumque perfecerunt, constanter obluctando contra ipsas naturae caecas vires, contra perversos efferatorum hominum mores, contra haereticorum invidam aemulationem, contra cruentas tyrannorum vexationes. Porro, ut virtutis laudem insignem habent, si qui per annos complures suo se muneri apostolico totos impenderint, fructum nacti, qui quidem oculis conspiciatur, nullum; ita ad animos augendos valent prosperi nonnullorum successus, qui, S. Francisci Xaverii vestigiis inhaerentes, exiguo temporis spatio multa infidelium millia ad Christiana sacra adduxerunt, quo id modo obtigit Patribus De Smedt, Lievens, Castanier, Brumauld et aliis. Verum his rebus describendis supersedentes, sermoni jam finem imponere volumus, epistola referenda, quam de desiderandis Missionibus exteris Pater Roothaan olim scribens:

« Unusquisque enim ita sibi persuadeat, inquit, virtutem ad Missionum opus necessariam, nequaquam, ita ut penulam ad iter capessendum, momento indui posse. Quare, si quis neque cum Deo familiariter agere in oratione, neque cum fratribus suis patienter

[1] Abhinc paucis annis Missionarii plures erant quam hodiedum catalogis nostris recensentur; cujus profecto causa haec est, quod cum Americae Septentrionalis Missiones complures ad Provinciarum gradum evectae his annis fuerint, earum Socii inter Missionarios jam non computantur.

ac pacifice agere, nec ferre incommoda aut tolerare fortiter adversa didicerit, et tamen ad Missiones expetendas rapiatur, hic merito illa Prophetae verba sibi dicta existimet: *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* [1]. Si in hoc tuo vitae genere, non adeo incommodo in Collegiis, molestiam accipis, si labores moderatos et ipsa horarum apta distributione leviores aegre toleras, si exiguos istos paupertatis effectus, qui vix hoc nomen merentur, si fratris tui verbulum fortasse minus officiosum vel vultum subtristem horres: quid demum tibi ipse pollicearis, ubi inter continuas aerumnas ac labores cum hominibus fortasse barbaris omnique ferme humanitate destitutis versari continget? Tene illa expetere, illa desiderare, qui haec levia, quae illorum comparatione nulla sunt, vix ac ne vix quidem sustines? Tene velle firmissime Deo inhaerere; tibi ipsi relictum, arcte cum Deo conjunctum vivere, cui in praesenti vitae genere quotidiana incitamenta, adjumenta, exempla vix sufficiunt? *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* » [2].

Quae verba, dum exhortando efficaciter stimulant eos, qui ad gravissimos Missionum labores subeundos se disponunt, laudem simul etiam insignem Societatis habent; quippe quae millenos emittat filios suos, quos quidem ipsa speret atque confidat posse cum equis contendere, viderit autem etiam a Pontificibus Gregorio XVI, Pio IX, Leone XIII, Pio X ad Missiones quascumque gravissimas iteratis vicibus expeti, missosque deinde ab iisdem in praecipuo amore haberi benedictionibusque cumulari.

[1] *Jerem.* XII, 5.
[2] *Epist. Gen.*, Ed. alt., Tom. II, p. 359 s.

## CAPUT VI

### Societatis Jesu Collegia et Studia

Ratio ob quam suppressam Societatem, post Gallicam rerum civilium perturbationem, tantopere desiderarent, instauratamque eandem studio diligentissimo exciperent homines, praecipue erat institutio, qua in Collegiis adolescentes olim ipsa formabat. Suis quippe Collegiis Societas ante suppressionem longe lateque inclarescens, tum protestanticas Germaniae regiones, saeculo XVI, obnitendo reformationi, ab extrema infidelitate vindicarat, tum in Catholicis regnis firmarat credentium fidem. Non solum iis, quas in ipsa Urbe praeclaras scholas excitarat, solide instructos conformatosque alumnos spargebat per orbem, verum etiam in aliis infinito propemodum numero locis sua studiorum instituta, ut discipulis frequentissima ita Catholicis hominibus plane accepta, dirigebat. At enim simul cum Pontificum summa benevolentia, qua Societatem illi de beneficiis, per Collegia in Christianam rempublicam collatis, saepissime laudarunt, adversus eadem praecipue Collegia directum etiam fuisse hominum iniquorum odium acerbissimum, argumento sunt tum exorientis eo tempore franco-muratorum secreti coetus, rationalistarum encyclopaedistarumque calumniae, tum vel maxime pervicaces sceleratorum hominum, ad evertendam Societatem adhibiti conatus. Quibus quum in suam sententiam tandem ita perduxissent Pontificem ut una eademque clade corruerent quaecumque Collegia ad id tempus quasi aggerem impietati morumque corruptioni objecissent, tum vero vitia ac flagitia quaelibet per orbem quasi irruperunt, saevoque isto impetu correpta juventus, turpitudinis, impietatis, seditionis quasi fluctibus volvebatur. Ipsa igitur immani hac rerum miseria compulsi, expetere homines coeperant non tantum ut solidae denuo excitarentur scholae, sed vel maxime ut illa tantopere contempta atque ad imum abjecta Societas sibi rursus restitueretur. Solida quippe Collegia in suo regno habere volens, Societati ad tempus pepercerat Fridericus II; eamdem etiam Societatem, Collegiorum nimirum gratia, Catharina II conservando tutata erat; ejusdem etsi nondum restitutae Societatis

Collegia ut sibi restituerentur postulabant Parmensis atque utriusque Siciliae principes; quorum sane alter, ipso Pio VII teste, Nostros ideo expetebat « quoniam luctuosissimis illis temporibus, ad juvenes Christiana pietate ac timore Domini, qui est initium sapientiae, informandos, doctrinaque et scientiis instruendos, praecipue in Collegiis scholisque publicis Clericorum regularium Societatis Jesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur » [1].

Suo ipsius deinde nomine sermonem prosecutus, facultatesque tribuens, quae ad praecipua Societatis opera promovenda faciant, Pius VII, recogitando solida abesse Collegia juvenumque debitam institutionem, unde tot miseriis objectus fuerit universus Christianus orbis, Societati, ut quaquaversus diffundatur ac propagetur primum largitus, haec deinde addit: « Concedimus etiam et declaramus, quod pariter juventuti Catholicae religionis rudimentis erudiendae ac probis moribus instituendae operam dare necnon Seminaria et Collegia regere.... libere et licite valeant » [2].

Cui Beatissimi Patris voluntati statim obsecuta Societas est. Nam dum quae in Russia Collegia, excepto Petropolitano, quaeque in utraque Sicilia et in Anglia erant, suo se muneri impendere pergebant, mox nova etiam Collegia complura orta sunt in Helvetia, in Italia, in Gallia, in Hispania. Iis autem ab initio propositum hoc fuit, ut, qua id ratione Societas praestitisset adhuc, juventutis educandae operi porro incumberent.

Verum ecce Nostros statim objectos difficultati gravissimae. Cum enim rerum hominumque mutata adjuncta essent, jam aliis ex legibus moderanda erat tum nostrorum hominum tum externorum institutio. Quamquam igitur, inde a suppressa Societate, educationis ipsa principia mutationem subierant nullam, attamen in iisdem applicandis haud dubium quin temperatio aliqua, imprimis quidem ad ipsam disciplinarum distributionem, huc adhibenda esset.

De temperanda igitur *Ratione Studiorum* consilia inire statim Nostri coeperant. Collegiorum enim successus ex eo vel maxime pendebat ut, dum integra manerent quaecumque in nostra studiorum distributione essent praecipua, simul tamen adjuncta complura cum recentioris temporis conditione componerentur. Ac sane,

[1] Constit. Pii VII, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 1814, *in Instit.* I, 337 ss
[2] Ibid.

anno jam 1785, qui erant in Russia Patres in ejusmodi sententiam abierant. Die quippe ejus anni 2 Octobri, cum Catharina II ex Patribus quaesivisset, nonne induci in nostra Collegia posset, quae Petropoli erat normalium, quas dicunt, scholarum studiorum distributio, mox in Congregatione Polocensi II delecti e Nostris sunt, qui, qua id ratione exsecutioni mandari posset, collatis inter se consiliis dispicerent [1]. Sed nec valde incommoda res ista accidit, cum praecipue de physicae praelectionibus augendis ageretur, ac Pater Gruber hujus disciplinae scientia atque usu in Russia omnes facile superaret [2].

Ad accuratiorem tamen *Rationis Studiorum* instaurationem multo plura, anno 1820, contulit Congregatio XX.

« Postulatum enim est a Provinciis, ut nostra *Ratio Studiorum* nostris temporibus accommodaretur. Annuens huic postulato Congregatio decrevit: Ut R. P. Generalis selectis Societatis nostrae viris curam revidendae *Rationis Studiorum* demandaret, revisamque cum PP. Assistentibus examinaret, et approbatam omnibus Societatis Provinciis observandam praescriberet; concesso tamen justo temporis spatio, ut e Provinciis Romam mitterentur observationes, quae ad emendandam expoliendamque hanc *Rationem* possent inservire » [3].

Dictu videlicet quam factu levius opus istud fuit; nec mirabitur quisquam complures deinceps annos esse elapsos, quam tota retractata « Ratio Studiorum » in Provincias mitti potuerit. Verum nequaquam licuit, tanto tempore praecipuas mutationes quasdam differri. Etenim, ne a nostris Collegiis animi hominum abalienarentur, statim habenda ratio fuit adjunctorum. « Quamobrem interim voluit Congregatio (XX), ut, ad aliquam uniformitatem in singulis saltem Provinciis inducendam, Provinciales aliquas regulas provisorie statuerent ». Periculorum praeterea cum plena tempora essent, quippe quod Gallica rerum civilium perturbatione sparsae opiniones, satis mirae, multorum animos atque ipsas scholas pervadendo infecerant, decrevit Congregatio « ut Provinciales Rev. Patri Generali proponerent elenchum opi-

[1] *Decr. Congr. Gen., in Instit. S. J.*, II. 453 s.

[2] Longius tamen in Ratione Studiorum examinanda processum tunc esse, cf. Zalenski, Tom. I, p. 401, 413, 470.

[3] *Decr. Congr. Gen., in Instit. S. J.*, Tom. II, p. 470-471.

nionum, quas a Nostris doceri aut teneri non expediret, et etiam auctorum, qui in scholis nostris praelegi non deberent » [1].

Vixdum igitur ad suam quisque domum reduces Patres Congregationis XX erant, cum recens electus Praepositus Generalis, Pater Aloysius Fortis, recognoscendae *Rationis Studiorum* commissos sibi labores statim aggredi coepit. Jam enim mense Januario 1821 Praepositus Generalis sua ad Provinciales quaesita dirigere incepit. Die sane ejus mensis 13, e Vice-Praeposito Helvetiae, Patre Godinot, quaerit ut referat ille: « Quid suarum nationum gentiles circa scientias et studia aestiment, velint et exigant tanquam usui necessarium et peritiae decorum, praecipue quoad classes inferiores: Physicam et Mathesim. Deinde, quae res in suis nationalibus academiis doceantur, et quae ibi fiat distributio horarum pro unoquoque genere harum artium ». Die deinde ejusdem Januarii mensis 31, ex eodem Vice-Praeposito de nostris Collegiis quaerit: « In quavis schola et classe quae studia tractentur, quae et quot horae in septimana illis impendantur ». Sermonem autem concludens: « Vellem etiam, inquit, scire utrum aliqua praescripta sint a regimine civili, quae immutari a Nostris non possint ». De singulis porro doctrinae generibus quaerens, « quarum linguarum peregrinarum, praeter Latinam, studium in Helvetia vigeat », hoc imprimis pervestigare conatur, « utrum lingua etiam Graeca locum habeat? ». Jam enim ante suppressam Societatem Jansenistae in suis scholis studium Graecae linguae, diminutum prius, deinde abrogaverant; ut vix non prorsus in desuetudinem abisset. Atque imprimis quidem in Helvetia Consilium educationis, quod dicebatur, antiquis linguis, Graecae potissimum, ediscendis ita adversatum est, ut recentioribus linguis illas permutari vellet. Tum denique Praepositus Generalis quaerit: « quorum auctorum praesertim Logica, Metaphysica, Ethica atque Theologiae facultates in scholis tradantur? Geographia, Mathesis, Historia, et civilis et naturalis, quomodo sit per singulas classes distributa; quaenam sint tempora vacationum, quot horis mane et de meridie in scholis soleant durare studia? » [2].

Ad eas igitur Praepositi quaestiones cum, stato tempore, ex

[1] Ibid., p. 471.

[2] Cf. G. M. Pachtler, S. J., *Ratio Studiorum*, etc., Tom. IV; *in Monumenta Germ. Paedagogica*, Tom. XIV, Berolini, 1894, p. 357-358.

omnibus Provinciis responsa Romam advenirent, commentariorum quidem copia singulis annis excreverat magis; at mortuus tamen Pater Fortis ante est quam in recognoscenda *Ratione* decerni quicquam potuerit [1]. Qua de re Congregatio Generalis XXI, anno 1829, Patri Nostro denuo institit: « ut *Ratio Studiorum* quamprimum nostris temporibus accommodaretur ». Qui autem recens electus Praepositus Generalis fuerat, Pater Roothaan, declaravit: « Se plane sentire quantum illud, quod a tota Societate flagitaretur, ipsorum temporum circumstantiae requirerent; sibi certum fixumque esse huic operi quamprimum manum applicare. Monuit tamen non tale esse negotium, quod aut leviter tractari aut brevi tempore perfici posset; quippe apud se statuisse, nil certi ea de re et per modum legis statui oportere, quod non prius in Provinciis ad praxim deductum experientia ipsa probasset. Quae aliaque in eamdem sententiam Congregatio cum gratulatione accepit et vehementer probavit » [2].

Locus sane amplus erat ingenio eximio Patris Roothaan, in labore ejusmodi gravissimo. Qui, 29 Majo 1830, ad Praepositos Provinciarum epistolam misit, qua Patres *Rationi Studiorum* recognoscendae a se deputatos ipse adsignavit; quos Septembri mense 1830 Romam venire jussit, deferentes nimirum quaecumque in sua cujusque Provincia sive annotationes sive descriptiones factae fuissent. Instanter autem monens Pater Roothaan, ut in mutationibus quibuslibet indicandis hoc ne sinerent e memoria labi, quis retractandae *Rationis* esset scopus: « Nequaquam, inquit, existiment Nostri, novam plane formandam esse *Studiorum Rationem*, cum etiam in Congregatione Generali superiori, postquam omnes primum Societatis antiquae leges, atque adeo ipsa quoque *Studiorum Ratio* novo Decreto confirmatae fuissent, dein minime quidem de *Ratione Studiorum* reformanda actum fuerit, sed de *eadem nostris accommodanda temporibus*, quo intelligatur, quanta cum reverentia hoc negotium tractandum sit, quamque non leviter. nec temere quidquam in eo opere mutandum, quod a summis viris, collatis diu multumque consiliis, redactum, et duorum fere saecu-

[1] Pachtler, l. c., p. 386 ss. Provinciae Germaniae Superioris responsa Seduno, ex Helvetia, advenerunt anno tantum 1829.

[2] *Decr. Congr. Gen., in Instit. S. J.*, Tom. II, Decr. 15, p. 479-480.

lorum experientia comprobatum, et ab ipsis etiam Societatis hostibus summis non raro laudibus commendatum fuit »[1].

Autumno igitur 1830, qui designati Patres fuerant, Romam venientes, suas quisque secum attulerunt *Annotationes de Ratione Studiorum nostris temporibus accommodanda.* Designati quidem fuerant: pro Italia Pater Franciscus Manera, pro Sicilia Pater Vincentius Garofalo, pro Gallia Pater Joannes Loriquet, pro Germania Pater Josephus van Hecke, pro Hispania Pater Emmanuel Gil. Qui ultimis mensibus anni 1830 labores suos auspicati sunt; eorum autem prout processerat elucubratio, a Praeposito Generali una cum Assistentibus, ad versum expensa est. Sic igitur, priore parte anni 1832, absolutus labor ille est, qui, ante duodecim annos tractari coeptus, provide atque constanter provectus deinde ita fuerat, ut tandem deputati Patres illi, singularum Provinciarum vota, expensa atque selecta certisque verborum formulis concepta, Patri Nostro probanda tradere potuissent.

Inductas autem mutationes qui attente consideraverit, simulque *Observationes, quibus innititur accommodatio Rationis Studiorum* sedulo perpenderit, intelliget primum quidem, in *Theologia* non esse eam partitionem conservatam, quae Summam S. Thomae sequatur: « quia, ut aiunt Patres deputati, in praelectionibus usus non est et vix esse potest auctoris in regulis assignati; sunt enim hodie plures quaestiones in hac facultate solide ac fuse pertractandae, quae olim aut omittebantur aut obiter solum delibabantur.... Porro totius doctrinae censuram in eo posuerunt, ut in rebus, quae sunt de fide aut eamdem proxime attingunt, Ecclesiae definitiones custodiantur; in quaestionibus vero scholasticis S. Thomam sequantur ».

« In Philosophia, magna, quae haec scientia cepit, incrementa Patres deputatos coegerunt, ut *Physicis* aliquanto plus et *Mathematicis* concederent, quin propterea eadem ubique et omnibus praescribenda putaverint. Caeterum in conflictu opinionum undique emergentium regulam ac normam constituerunt, quam omnes sequi debent, ut *Philosophicis disquisitionibus facem praeferat Theologia* ».

« In *Classibus inferioribus* patrii sermonis solide perdiscendi

[1] PACHTLER, l. c., p. 407.

necessitas et disciplinarum, quae accessoriae dicuntur, institutio, quae ab omnibus Provinciis postulabantur, in causa fuerunt, cur quotidiana temporis divisio immutata et praescriptae olim exercitationes aliquantulum contractae fuerint. Hoc autem tempus, quod accessoriis tribuerunt, in linguae Latinae detrimentum cessisse nemo arbitrabitur, qui perpenderit, Patres deputatos duas horas tum mane tum vespere huic praecipue linguae integras servavisse ».

Tum denique, ut *Rationem Studiorum* Nostri diligenti studio perpendant commendantes, Patres deputati « multas in ea dicunt industrias contineri, quibus, si eaedem curiose, diligenter et constanter adhiberentur, facile studia in Collegiis nostris nova in dies incrementa caperent et ad antiquae Societatis splendorem propius accederent ». Ac reapse : « tanta est enim, ajunt, regularum omnium junctura, tanta in iis elucet ars et sapientia, ut, si quid forte in scholis nostris hodiernis minus prospere procedit, non adeo antiquatarum quarumdam regularum inutilitati, quam optimarum legum aut inscitiae aut negligentiae videatur esse adscribendum ».

Quae observationes ac, motivis additis, factae mutationes ad omnes eos, quorum in Provinciis intererat, missae sunt, ut iisdem ipsi in hac *Ratione Studiorum temporibus nostris accommodata* adhibenda, dirigi possent [1].

Ac tandem die 25 Julio 1832 in omnium notitiam deducta est, datis a Patre Roothaan litteris *Ad Praepositos Provinciales, Rectores Collegiorum, Praefectos studiorum ac Professores*. Quibus ille *Rationem Studiorum* offert « usu atque exercitatione probandam, ut dein emendata iterum, ubi opus fuerit, vel aucta, legis universalis vim ac sanctionem obtineat ». Quo statim loco addere juvat, legis universalis vim illam, quae a sola Congregatione Generali addi possit, istis *Rationis Studiorum* additionibus ac mutationibus factam nunquam esse, sed eas illa tantummodo auctoritate gaudere, quae nostris insit Ordinationibus Generalium.

Socios denique hortatur Pater Roothaan ut, quibus commissum id munus fuerit, magna diligentia in educandis adolescentibus utantur.

« Cum enim, inquit, illud unum sit e praecipuis Societatis nostrae ministeriis, ob quod inter caetera et Pius VII s. mem. So-

[1] Pachtler, *Ratio Stud.*, IV, 470 ss., *in Monum. Germ. paedagog.*, Tom. XVI.

cietatem redivivam voluit, et principes ac populi eamdem potissimum expetiverunt, cogitemus, quaeso, quantum cordi nobis id esse debeat, quo Ecclesiae reique publicae de nobis exspectationi respondeamus, Deoque optimo maximo, quod caput est, operam nostram probemus: cui equidem multis Sacrificiorum millibus e Societatis thesauro oblatis supplicare pro felici hujus tanti operis successu non destiti, nec porro desistam, et in hoc eodem negotio supplices mecum apud Dominum vos cupio » [1].

Eo igitur modo in publicum edita, *Ratio Studiorum temporibus nostris accommodata* in omnibus Collegiis nostris, quae tantopere eam efflagitarant, mox post autumnales ferias majores anni 1832, adhiberi coeperat. Cui sane rei diligenter procurandae, additis litteris, institerat Pater Roothaan, « voluitque ut Superiores exsecutionem vehementer urgerent, et designarent in singulis Collegiis Patres aliquos qui successum hunc ipsum observarent et, quid forte incommodi alicubi occurreret, quid majoris commodi gratia adhiberi posse videretur, adnotarent, Praeposito Provinciali cum Consultoribus suis consideranda proponerent, qui ita expensa Romam transmitterent ».

Observationes in Provinciis omnibus factas esse, pauciores quidem hic, illic vero plures, facile intelliges. Provinciae sane Germaniae Superioris *Adnotationes* transmissae Romam sunt 12 Octobri 1835; sed neque aliarum Provinciarum omissae animadversiones. His ita sedulo collatis, satis ampla exstitit series commentariorum, quibus videlicet omnibus hoc propositum erat ut *Ratio Studiorum* vel declararetur vel etiam corrigeretur [2].

Ex iisdem autem commentariis unus praecipue nominandus, quippe cujus majus momentum esse ipsi Patri Roothaan videretur. Qui quidem sic inscribitur: *Il Ratio Studiorum adattato ai tempi presenti, ossia esposizione ragionata di alcune modificazioni che salva la sostanza del Ratio Studiorum potrebbero introdursi etc., dal P. Enrico Vasco S. J., Roma 1851, 4 vol.*

Cujus libri historia sane digna est quam attendamus. Opiniones quippe suas, scripto brevi consignatas, Pater Vasco ad Patrem Roothaan transmiserat, qui, quantum illis sibi satisfieret, die 20

[1] PACHTLER, *Ratio Stud.*, II, p. 228 ss., *in Monum.*, Tom. XIV.

[2] De bibliographia, aliqu'd PACHTLER, Tom. I, p. XLIV-LIII; imprimis vero vide seriem satis completam editam in *Woodstock Letters*, 1895, p. 119-123.

Julio 1848, auctori significavit [1]. Anno deinde 1849 ad eam maturitatem consilia sua deduxerat Pater Vasco ut eorum elucubrationem ad Praepositum Generalem deferre posset.

Quo deinde tempore Pater Roothaan complures Societatis Provincias exsul perlustrabat, in Belgii locum Brugelette, de Convictibus collocuturus, evocavit coetum, qui habitus ibi est diebus 28, 29, 30 mensis Septembris 1849. Aderant, praeter Praepositum Generalem et Patrem Philippum de Villefort, qui erat Substitutus Secretarii et Patris Generalis in itinere comes, e Taurinensi Provincia Pater Henricus Vasco; e Provincia Franciae Patres Aemilius Cor, Augustus Carayon, Marinus de Boylesve, Georgius Wagner, Adulphus Pillon; porro Pater Antonius Michelena ex Provincia Hispaniae; Pater Boetemanne, Rector Collegii Tornacensis; Pater Fridericus Bossaert, Rector Collegii Leodiensis; Pater Philippus Delvaux, Rector Collegii Brugelette et Pater Antonius Morey, Vice-Praepositus Provinciae Hispaniae.

Hos igitur congregatos Patres ipse Pater Roothaan exordio allocutus est, suam coram illis sententiam pronuntiando, Convictuum numerum restringi oportere; isti autem coetui non id propositum esse, ut qui jam exsisterent Convictus mutarentur, verum ut de principiis statuerent, quibus utendum in posterum esset volentibus novos Convictus erigere; in iisdem quidem statuendis atque usurpandis principiis id spectari debere, quod esset perfectissimum; ubi vero exsecutioni res essent mandandae, exspectari simul oportere inopinatos exitus rerumque futura adjuncta ejusmodi, quae e Superiorum arbitrio nequaquam penderent. Quibus rebus ita dictis, posteaquam Patris Vasco propositae sunt quaestiones atque consilia, ipse Praepositus Generalis una cum Patre de Villefort, rei moderandae auctoritate R. Patri Morey delata, e conventus loco recessit.

Ac primo quidem die, qui erat 28 September, statutum prius est in hanc sententiam : « Nostrorum Convictuum scopum practicum hunc esse debere, ut tales conformentur viri qui sua doctrinarum praestantia virtutumque fortitudine in humanam societatem, ad commoda religionis debitique rerum ordinis procuranda, auctoritate polleant ». Consenserunt deinde quasi uno animo omnes,

[1] *Ms. Prov. Taurin., Vasco.*

quem eventum Convictus nostri post annum 1814 habuissent, eum cum conatibus laboribusque a Societate huic operi impensis nequaquam congruere.

Die igitur secundo, qui erat 29 September, a congregatis Patribus statuta sententia atque his verbis conclusa est: « Quoniam ex una quidem parte voluntas Superiorum haec est, ut Societatis vires omnes majori Dei gloriae procurandae impendantur; ex alia vero parte, in ea, quae adhuc obtinuit, Convictuum nostrorum methodo, quantaecumque fuerunt tum privatorum hominum tum universae Societatis factae impensae, nos, quoad Convictorum nostrorum maximam partem, non eum successum retulimus, qui Convictuum fini apte respondeat; dubium non est quin omnibus conatibus sit adnitendum, ut in unaquaque Societatis Provincia eum rerum statum obtineamus, in quo istiusmodi conditionibus ac methodo novus Convictus *nunquam* admittatur; vel certe non admittatur, nisi certi simul simus, fore ut conditiones ac methodus in melius tantum mutari possint, quantum ad propositum nobis finem obtinendum opus fuerit ».

Die deinde tertio, qui erat 30 September, posteaquam Pater Vasco suum ipse consilium exposuit, propositisque sibi quaestionibus respondit, Patres congregati, sententiis illius se consentire pronuntiantes, in haec verba statuerunt: « Orandum A. R. Patrem Generalem esse, ut considerationes istas atque conclusiones cum Praepositis Provinciarum communicaret; ut certum etiam designaret Patrum coetum, qui statim novorum Convictuum rationi describendae vacarent atque inquirerent media, quibus eis publica hominum opinio bene afficeretur » [1].

Quibus rebus in Belgio ita peractis, Pater Vasco a Praeposito Generali missus est Neapolim, « ut fusiore ratione scripto explanaret, quae apud Belgas brevi attigisset. Antequam Neapolim veniret, Romae aliquandiu substitit (mense Decembri 1849), ibique a Patre Paschale Cambi, Provinciae Romanae Praeposito, rogatus est, ut coram Patribus gravioribus, qui Romae essent, sua cogitata de ephebis recte instituendis pro concione exponeret. Hujus desiderio Vasco libenter animo obtemperavit. Itaque in Domum, quam Pro-

[1] *Ms. Prov. Taurin. Conférences à Brugelette, en présence du T. R. P. Général, Sept. 1849; Vasco.*

fessam nuncupamus, eum auditum convenere magni nominis viri, videlicet Josephus Bellotti, Josephus Boero, Antonius Bresciani, Paschalis Cambi, Isaias Carminati, Josephus Manfredini, Josephus Marchi, Ferdinandus Minini, Josephus Paria, Carolus Passaglia, Josephus Pecci, Marius Rossi, Tiberius Sagrini, Angelus Secchi et Dominicus Solimani »[1].

Quibus vix non omnibus vehementer probatae sunt summae consiliorum Patris Vasco, metuentibus tamen quibusdam ne secundariae disciplinae, quod plures numero essent, obiter tantum possent attingi. Ac periculum reapse erat ne, quarum disciplinarum una tantum singulis hebdomadis praelectio esset, earum, tum minores tum majores natu discipuli, etiam per plures annos discendo, vix quidquam addiscerent. Animadvertit autem Pater Antonius Bresciani, Patris Vasco studiorum distributionem eam esse, quae in hodiernis Galliae, Angliae ac praecipue Germaniae institutis usurpari fere soleret. Qui, quamquam dolebat quod intemperantius hodiedum expostularetur a puerorum juvenumque parum solidatis viribus, simul tamen timere se dixit ut per longum tempus sive obsistere sive subducere se Societas posset; ipsam Patris Vasco rationem ac methodum probavit. Pater Secchi, studiorum rationem illam nostro Instituto nequaquam adversari ratus, in ea quoque opinione erat fore ut, eadem inducenda, quae contra antiquam methodum nostram excitate querelae essent, jam auferrentur[2].

Jam pridem autem Pater Roothaan ad Patrem Vasco scripserat, recta quidem ab eo praecepta esse condita, verum fore ut irrita manerent omnia, nisi ad usum illa deducerentur. « Quibus de rebus, inquit ille, in eadem ratione ad Societatem sunt Praepositi Generales, qua ministri in nuptiis Cana; qui quidem *impleverunt hydrias usque ad summum*, nimirum aqua: neque eo minus deficiebat vinum. In vinum autem convertere aquam quis potest nisi Dominus? Oremus ut quae recte praeceptis statuta fuerunt ad ipsum rerum usum deducantur: *Dabit spiritum bonum petentibus se* ».

Experimenti igitur capiendi causa Pater Roothaan Provinciam sive Siculam sive Venetam Patri Vasco proposuit. Cui cum minus

[1] S. Casagrande, S. J., *De claris sodalibus Provinciae Taurinensis S. J. commentarii*, Augustae Taurinorum, 1906, p. 287 ss.

[2] * Cf. *Collect. Vasco* in *Prov. Taurinen.*

placeret Sicula regio, Venetam adiit. At vero cum a Provinciae hujus Praeposito impetrari non potuisset, ut Patris Vasco ratio ac methodus studiorum induceretur, res ulterius progressa non est. Qua de re Pater Josephus Bayma, qui una cum Patre Vasco isti rationi studiorum multam operam impenderat, solando eum: « Ambo, inquit, oremus ut exsecutioni res mandetur, sive victuri sive causa casuri ambo simul » [1].

Interea dum Pater Vasco (1840-1850) vires suas omnes instaurandae Rationi Studiorum impiger, utut nequicquam, impendebat, Pater Roothaan diligentem operam *Theologicis studiis* in Societate *promovendis* constanter adhibuit. Qui cum comperisset, « Examen ad Gradum » jam « ex Universa Theologia » dici non posse, adeoque tale amplius non esse, quale in Instituto nostro praescriberetur, rei causam indagans, intellexit Dogmaticae Theologiae argumentum tantopere dilatatum esse, ut « plures materiae non pro earum dignitate et momento in scholis discuterentur, siquidem bini sacrae Theologiae ordinarii Professores, rerum mole impediti, quoad materias, quae *Primae Secundae* et magnam partem *Secundae Secundae* Summae theologicae parti respondent, praecipuamque morum doctrinam continent, auditores suos ad Theologiae Moralis professorem remittere cogerentur. Hic vero has Theologiae partes pro illarum dignitate et momento pertractare minime poterat, primo quod ad practicas conclusiones sese restringere, et deinde etiam suum cursum biennio terminare teneretur » [2].

Quo igitur aptius *Rationi Studiorum* atque ipsi Instituto nostro debita obedientia urgeretur, praescripsit Pater Roothaan ut « non solum eae partes, quas hodie *dogmaticas* appellant, sed *morales* quoque tractarentur; ideoque si duo Professores totam Theologiam quadriennio absolvere non possent, *tertius* adderetur ordinarius Professor, qui de Actibus Humanis, de Legibus, de Peccatis, de Habitibus bonis et malis tractaret ». Contra, liberam cuique facultatem permisit adeundi omittendive praelectiones ejus, qui Casus docebat, aut Jus Canonicum aut Historiam Ecclesiasticam [3]. Praecipua vero haec Praepositi Generalis voluntas erat, ut « Examen

[1] Ibid., *Vasco*. Cf. CASAGRANDE, *De claris Sodalibus*, etc., l. c., p. 288 ss.
[2] PACHTLER, *Monum. Germ. Paedagog.* IV, p. 548 s.
[3] Vides, quantum ab illo tempore mutatae sint, quae de his disciplinis sententiae nunc habentur.

ad Gradum ad Instituti normam omnino revocaretur » [1]. Quae Patris Roothaan *Ordinatio* cum Societate communicata est 15 Octobri 1847, pridie videlicet quam Nostri per universum fere terrarum orbem aut disjecti sunt, aut certe vitae conditionem nacti plane incertam: quale tempus profecto decretis studiorumque rationibus urgendis parum sit propitium. At ubi ad quietem deinde compositae res sunt, mox e vivis cessit Pater Roothaan.

Eodem tamen anno 1853, convocata Congregatio Generalis XXII multam in ordinandis Collegiorum studiis operam diu posuit. Patres quidem in ea sententia erant ut, qui non bene constituti Convictus essent, clauderentur, ejusque rei decernendae potestatem Praeposito Generali lubentissime fecerunt [2]. Ad *Rationem Studiorum* deinde animis conversa. Congregatio statuit ut, collectis observationibus omnibus, ac praecipue « adhibito virorum omni scientia et eruditione praeditorum consilio, *Ratio Studiorum* cura R. P. Generalis recenseretur ». Decretum quoque est « ut, postquam opus esset absolutum, ipsa ista *Ratio Studiorum* sic recensita et perfecta omnibus Provinciis observanda praescriberetur »; tum etiam « ut ubique manentibus iis, quae in hac *Studiorum Ratione* substantialia sunt, facultas Provincialibus relinqueretur peculiaria quaedam praescribendi », pro suae cujusque Provinciae varia conditione [3]. Persistere tamen visi sunt in sententia hac « ut unicuique scholae pro omnibus disciplinis unicus esset magister »; atque « Congregatio triennale pro nostris Philosophiae studium praescribendum statuit », quod, longo ante suppressam Societatem tempore, ad duos annos redactum jam fuerat [4].

Vides, a Patre Beckx, Praeposito Generali recens constituto, onus subeundum fuisse gravissimum. Qui tamen studia ordinare non diu distulit, quippe cum intra unius anni spatium de *Ratione Studiorum* perficienda epistolam ad omnes Provinciarum Praepositos daret, die 2 Septembri 1854. Quibus litteris duo potissimum rerum capita Praepositus Generalis inquisivit, dico *praesentem studiorum statum* et deinde *eorum successum*. Neque vero tantum ut Praepositorum labori parceret, verum etiam ac praecipue « ne in

[1] Pachtler, in *Monum. Germ. Paedagog.* IV, p. 549-550.
[2] Decr. 19-20, *Instit.*, II, p. 487-488.
[3] Decr. 38, l. c., p. 493.
[4] Decr. 32, l. c., p. 491. Decr. 34, l. c., p. 492.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

scribendo nimium forte vagarentur et ut idem plane a cunctis ordo servaretur, pleraque statuit Pater Generalis puncta, vel potius diversas posuit quaestiones de rebus *theologicis, philosophicis* et de *litteris*. Juxta has materias totum hoc opus in tres partes seu sectiones dispertiendum curavit, ut de singulis separatim a personis istarum facúltatum peritis agi posset ». Praepositis autem Provinciarum iterum commendavit, ut quis quid sentiret liberrime pronuntiando diceret: « quae addenda, tollenda vel immutanda essent, modo *Rationis Studiorum* substantiam nullo modo attingerent; rite observatis omnibus, quae R. P. Roothaan vel praescripsisset vel insinuasset tum in litteris 29 Maji 1830 ad Provinciales datis, tum in Encyclica praemissa *Rationi Studiorum* anno 1832 » [1].

Sub idem fere tempus Pater Beckx epistolam alteram, cujus non modo momentum maximum, verum etiam nonnullum periculum erat, de institutione scribendam habebat ad comitem Thun, Austriae pro negotiis ad religiosum cultum et ad studia pertinentibus administrum. In comitiis quippe legiferis Vindobonae rogata lex fuerat, cui nomen « Proposita a Caesareo-regali Regimine Gymnasiorum Institutio » [2]. Qua de re comes Thun, benevolentia sane ductus, ac reveritus etiam Patrem Beckx, cujus magna in imperio Austriae ac praecipue in ipsa Vindobona existimatio erat, jam exquirebat: « Utrum Societas Jesu operam suam juventutis institutioni publicis in Gymnasiis ita impendere posset, ut quae in Imperio Austriaco praescripta essent, omnia servaret, an vero et quatenus propria Societatis conditio et leges cum his praescriptis pugnarent, ideoque exceptiones justas et necessarias requirerent ». Cui epistolae subscriptum erat die 20 Novembri 1853, quo tempore vix spatium suffecerat Patri Beckx, ut muneris sui gravissimi atque omnimodis negotiis oppleti notitiam adipisceretur. Re tamen diu multumque perpensa, atque corrogatis Patrum Austriacorum consiliis, ad quaesita comitis Thun, die 15 Julio 1854, respondere potuit. Ex quo responso ea tantum referemus, quae ad adolescentium institutionem magis pertinent: quae enim eo tempore fuerint sententiae Patris Beckx, quantumque Nostros inter et Gymnasiorum in Austria magistros discrimen opinionum interces-

[1] PACHTLER, *Monum. Germ. Paedag.* IV, p. 551-555.

[1*] *Entwurf der Gymnasien der K. K. Oesterreichischen Staaten.*

serit, ita plane comperiemus. Facultatem igitur ab administro Thun petit R. P. Beckx:

« Eorum, quae *Realia* dicuntur, numerum ac extensionem coarctandi; retinendi in *inferioribus* classibus Gymnasii eam methodum, qua singulis scholis singuli tantum praeficiuntur magistri, ita tamen, ut praesertim in quinta et sexta classe, si necessitas postulet, unus alterve magister auxiliaris assumatur; institutionem religiosam in unaquaque schola uni eidemque committendi magistro, qui ceteras in eis tradit disciplinas, atque in scholis inferioribus utendi Catechismo, in quo tamen declarando et res ipsae et docendi modus gradatim amplificentur; duobus ultimis annis Gymnasii Logicam, Metaphysicam et Philosophiam Moralem docendi, atque ideo horas, prout res postulabunt, distribuendi; in tradenda Philosophia, et partim etiam in superioribus classibus Gymnasii, lingua utendi Latina; seligendi denique libros scholasticos, quos in docendo sequamur » [2].

Quae his litteris facultates petebantur, iisdem, e decretis 18 Novembris 1827 et 19 Martii 1836, dudum usi Patres erant: in quibus futurum sane erat, ut eo minus impedirentur quo majorem docendi libertatem Institutio illa, a Caesareo-regali Regimine proposita, pollicebatur.

Interea vero paulatim e Provinciis responsa advenerunt ad ea rerum capita, de quibus exquisierat Pater Beckx. Ad humaniora sane studia quod attinebat, mox intellexerunt vix fieri posse ut recentiores methodi ac normae ad certam quamdam atque uniformem *Rationem* adigerentur. Et quamquam a quibusdam quidem Provinciis, parte altera saeculi XIX, conatus adhibiti sunt aliqui, ut denuo mutaretur *Ratio Studiorum;* atque etiam in una alterave Provincia ad ipsam *Rationem Studiorum* integram res suas composuerant, additis tantum iis quae recentioris necessitatis erant, brevi tamen plane constitit communis omnium sententia, ad longum tempus conatus ejusmodi atque compositionem obtinere nequaquam posse. Quae quidem ita aperte pronuntiata sunt ab ea,

[1] * *Resp. ad litt. illustr. comitis Thun, ministri Cultus* ... datum ab A. R. P. N. Praep. Gen. (15 Julio 1854). Lithographia.

[2] * A. R. P. Beckx ipse, 26 Junio 1858, « potestatem dirigendi scholas nobis commissas iisque invigilandi absque externo quoquam interventu », ad Imperatorem Austriae dato libello supplice, petiit.

cujus est maxima in Societate auctoritas, dico Congregationem Generalem, XXV (1906). Ad aliqua enim Provinciarum postulata respondens, censuit: « Novam *Rationis Studiorum* redactionem hac nostra aetate, in tanta legum scholasticarum et disciplinarum varietate atque inconstantia tentandam non esse ». Et quoniam nova quidem *Ratio Studiorum* Patris Roothaan observari tamen in singulis rebus non poterat, Congregatio hoc unum praeterea statuit, ut « Praepositi Provinciales pro sua quisque Provincia Ordinationem de studiis conficerent, eamque Patri Nostro approbandam subjicerent ». In illis autem Ordinationibus prae oculis haberi voluerunt nostrorum Collegiorum finem, ut nempe adolescentes rite conformati ad virtutem atque pietatem instituerentur. Curandum propterea esse dicunt ut Doctrinae Christianae docendae tempus congruum tribuatur; Marianae Congregationes rite instituantur, foveantur ac bene dirigantur; ut magistri externi, si quando adhibendi sunt, « non admittantur nisi viri probatae fidei et virtutis ».

Atque obvia etiam res fuit, ut in hac Congregatione anni 1906, quae tanta cum sapientia tantaque sollicitudine necessitates temporum nostrorum perpenderit, de academica quoque nostrorum juvenum institutione quaestio moveretur. Patrum autem congregatorum non exigua sane laus est, quod, perspicaces ipsi longoque rerum usu exercitati, unanimi consensu in haec verba statuerunt: « Laudandi autem magnopere, inquiunt, Provinciales, qui, quibusvis difficultatibus superatis, quamplurimos Magistros nostros, pro necessitate vel utilitate, diplomatis instruendos curant, ut ad externorum auxilium raro aut nunquam confugere cogantur ». Nec tamen ipsi quoque spiritualis nostrorum conformationis solidaeque in Philosophia et Theologia institutionis ullo modo obliti, mox haec verba addiderunt: « Peculiaris tamen semper adhibenda est cautio, ne his studiis Nostrorum spiritus religiosus detrimentum patiatur, aut studia nostra non rite absolvantur » [1]. Quo videlicet decreto id imprimis spectarunt Patres, ut aliquarum Provinciarum diligentia excitaretur. Jam enim dudum, qui in compluribus regionibus pro Gymnasiis aliisque scholis requirebantur magistri diplomate academico aucti, Superiores ut praepararentur curaverant; in Germania quippe, in Austria, in Gallia, in Italia, praesertim in Pro-

[1] Decr. 12, n. 3.

vincia Romana, aliisque Provinciis multis ad Universitates e Scholasticis nostris non pauci mitti consueverant. Eorum autem, qui gubernii diplomate aucti fuerant, major prae ceteris Provinciis numerus, universorum videlicet Sociorum census habita vel forte etiam omissa ratione, referebatur in Provincia Neerlandica, cujus hodie Socii sunt ferme 80, in Gymnasiis *scholisque realibus*, quae dicuntur, docendi facultate publice instructi.

Neque enim, vertente saeculo XIX, ad eas scholas Societas animum advertere non poterat, in quibus linguae Latina et Graeca non traderentur, cujusmodi sunt quae *scholae reales* vulgo dicuntur. Atque anno quidem 1832 *Ratio Studiorum* etiamtum et tantum Collegia commemorat, in quibus classicae, quae dicuntur, litterae traduntur; at, post annum 1830, scholarum, in quibus linguae Latina et Graeca non tradebantur, tantus accessus fuit ut anno 1853 decernendum Congregationi fuerit, utrum Societatis fini scholae ejusmodi congruerent; interim autem statuerunt Patres: « Praepositi Generalis esse perpendere ac statuere an tanti momenti rationes essent, quae hujusmodi scholas alicubi admittere vel admissas retinere cogerent » [1]. Praepositi Generales igitur cum statuissent, dummodo in istis quoque scholis observaretur finis Societatis, concedi, ut ipsae erigerentur, mox exortae in Societate sunt scholae ejus generis quam plurimae. Tandem in Congregatione Generali XXV (1906), suprema Societatis legifera potestate, formata quidem sententia, de talibus scholis ita decretum:

« Censet Congregatio studium linguarum classicarum omni quidem cura promovendum, *utpote ad ingenia vere formanda longe aptissimum* et Instituto nostro maxime conforme: scholas tamen non classicas eidem Instituto minime repugnare, et, ubi vel necessitas vel magna utilitas id suadeat, laudabiliter erigi posse, dummodo caveatur, ne studia inde classica detrimenta patiantur » [2].

Quibus tamen rebus addidit Congregatio, quod ad nostros Scholasticos conformandos litterisque instituendos attineret: « *Rationem Studiorum* Societatis quoad substantialia integre omnino servandam »; ex accessoriis autem disciplinis tradendas, quae pro regionum varietate essent necessariae, « approbante tamen Patre

[1] *Decr. Congr. Gen., in Instit.*, Tom. II, p. 493.
[2] *Decr. Congr. Gen., in Instit.*, Tom. II, append. 8.

Nostro ». Vides, nostrae *Rationi Studiorum* a Societate, prae alia methodo recentiore qualibet, ad solidam ingenii conformationem, partes tribui longe potissimas.

Posteaquam igitur de humanioribus studiis ita disseruimus deque conatibus iis, quibus cum recentioribus systematis nostram *Rationem Studiorum* componere saepius Nostri tentarunt, indicanda jam veniunt, quae ab eadem Congregatione anni 1853 Praeposito Generali praeterea commendata fuerunt. Praeceptum videlicet est, quod jam obiter indicavimus, ut ad « *triennale* pro Nostris Philosophiae studium » Societas rediret. Quamquam enim, jam ante suppressam Societatem, re multum diuque deliberata, biennale Philosophiae studium, primum quidem pro externis, deinde vero pro nostris etiam Scholasticis, inductum fuerat, longe tamen aberat ut grata res ista ubique accidisset. Ac sane, anno jam 1821, cum de recognoscenda *Ratione Studiorum* quaestiones proponebantur, Pater Godinot, Provinciae Germaniae Superioris Vice-Praepositus, responderat: « Tempus vero Philosophiae pro externis biennio, pro Nostris *triennio* concludendum »[1]. Atque ex eadem Provincia iterum interroganti Patri Roothaan, anno 1830, ita rescriptum: « Mos invaluit, ut *biennio* cursus Philosophiae absolvatur. Optandum tamen esset, ut, si quidem Nostri scholas publicas plerumque frequentant, ita cursus philosophicus constituatur, ut Nostri *debeant* et externi *possint triennio* philosophicis studiis detineri »[2]. Ex his igitur aliisque sententiis in recognita *Ratione Studiorum* anni 1832 facultas dabatur ut « universa Philosophia *biennio* aut triennio absolveretur; in eo autem voluntatem Provincialis esse exquirendam, cujus esset id, quod in unoquoque Collegio expediret, providere »[3].

His tamen majori Societatis parti, expetenti nimirum ut ad triennalem Philosophiae cursum unanimiter rediretur, satisfactum nondum erat; quod etiam manifesto apparuit in Congregatione Generali, quae proxima celebrabatur, anno 1853 (XXII), ad quam videlicet datum est complurium Provinciarum postulatum, ut triennale Philosophiae studium restitueretur. Quo accepto postulato, Congregatio « *triennale* pro Nostris Philosophiae studium statuit »,

[1] PACHTLER, *Monum. Germ. Paedag.* Tom. IV, p. 363.
[2] Ibid., Tom. IV, p. 410; cf. p. 421.
[3] Ibid., Tom. II, p. 328; cf. p. 248-249, et not. 3.

simul tamen Praeposito Generali committens ut partitionem materiarum « ad normam veteris *Rationis Studiorum* » fieri curaret.

Porro Pater Beckx, posteaquam responsa ad quaestiones illas, de *Ratione Studiorum* propositas, ex Provinciis accepit, animum imprimis ad eas adnotationes advertit, quae de Philosophia factae erant, dispecturus videlicet quid in Provinciis de materiarum ordinatione atque partitione sentirent. Die tandem 11 Majo 1858, perfunctus diuturno molestoque labore, paratam *Ordinationem pro triennali Philosophiae studio* ad Provincias mittere potuit.

Qua primum quidem referebatur, praescriptum a Congregatione XXII, *triennale* pro Nostris Philosophiae studium. In distribuendis autem materiis liquet, multo plus quam antea fieri solebat, Mathesi Scientiisque Naturalibus tributum fuisse. Earum enim partitio haec erat: « In Collegiis, inquit, ubi Nostri student, et ubicumque Societas in ordinandis studiis libera est, anno *primo* tradetur Logica et Metaphysica generalis, duabus quotidie lectionibus, matutina scilicet et pomeridiana, adjecta tertia de Mathesi elementari; anno *secundo* una lectio fiat de Metaphysica speciali, altera et tertia de Physica; anno vero *tertio* nonnisi duae lectiones praescribuntur, una de materia, quae ex Metaphysica speciali reliqua est, altera de Philosophia Morali » [1]. Quibus statutis quamquam progressus factus magnus erat, quo temporum conditioni consuleretur, iis tamen nondum contentus, Pater Beckx declaravit: « Nihil obstare, quominus in magnis Collegiis commodo eorum, qui in his disciplinis ulterius progredi desiderarent, Mathesis Sublimis, Astronomia, Historia Naturalis aliaeve Physicae partes, quas ordinarius Professor vel nullo modo vel leviter attingeret, praelegerentur » [2].

Ne vero suos fines Professores facilius excederent, Pater Beckx paucis clare indicavit, quibus illi se limitibus deberent continere: « Physicae igitur Professor, inquit, expositis proprietatibus corporum generalibus, agere debebit de solidis, liquidis et aeriis, praecipua Staticae et Dynamicae, Hydrostaticae et Hydrodynamicae, Aerostaticae et Pneumaticae praecepta declarans, tum imponderabilia pertractabit, de Calore, de Electricitate Statica et Dynamica, de Luce exponens; Chimicae denique, Astronomiae et Metereologiae

[1] PACHTLER, *Monum. Germ. Paedag.*, l. c. Tom. IV, p. 556.
[2] Ibid., p. 557.

elementa, quoad per tempus licebit, suo quaevis loco adjiciet. Mathesis autem elementaris, quae primi anni auditoribus tradenda est, Algebrae praecepta usque ad aequationes secundi gradus, Geometriam, Trigonometriam planam et, quantum fieri potest, sphaericam comprehendat » [1].

Tum vero posteaquam per singula capita declaravit, quid in unaquaque Philosophiae sectione sive in tractatu quolibet tradi deberet, magni momenti elenchum Pater Beckx subjungit, cui sic inscripsit: *Propositiones aliquot philosophicae, quae in scholis Societatis docendae non sunt* [2]. Eas propositiones, quae numero sunt 81, perlegens quilibet mox intelliget, hoc Patris Beckx consilio, prudentiae sane pleno, neque constringi eam quae genuina est Philosophiam, nec de iis, quae rite usurpare possint, philosophicis systematis quidquam detrahi.

Quibus rebus omnibus appendicem denique addit, in qua hoc imprimis attendendum vides, quod, ad ipsos fontes remittens, praecipit ut « praeter S. Thomae opera, nominatim Suaresii Metaphysicam, Toleti et Fonsecae commentarios in Aristotelem, necnon Philosophiae cursum a PP. Conimbricensibus editum consulant ». Vix autem opus est praeterea dicere, Ordinationem illam e mandato Congregationis a Patre Generali editam, « quoad omnia et singula in ea contenta statim et ubique executioni mandatam esse » [3]. Atque ea denique ratione, quod ad Philosophiam attinebat, plene satisfactum erat praeceptis, quae Congregatio Generalis, anno 1853, ediderat.

Verum etiam de *Theologia* leges illa tulerat; de qua proinde suas quoque quaestiones Praepositus Generalis ad Societatis Provincias direxerat, die 2 Septembri 1854, rogans ut de re tota certiorem se facerent. Qui posteaquam *Ordinationem pro triennali Philosophiae studio*, anno 1858, cum Societate communicavit, ad Theologiam statim animum advertit. E Provinciis igitur submissae informationes jam advenerant atque subjectae examini fuerant, cum « anno 1863 P. Beckx ex diversis Assistentiis doctissimos quosdam Theologos Romam accersivit, ut consiliis mutuo collatis indicarent, quid factu opus esset ad eadem Societatis studia theologica pro-

[1] Ibid., l. c., Tom. IV, p. 558.
[2] Ibid., p. 567-573.
[3] Ibid., p. 576 ss.

vehenda ». Quod autem nova *Ordinatio* a Praeposito Generali eo tempore edita non est, ratio haec fuit, « quia certe Congregatio Generalis (1853) de Theologia nihil statuit, ad quod exequendum *Ordinatio* requireretur, sed tantum generatim mandavit Patri Nostro, ut *Ratio Studiorum* ejus cura revideretur. Sed neque in hac revisione Consultatio mutanda talia invenit, quae Ordinationem postularent. Omnia enim in *Ratione Studiorum* nova ita praescripta erant, ut haec denuo commendare sufficeret » [1].

Qui rerum status obtinere perrexit, usque dum a Patre Beckx, 15 Julio 1882, *Ordinatio de sacro Theologiae studio promovendo* promulgata est. In ea igitur, ad Theologiam scholasticam quod attinet, repetita antiqua illa *Ratione Studiorum*, praescripsit ut « solido quadriennio, praeter Theologiam Moralem et Scripturam Sacram per duos annos et linguam Hebraicam per unum, unice Theologia scholastica traderetur ». Porro « Juri Canonico, Historiae Ecclesiasticae et similibus accessoriis facultatibus studendum quidem erat, sed absoluto quadriennio, sive a biennistis, sive pro opportunitate a caeteris » [2]. Sed haec, quod quidem praecipi conjectura poterat, diu duratura non erant.

Quare iterum quaestionem agitavit Congregatio XXIII, anno 1883, quae judicavit necessarium esse, ut studio Juris Canonici et Historiae Ecclesiasticae provideretur; ut de Sacrae Scripturae, Theologiae positivae et polemicae postulatis tum de duplici Professore pro Theologia Morali constituendo ageretur cum Patre Generali, donec Ordinatio aliqua conficeretur; ut, curis Patris Nostri ejusque Vicarii, in singulis Provinciis conficeretur elenchus earum quaestionum, quae in Theologia scholastica tradendae vel omittendae essent, atque in universum accuratae informationes de tota Theologia intra annum mitterentur ad P. Generalem, ut ipse cum singulis Provinciis propositiones et schemata omnium reliquarum Provinciarum communicaret; ut his peractis Adm. R. P. Noster deinde designaret et convocaret doctorum Patrum consilium, cujus elucubratio denuo ad Provincias mitteretur. Ut porro factas a Provinciis observationes consilium iterum examinaret atque, si opus esset, schema suum emendaret. Ut denique, salva unitate in substantialibus, P. Generali esset potestas, in rebus secundariis atque

[1] * *De ordinatione pro studio theologico*, 1 Nov. 1863.
[2] Cf. Ramière-Besson, *Compendium Instituti*, Ed. III, p. 378.

potissimum in rebus positivis eas concedendi modificationes, quas singularum Provinciarum consuetudines et necessitates requirerent [1].

Domum reversos Patres Congregationis XXIII subsecuta mox est, 8 Decembri 1883, *Epistola R. P. N. Petri Beckx, de studiis theologicis ordinandis.* Qua quidem epistola, tradito primum Congregationis decreto XVI, conabatur iis, quorum in Societate magis intererat, hanc animis persuasionem inserere, quantum ea res momentum haberet, ut nimirum studiorum finem, qui ipse Societatis universae finis esset, prosequeremur; tum, sermonem prosecutus:

« Neque existimandum est, inquit, id nostris temporibus minus valere, studia theologica non tantopere modo urgenda esse, hodiedum alias litteras et artes et occupationes imprimis promovendas esse. Valde errant qui ita sentiunt. Verum est nos vivere tempore, quibus aliae litterae et artes a Nostris exiguntur, quae Societati maxima onera imponunt; attamen propterea id negligere, quod *primario loco* curandum est, ut salvus maneat status et finis Societatis, nunquam concedendum erit.... Profecto, qui possumus pati nos ab aliis in his (studiis theologicis) superari? nos, quibus Summus Pontifex speciatim commendavit, ut secum in prima acie certemus? nos, qui prae ceteris a Christo, supremo Duce, electi et vocati sumus ad defendendam ac propagandam Ecclesiam Catholicam? Sane a nobis, qui filii sumus S. Ignatii, universa Ecclesia militans atque triumphans expectat, ut arma quam aptissima paremus et tanquam milites virtute et doctrina insignes in media acie pugnemus » [2].

Ac sane saluberrimae aedificationis res erat, qua ratione Pater Beckx, Congregationis Generalis mentem plene assecutus, tanta nunc vi Nostros hortaretur « ut omnes Theologiae auditores sufficienti doctrina *Historiae Ecclesiasticae* et *Juris Canonici* instruerentur », quod tamen ejus ipsius Ordinationi diei 15 Julii 1882 videretur opponi. Praeclarum enimvero obedientiae exemplum ab illo suis filiis datum, qui per annos 30 universae Societati praefuisset. Tandem Collegiorum Rectoribus atque Praepositis Provinciarum mandavit, ut notas, animadversiones et totam elucubrationem ex Provinciis Faesulas transmitterent usque ad ineuntem

[1] *Decr. Congr. Gen. XXIII, Decr. 16,* in *Instit.*, Tom. III, p. 502-503.
[2] *Epist.*, etc., p. 11.

annum 1885, et quidem numero 50 exemplaria [1]. Quae dum in Provinciis agebantur, ipse Pater Beckx, die 15 Majo 1884, universa sua auctoritate delata ad Patrem Anderledy, atque munere sic abdicato, ad mortem se compositurus, Romam profectus est.

Decessoris porro munus continuaturus, R. P. Antonius Maria Anderledy, 24 Februario 1885, Praepositos Provinciarum rogavit, ut ex sua quisque Assistentia unum vel plures proponerent, quos ad varia Provinciarum de studiis theologicis judicia recensenda et ad communem formam redigenda aptissimos judicarent. Die deinde 8 Majo Societati significavit, constitutum a se esse *Consilium pro Studiis Theologicis in Societate Jesu ordinandis.* Ad quod hi e quinque Assistentiis Patres pertinebant: Pro Italia, P. Camillus Mazzella, propediem sacra purpura decorandus; pro Germania, P. Ferdinandus Stentrup; pro Gallia, P. Rudolphus de Scorraille; pro Hispania, P. Josephus Mendive; pro Anglia, P. Aemilius de Augustinis; quibus omnibus mandatum est ut ipso S. Ignatii festo die anni 1885 Faesulis adessent; Divinum autem auxilium imploraturus, Pater Anderledy eadem die praescripsit ut universa intra Europam Societas, a die 8 Decembri ad 25 Martium, recitatis quotidie Litaniis Sanctorum adjungeret hymnum *Veni Creator* cum Oratione, dein *Salve Regina* cum precatione: *Sedes Sapientiae, ora pro nobis.*

Die igitur secunda Augusti 1885, R. P. Vicarius, Patres consiliarios simul congregatos coram Assistentibus allocutus, iisdem ostendit: « In ultima Congregatione decretum fuisse, ut *Ordinatio* stabilis conficeretur; Summum Pontificem, die 14 Julii 1885, rem hanc summopere laudasse, et tum Societati universae, tum peculiari modo Patribus huic restaurationi Faesulis operam daturis benedixisse; se desiderare, ut Patres attentissima consideratione rem agerent, ideoque totum in ea tempus impenderent, quod necessarium et utile esse (ducerent): non enim de quacumque, sed de stabili *Ordinatione* agi, diutissime in posterum servanda. Opus Commissionis fauste inceptum, post diuturnas inquisitiones, et in sexaginta fere conferentiis discussiones, quoad ejus primum stadium, favente Deo, absolutum est et 1886 prelo datum ».

Jamvero qui istud *Schema cum praeviis rationibus et con-*

[1] Ibid., p. 12 ss.; 23 s.

*clusionibus* attento animo inspexerit, statim videbit ipsum, quoad praecipua rerum capita, e mente Congregationis XXIII totum fuisse elaboratum. Censuit quippe Consilium « primas partes in cursu theologico *Theologiae scholasticae* relinquendas esse ». A ceteris tamen disciplinis nequaquam aliena, statuit nonnullas « quaestiones morales scholastico modo » tractandas esse; alias vero ad casus spectantes Theologiae Moralis partes a distincto Lectore tradendas; Sacram quoque Scripturam praelegendam « saltem per duos annos cum lectione unius horae quotidianae ». Censuerunt praeterea Consiliarii studium linguae Hebraicae obligatorium retinendum esse; e Jure Canonico tradenda esse Prolegomena, Institutiones et quaestiones quasdam speciales; Historiam Ecclesiasticam esse necessariam, ideoque tradi debere genuina principia critices Historiae Ecclesiasticae, historica facta ordinaria breviter, res praecipuas fusius.

« Praecipuam autem totius schematis vim Commissio posuit in quinquennali Theologiae cursu asserendo. Primo scilicet dixit hanc mutationem non ad eas Constitutionum immutationes pertinere, a quibus filii Societatis abhorrere maxime deberent; facultatem ad eam mutationem per quinquennium inducendam R. Patri Vicario ab ultima Congregatione Generali (1883) datam fuisse; imo quinquennium Theologiae, ut hucusque suppositum est, non esse necessario veram et realem Constitutionum immutationem; quinquennium Theologiae esse necessarium, neque compensari posse per tertium Professorem, neque per aliquorum Scholasticorum Theologiae biennium. Tandem Commissio quaestionum in Theologia tradendarum elenchum composuit completum, qui etiam nunc attentionem et studium meretur ».

« Pro cursu breviori Commissio posuit triennium, quod Theologiam scholasticam, moralem et Historiam Ecclesiasticam, non autem Jus Canonicum, imo neque Scripturam complectitur Sacram »[1].

Absolutum autem schema istud quum, anno 1886, in Provincias missum esset atque a Patribus ad hoc deputatis denuo factae animadversiones Faesulas advenissent, factum jam est, ut elucubrationibus illis omnibus, sive ad praeparandum sive ad recognoscendum schema collatis, satis ampla constitueretur quasi biblio-

[1] *Commissionis generalis pro studiis theologicis in S. J. ordinandis Schema cum praeviis rationibus et conclusionibus*, Prati, 1886.

theca; qualis ad futuram Congregationem deferri profecto non potuit. Summula igitur rerum a Provinciis et Patribus deputatis fusius enucleatarum componenda erat, quia difficile prorsus erat « in tot tamque diversis, imo et oppositis Provinciarum judiciis perscrutandis, rerum congerie non obrui ». Ac sane huic summulae conficiendae oportebat praesto cuipiam esse non solum vastam cum liberali indole doctrinam, verum etiam ac praecipue ingenium validum et plurimarum simul rerum comprehendendarum perstringendarumque capax. Iis quidem dotibus pollere judicatus est Pater Ludovicus Martin, Societatis Praepositus Generalis ille aliquando futurus. Quem proinde, aestate anni 1891, Faesulas evocavit Pater Anderledy, primum quidem Secretarii Substitutum pro Assistentia Hispaniae acturum, tum vero etiam ut e Provinciarum commentariis de eo, quod diximus, schemate certam sententiam concinnaret. Cui ille operi suas ingenii dotes tam strenue impendit ut anno jam 1892, e defuncti Praepositi codicillo Vicarius Generalis interea renuntiatus, opusculum edere posset, cui inscripserat: *De studiis theologicis ordinandis. Quaestionum hac super re agitatarum recapitulatio et dubia non nulla quae Ordinationem conficiendam praevie solvenda videntur* [1].

Hoc igitur opusculum R. Patris Martin, quo plane constabat quantum is ingenii acumine, indolis recta temperatione, rerumque gerendarum firmo obtutu valeret, Patribus Congregationis Generalis XXIV tuta judicandi norma futura erat. Ejus autem his fere verbis prolatam sententiam habes: « Futura Ordinatio de rebus theologicis, inquit ille, non solum mederi debet tribus *defectibus*, nempe defectui integritatis in materia praelegenda, defectui solidioris informationis in rebus moralibus, et defectui methodi ex parte magistrorum et discipulorum, sed etiam afferre tria *subsidia*: studium Juris Canonici, studium Historiae Ecclesiasticae et studium Theologiae positivae et polemicae ». Ad istis tamen detrimentis medendum et ad afferenda subsidia haec, minime admittit Pater Martin quinquennium theologiae, quasi medium esset ad finem necessarium [1]. Congregatio proinde Generalis anni 1892, in hac aliisque rebus, quae cum Provinciarum opinionibus fere omnium conveniebant, secuta sententiam Patris Martin, decernit:

[1] Bilbao, 1892.
[2] Ibid., p. 6 ss.; p. 11 ss.

Quadriennium pro cursu theologico retinendum esse; ad rectam institutionem cursus theologici, ad disciplinas in eo tradendas, ad modum et ordinem, quibus eae tradi debeant, sedulo et assidue urgendam exsecutionem eorum, quae in *Ratione Studiorum* praescribantur; tum in ipsa Theologia, tum in aliis disciplinis textum aliquem praelegendum typis editum [1]; curandum ne careant Nostri sufficienti Juris Canonici et Historiae Ecclesiasticae cognitione; Theologiae Moralis quaestiones illas, quae scientiae hujus principia contineant, scholastice esse exponendas; cursui demum breviori triennium impendendum esse; singularum autem Provincialium arbitrio, cum approbatione Patris Generalis, relinquendum an et quibus auditoribus hujus cursus concedendae sint scholae Juris Canonici, Historiae Ecclesiasticae et Scripturae Sacrae [2].

Quibus ita confirmatis decretis, rejectae quidem multae sunt earum rerum, quas in Schemate illo suo Commissio proposuerat; laborem tamen eorum irritum fuisse nequaquam censebit ille, qui reputaverit quantum e Schemate subsidium accesserit non solum studiis Patrum in Provinciis deputatorum, verum etiam laboribus Patris Martin atque ipsis Congregationis Generalis XXIV.

Quamquam igitur, Societatem gubernante Patre Martin, haec ipsa studiorum theologicorum norma vigebat, ita quidem ut pro rerum opportunitate suas ei sive declarationes sive applicationes adderet Praepositus Generalis, tamen *Ordinationis de studiis theologicis* conficiendae ac promulgandae quaestio seposita nequaquam erat. Atque adeo nihil mirum, ad Congregationem Generalem XXV, anno 1906, a Provinciis postulata data fuisse satis multa. Argumento huic Congregatio octo adeo sessiones impensas absolvit condendo decreto XIV, cujus summa rerum capita haec sunt: « Ordinatio studiorum theologicorum, quae ex mandato Congregationis XXIII jam strenuis laboribus parari coepta est, cura A. R. Patris Nostri ad finem perducatur ». « Quod attinet ad S. Scripturam, prae oculis habeantur normae traditae a Leone XIII.... et a Pio X.... Attendendum praeterea ad regulas Professoris S. Scripturae in nostra *Ratione Studiorum positas* ». « In Theologia

[1] In condendo etiam decreto hoc magna fuit auctoritas Patris Martin, opusculo illo docto atque ad persuadendum accommodato, cui inscripserat: *Quaestio de Libro Textus in Theologiae schola adhibendo*, Bilbai, 1892.

[2] *Decr. Congr. Gen. XXIV.* Decr. 24, in *Instit.*, Tom. II, p. 521 s.

Dogmatica tradenda.... servetur methodus et doctrina scholastica, ad mentem praesertim S. Thomae.... Professores.... obsoletis quaestionibus omissis, recentes errores solide refutent.... Conficiatur elenchus earum quaestionum, quae a Professoribus Theologiae Dogmaticae tradendae sunt.... ut clare innotescat, quid ab unoquoque singulis annis docendum sit.... Singillatim determinentur quaestiones illae Theologiae Moralis, quae juxta decretum 24 Congr. XXIV scholastice sunt exponendae.... Qui breviori cursui dant operam, Theologiam Moralem per biennium, et Theologiam Dogmaticam per triennium, solide ac plene doceantur; regulariter frequentent etiam scholas Sacrae Scripturae, Juris Canonici et Historiae Ecclesiasticae.... Cum disciplinae illae, quae secundariae dicuntur vel Theologiae subsidiariae, uti Historia Dogmatum, Patrologia, Archeologia biblica et ecclesiastica, Liturgia ejusque historia, ars Criticae Historicae, Linguae orientales, et similia ad ipsa dogmata illustranda et confirmanda multum valeant; curent Provinciales, ut in iis quoque aliqui e Nostris efformentur, ita ut, in aliis alii, egregie docti evadant.... Post absoluta studia theologica, iis qui aptiores videantur, biennium saltem concedendum erit, sive ad Theologiam vel Philosophiam altius excolendam, sive ad ampliora studia Sacrarum Litterarum, vel Sanctorum Patrum, vel Historiae, vel Juris Canonici, vel aliarum disciplinarum Theologiae vel Philosophiae auxiliarium »[1]. En habes, per sua quaedam capita adumbratam, normam, e qua Congregatio XXV voluit, *Ordinationem* studiorum theologicorum ab A. R. Patre Nostro ad finem perduci. Cui operae gravissimae Deus O. M. largam benedictionem ad hunc usque diem impertitus est, quippe quae fere in integrum absoluta sit.

Porro ex iis rebus, quas de Collegiis externorum, de Convictibus, de studio litterarum humaniorum diximus adhuc, sat liquido constat, antiquam illam anni 1599 *Rationem Studiorum*, quae, ab innumeris Societatis Collegiis per duo amplius saecula usurpata, dici vix potest quam multa atque egregia bona passim procuraverit, jam tamen integram observari nequaquam potuisse. *Necesse* igitur plane erat ut Societas, si quidem suum ad salutem juventutis educandae impendere laborem vellet, ad recentiorum docendi

[1] *Decreta Congreg. XXV.* in *Instituto*, Appendix, Decr. XIV.

methodum ac materiam licitam, quamvis invita, se accommodaret. Sic igitur ortum, anno 1832, habuit *recognita Ratio Studiorum* Patris Roothaan, cui tamen nunquam, secus atque antiquae illi *Rationi*, approbatio Congregationis alicujus Generalis addita fuerit. Est enim recentiorum temporum citatus vivendi modus, quo institutionis disciplinam unam altera mox excipit, atque materiis refertissimi elenchi, latius usque excrescentes, vix ullibi sive inter se sive etiam secum ipsi consistunt. Quorum quidem omnium ea indoles est, quam R. P. Roothaan acute simul ac subtiliter describens: « De scholis, inquit, inferioribus quid dicam? Omne studium in eo positum, ut quam plurima pueri discant, discant autem quam brevissimo tempore, quam minimo labore. Belle sane. Sed ista tam multarum rerum disciplinarumque varietas, quam summis labiis attingunt potius adolescentuli quam hauriunt, illud scilicet efficit, ut sibi quidem multa scire videantur et aliquando semi-doctorum turbam, scientiae aeque ac reipublicae, si qua est alia, perniciosissimam augeant, at nihil vere ac solide sciant. *Ex omnibus aliquid, in toto nihil* »[1].

Factum itaque brevi tempore est, ut recognita illa *Ratio Studiorum* anni 1832 ab iis, quae in diversis regionibus instituendae juventutis rationes a guberniis praescriptae erant, denuo deficeret, haud equidem quod ad ipsam adolescentum educandorum vim atque efficaciam illius pertineret, verum quia disciplinarum inter modernos usque excrescebat numerus, simulque magis negligebantur, quae classica studia dicuntur. Quamquam igitur recognitae *Rationis Studiorum* moderatio denuo tentata aliquoties fuit, mox tamen illam irritam fore operam compererunt, commissumque, quod diximus, Praepositis Provinciarum est, ut, approbante Patre Generali, pro sua quisque Provincia, studia moderarentur atque suae regionis examinum postulatis attemperarent.

Facile profecto intelliges, in ejusmodi rerum conditione multas a Collegiis difficultates exhauriendas saepe fuisse; quippe quod, ut ex iis paucas tantum referamus, studiorum disciplinarumque ordo observandus esset, qui ipsis, jure quidem, parum probaretur; quod porro civilis gubernii examina essent praeparanda; quod a se alienorum hominum, interdum vel inimicorum, sive gratiae

[1] PACHTLER, II, *Epist. encycl. ante Rationem Stud.*, p. 230. 1832.

obnoxii essent sive invidiae; quod quasi concertare cogerentur in ejusmodi studiorum rationibus et disciplinis, quas, aliis quidem acceptas, ipsi tamen improbare deberent.

Adde quod persecutionibus vere innumeris, quarum, ab anno 1818 ad haec usque tempora, quasi continua texebatur series, Societas erat exposita. E Belgio enim expulsa est anno 1818, e Russia ac Neapolitana ditione, anno 1820; ex Hispania, annis 1821, 1835, 1868; e Gallia, annis 1830, 1880, 1901, praeterquam quod, etiam interjectis temporis spatiis, saepe passim vexabatur; e Lusitania Societas expulsa 1834, unde extorris per annos fere 30 mansit, denuo ejecta 1910; anno 1847 expulsa ex Helvetia est, quo ut postea reverterentur jam non est concessum; e republica Argentiniensi atque ex Austria exsulare debuit anno 1848; in Italia dispersa, annis 1848, 1859, 1860, 1873; e Neo-Granata ejecta, annis 1850 et 1859; e Guatemala, anno 1871; e Germania, anno 1872, nec deinceps eo redire permissa est; e Nicaragua, anno 1881; e Costa Rica, anno 1884. Haud sane est cur dicamus neque annos alios, qui agebantur medii, fuisse quietos; immo vero in ipsa illa, quae pax dicebatur, molestiis impetitus labor Nostrorum semper erat. Multo tamen accidebant graviora damna, quibus persecutionis tempore Societas afflictabatur. Saepe enim litteris tantum significabatur, florentissima Collegia esse sublata, Domus vero in publicum addictas; raptae sunt bibliothecae, officinae, speculatoriae turres, musea; vel etiam dissipata ista omnia ac deleta. Atqui perpetuo tamen constans agendi modus Societatis hic fuit, ut eversum opus suum Nostri semper denuo susciperent. Nec mirum, Pium IX ea re vehementer permotum fuisse, quippe qui cum tantis molestiis ipse conflictaretur. Anno sane 1860, cum nostram ille Jesu Salvatoris Romanam Domum invisisset, ibique expulsos e Sicilia Patres allocutus esset, recedens deinde atque ad eos, qui cum ipso erant conversus: « Sane, inquit, praeclarum quid ut vapules, nec tamen a laborando cesses ». Atque ipse quoque Praepositus Generalis suos vehementer semper hortatus est, ut verbi illius *ibant gaudentes* recordarentur, quippe quo omnium maxime opus esset ne ab inceptis deficerent. Nam etiam cum carissima quaeque Societati erepta Romae essent, Sociis institit Pater Beckx, orandum esse scribens: « ut Dominus noster redderet nobis *laetitiam salutaris sui ac spiritu principali confirmaret nos* ». Deinde vero, sermonem prosecutus:

« Foveo, inquit, in animo meo spem ac fiduciam, sanctas preces et supplicationes, quae tam a vobis quam a piis fidelibus pro nobis divinae Majestati offeruntur, salutari suo effectu minime frustratum iri. Speremus ergo in Dei bonitatem, et spe hac erecti Sanctorum nostrorum patrocinium, potissimum vero Virginis Deiparae suffragium imploremus, ut reddat nobis Deus optatissimam pacem, per quam Ecclesia de hostibus suis triumphum agat, ac Societas nostra igne tribulationis probata et purgata novo fervore vocationis suae ministeriis libere vacare et pro gloria Dei et animarum salute impendere seipsam et superimpendere valeat » [1].

Sic igitur Societas, mediis etiam vexationibus laborare pergens, saeculo XIX, quo cum innumeris molestiis conflictandum erat, Collegia per universum terrarum orbem plurima erexit, quibus tum Ecclesiae tum humanae consociationis gravissima commoda procurat ad majorem Dei gloriam.

Quo quidem tempore restituta Societas est, Collegiorum ejus numerus valde exiguus fuit. Brevi autem tempore post, Petropolitanum Collegium nobilium suppressum est, dum aliis quoque Albae Russiae domiciliis proxime futurum instabat exsilium. Erant tamen Nostrorum in Sicilia juventuti instruendae instituta aliquot, inter quae nominandum imprimis est *Collegium Maximum Panormitanum* [2]. Praeterea exsistebat, jam inde ab anno 1794, illud, cujus tam praeclarum postea factum est nomen, *Collegium Stonyhurstense;* ubi nullo unquam tempore pie non coletur eorum, qui conditores ejus fuerunt, clarissimi Thomae Weld, Patrumque Stone et Strickland veneranda memoria. Collegii enim hujus jam florida conditio tunc fuit, cum in conformationis suae primis initiis reliqua Societatis instituta haerebant. Dum anno 1813 tabulis referuntur discipuli 226, duobus annis post, qui Collegii Rector erat, Joannes Weld, discipulos ejus esse scripsit amplius 250. Qui numerus, deinde paulisper imminutus, anno tamen 1861 restitutus iterum est, atque anno 1884 ad 300 evectus. Ac difficile quidem dictu est, quantae ex eo Collegio in Catholicos honestioris conditionis homines utilitates redundarint; ita plane ut vero majus nil dixerit, qui contendat, eam unam ex praecipuis causis esse, quibus

[1] *Epist. Gen.*, Ed. alt., Tom. III, p. 237 s.

[2] Cf. Narbone, S. J., *Annali Siculi della Comp. di Gesù*, Palermo, 1906, anni 1815-1817.

recuperatam suae religionis libertatem Angli Catholici acceptam referre debeant. Ejus fuit etiam extra Angliae fines bona fama, ut ex aliis regionibus discipuli non pauci, philosophiae praesertim daturi operam, eo convenerint [1].

Ut porro cogitatione satis apte assequi possis, quam strenue Societas antiquam illam educandae juventutis operam suam denuo assumpserit, satis erit animo paulisper attendisse, quam felix Collegiorum ejus augmentum brevi tempore factum fuerit. Anno quippe 1844, Patre Roothaan Societatem feliciter gubernante, Collegia nostra jam erant 53; qui deinceps, intra annos 10, duplicatus est numerus, ut anno 1854 Collegia nostra essent 110. Ac fuit eorum etiam validius augmentum annis illis 6, quibus primis Societati universae praefuit Pater Beckx; ita quidem ut anno 1860 Collegia numerarentur omnino 170. Nec sane hic augmenti fuerunt limites; Societatis enim, anno 1878, discipuli erant 32.243; qui anno denique 1896 facti sunt 52.692, in Collegiis 209. Intra annos igitur 18, augmentum fuerat discipulorum 20.449 [2].

Florentissima profecto facta est conditio nostrorum in America Septentrionali Collegiorum, e quibus octo ad ipsum *Universitatis* gradum evecta fuerunt.

Laetissime floruit *Georgiopolitana* Universitas. Ab iis, qui Societatis antea fuerant, una cum Illmo Domino Carroll, anno 1789 excitatum Collegium atque anno deinde 1791 discipulis apertum est. Restitutam anno 1814 Societatem ingressi sunt e Collegii magistris complures. Scientiarum autem in America excolendarum quasi sedes quaedam atque centrum in hac Universitate semper fuit; cujus etiam discipuli haud pauci nomen adepti sunt clarissimum. Huc visendi causa ipse Washington, et post eum omnes Praesides Statuum Foederatorum saltem semel dum munere fungebantur venerunt, uno alterove tantum excepto. Praeter scholarum inferiorum discipulos 302, erant, Octobri 1912, Juris Civilis auditores 837, Medicinae 130, Dentium curandorum scientiae studiosi 157 [3].

Porro nominamus Collegium civitatis *S. Ludorici*, ubi scholam

[1] J. Gerard, S. J., *Centenary Record*. Stonyhurst College (1794-1894), Belfast, 1894.

[2] Cf. numeros in *Woodstock Letters*, 1896, p. 393 ss.

[3] Shea, *History of Georgetown College*.

Latinam et Collegium, a Sacerdote quodam inauguratum anno 1818-1820, anno 1829 interiturum Nostri redintegrarunt. Novas igitur exstructas aedes, die 2 Novembri 1829, discipuli 150 subierunt, atque Collegio, tanquam instructionis sublimioris instituto, factum est, anno 1832, nomen Universitas S. Ludovici (*St. Louis University*), in qua Litterarum Philosophiaeque gradus tributi primum sunt anno 1834. Addita est, anno 1836, artis Medicae disciplina, atque anno 1843 disciplina Juris Civilis. Universitatis porro progressus fuerunt laetissimi; nam 1 Octobri 1912, praeterquam quod Humaniorum litterarum studiosi erant 513, Juris facultati vacabant auditores 229, Medicinae 347; dum Dentium curandorum scientiae studebant 133, aliis disciplinis 60. Die etiam 29 Aprili 1903 ipse reipublicae praeses Th. Roosevelt, cum Theologici ordinis disputationi solemni interfuisset, verbis, quae Rector Universitatis ad eum fecerat, perquam benevole respondit. Anno denique 1904 ingenti pompa celebratum est Universitatis adamantinum, quod dicitur, jubilaeum [1].

Universitatis gradu insignitum quoque est Collegium *Fordham* [2] cujus, anno 1912, Litterarum studiosi numerabantur 880; Juris quidem civilis auditores 255, Medicinae 150.

E munificentia porro amplissimae gentis Creighton, 1 Julio 1878, in civitate Omaha ortum habuit Universitas *Creightoniana*. Cui instituto tam larga praesto fuit divinae bonitatis benedictio ut, praeter inferiorum scholarum discipulos 425, mense Octobri 1912 Juris Civilis auditores essent 133, Medici 195; a dentibus, qui dicuntur, 133; Pharmaceuticae studiosi 131. Atque erat sane cur, anno 1903, Universitas haec expletum annum XXV magno cum gaudio obiret [3].

Quod anno 1881 erectum est Collegium Marquette, anno tantum 1906 nomen sibi adipisci potuit *Universitatem Marquette* [4]. Situm illa habet in civitate Milwaukee, Status Wisconsin. Anno 1912, praeter Litterarum studiosos 281, ejus in facultate Juris auditores erant 147, artis Medicae 240; curandorum Dentium artis

[1] *Memorial Volume of the Diamond Jubilee St. Louis University*, (1829-1904).
[2] Th. Taffe S. J., *A Historyof St. John's College, Fordham*, New-York, 1891.
[3] M. P. Dowling S. J., *Creighton University, Reminiscences of the First twenty-five Years*, Omaha 1903.
[4] *Marquette College. A quarter Century* (1881-1909). *The College History*. Cf. *Marquette University Catalogue*, 1906, Milwaukee.

numerabantur 139, pharmaceutici 85; technici denique erant, quorum ipso illo anno institutus est ordo, auditores 64, sociologi 85.

Provinciae Missourianae Universitatibus, quas recensuimus, tribus, in civitatibus nempe S. Ludovici, Omaha, Milwaukee, quarta etiam addenda est Universitas in civitate *Chicago*. Hujus praeclarissimi instituti momentum non solum in ipsa inferiorum scholarum disciplina situm est, quippe quarum, anno 1812, alumni essent amplius 698, sed etiam in Universitate, cujus erant Juri operam dantes 102, Medicinae 392, Pharmaceuticae 49, caeteris disciplinis 52. *Toletanum* praeterea ejusdem Provinciae Collegium anno 1909 juris facultate ampliatum est. Etiam Collegia in civitatibus *S. Francisco*, *New Orleans*, *Detroit*, *Spokane*, *Santa Clara* et *Cincinnati* juribus gaudent universitariis. Quibus rebus omnibus si addideris, in nostris Americae Septentrionalis et Canadae Collegiis omnino 40, anno 1912, discipulorum numeratos fuisse amplius 18.068, profecto haud nimiam laudem ab eo tributam putaveris, qui Societatis Collegiorum rationem ad eximiam prosperitatem in America Septentrionali ascendisse dixerit. Provincia Angliae habet collegia 13; Provincia Hiberniae 9. Societati enimvero, sicut ipsi Ecclesiae, sola libertate, qualis in Americae regione hodiedum indulgetur, opus est, ut, quas a Christo Domino inditas sibi vires habet, paulatim atque ex ordine exserere possit[1].

Jam, ab Assistentia Angliae digressi, caeteras ita repetimus ut, quae majora Missionum Collegia nominanda erunt, tunc commemoremus, cum de sua cujusque, ad quam pertinent, Provincia dicendum nobis erit.

In *Italia* igitur imprimis indicabimus venerandum illud atque clarissimum, quod dicitur, *Collegium Romanum* sive Universitatem Gregorianam. Jam diximus, antiquum, a Leone XII restitutum Societati, Collegium brevi tempore ad prosperrimam conditionem evectum fuisse. At posteaquam, Urbe occupata (1870), nostris sedibus exturbati fuimus ita, ut humanioribus studiis erudire juventutem primo illo tempore jam haud nobis liceret, disci-

[1] Pro ea, qua afflictum fuit tristissima clade terraemotus et incendii inde secuti, ac pro pulcherrima sua historia, quae eo ipso tempore in publicum prodierat, nomine commemorandum hoc loco censemus S. Ignatii Collegium in civitate S. Francisci. Cf. Jos. M. Riordan S. J., *The first half Century of St. Ignatius Church and College, San Francisco* 1905.

puli numero 711 decreverunt ad 229; imo vero, annis 1871-1872, ad 193. Deinde, anno 1873, Patres, e venerabili Collegio Romano discedere coacti, in proximas aedes Borromaeas migrarunt, ibique philosophicas ac theologicas disciplinas tradendas susceperunt. Discipulorum autem denuo auctus est numerus eo vel maxime, quod Pius PP. IX, anno 1876, Collegio facultatem universi Juris Canonici explanandi, atque ad academicos gradus discipulos promovendi, per S. Studiorum Congregationem, benigne concessit; quam facultatem Leo XIII, anno 1896, litteris Apostolicis confirmavit et solemni suo decreto ratam habuit. Universitatis censu, anno 1912-1913, referebantur ipsi 1100 discipuli. Ac sane ad animum intime commovendum apta res est videnti, quo modo quaecumque sub sole natio est, suos ad Sanctam Romam dimittat filios, in conspectu ipsius Cathedrae veritatis conformandos. Qui, mira vestium colorum, linguarum, indolis varietate conspicui, Romam undique conveniunt, a complurium Societatis Provinciarum Lectoribus doctrinam scientiarum sacrarum saluberrimam accepturi. Rem profecto spectatu haud mediocriter acceptam futuram S. Ignatio, qui filiorum suorum ex omni terrarum parte convenientium concordi caritate tantopere delectaretur.

Quum anno post quam in Universitate Gregoriana cursus superior Scripturae Sacrae institutus erat, e munificentia Pii PP. X, mense Majo 1909, erectum in Urbe esset *Pontificium Institutum Biblicum* atque Societatis curis commissum, lectiones istius cursus in Universitate tradi jam desierunt. Quae initio satis eliquata quaestio nondum erat, nempe de Instituti hujus aedibus adornandis, mense Martio 1910, a Pio X in ipso Urbis centro empta domo, ita ordinata est ut, scholari anno 1910-1911, cursus ibidem inaugurari posset; quae porro de scholarum processu praelectionumque frequentatione mox innotuerunt, ea Pio X vehementer probata fuerunt. Die quoque 3 Martio 1910, a Patre L. Fonck, Instituti primo Rectore, initium factum est sermonum publicorum, qui ex ipsa institutionis Bulla coram ampliori audientium corona habendi sunt. Praeterea, juxta verba Pontificis, in Litteris Apostolicis « Vinea electa » enuntiata, eduntur *Acta Pontificii Instituti Biblici* seu Nuntii de rebus Instituti; *Commentationes Pontificii Instituti Biblici*, seu Annales biblici, quibus de universa re biblica ea quae alicujus momenti sint adnotantur, atque eruditis elucubrationibus doctrina

biblica et studia omnia eidem adjuncta pro viribus promoventur; denique *Scripta Pontificii Instituti Biblici*, seu varia opera et opuscula, ex quibus series scintifico-theoretica eruditis investigationibus biblicis, series scientifico-practica exponendae ac defendendae circa libros sacros Catholicae veritati, series scientifico-popularis spargendis ubique de re biblica sanis doctrinis inserviunt. Ex his jam aliqua edita sunt, plurima vero ita parata, ut proxime edi jam possint. Nec praesertim silentio praetereunda est series textuum ineditorum aliorumque cui nomen: *Monumenta biblica et patristica.*

Anno 1912-1913 Institutum numerabat alumnos 90. Atque Deus O. M. universo huic, cujus est tam grave momentum, Pii X instituto benedictionem suam uberrimam elargiatur.

Nominandum praeterea est *Collegium Pio-Latinum Americanum*, cujus convictores mense Maii 1912 erant 151; maximas autem Americae Meridionalis utilitates egregie procurat, ut capite III uberius dictum est [1].

*Collegii Germanici*, ad Societatem denuo delati, curam anno 1829 suscepit Pater Aloysius Landes. Et primum quidem plurimae, de possessionibus ejusdem exortae, difficultates removendae erant, tum vero novae creatae molestiae sunt a gubernio Germaniae, impediente nimirum ne plures eo alumni accederent; ab anno tamen 1818 ad annum 1848, alumni in Collegio isto instituti atque conformati sunt 251. At, eodem anno exorta civilium rerum perturbatione, paucissimi remanserunt. Ac deinceps denuo excitata sunt impedimenta, quae anno maxime 1870 ad ingentem molem excreverunt. Anno postea 1886, empto palatio Costanzi, ex aedibus Borromaeis migrare Germanici potuerunt; quo tempore jam meliori conditione uti inceperunt. Quid multa? Ab anno 1818 ad annum 1904, alumni admissi sunt omnino 1117, e quibus Cardinales 4, Archiepiscopi 4, Episcopi 11, Coadjutores Episcopi 3, Vicarius Apostolicus 1; canonicorum praeterea, professorum, virorum doctorum aliisque rationibus insignium magnus numerus [2]. Nunc alumni numero sunt fere 100. Precibus A. R. P. N. Francisci Xav. Wernz. 12 Junii 1912. Summus Pontifex benigne concessit, ut

[1] Cf. P. X. Vella S. J., *The Catholic Encyclopedia*, I, p. 425.

[2] Card. A. Steinhuber S. J., *Geschichte des Koll. Germ. Hung. in Rom*, II Aufl., II Band, Freiburg i. Br. 1906.

alumni hujus Collegii, studiis philosophicis et theologicis absolutis, ulterius in eodem Collegio vel in alio, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, studiis superioribus Scripturae Sacrae et Juris Canonici incumbere valeant [1].

*Romanae Provinciae* Collegia sunt 10 et praeterea in Missione Brasiliensi 3; eorum praecipua: illud quod dicitur *Collegio Massimo* in Urbe, quod 600 alumnos habet, et Collegium Ituense in Brasilia cujus alumnorum numerus 600 multum superat. *Provincia Neapolitana* habet Collegia 5, quorum Seminarium regionis Apulae Licii numerat alumnos 80, Campanum ad Pausilypum Neapoli 50, et Collegium Pontanum 254. In *Provincia Taurinensi* sunt Collegia 4, quorum Institutum sociale Augustae Taurinorum habet alumnos 271. *Provincia Veneta* habet in Italia Collegia 3, scholas religionis 2, Convictum ex discipulis Universitatis Patavii, et Venetiae aulam studiorum. Collegium Brixinense numerat 280 alumnos. Praeterea sunt in Missionibus Collegia 4. In *Provincia Sicula* numerantur Collegia 3, in Missione unum. Maximum est Acirealense, quod habet alumnos 293 [2].

In *Provincia Austriaca*, sin minus numero, at certe instituti momento eminet civitas Oenipontana. Fuerunt tamen initia haec exigua valde; nam quo die, 27 Octobri 1839, primus Rector officium adiit, e Nostris soli 14 Domum occuparunt. Deinde vero, cum anno 1857 Patres Oenipontani theologicas Universitatis disciplinas moderandas suscepissent, anno 1858 Convictum quoque Theologorum aperuerunt. Instituti hujus, ad annum usque 1908, convictores numero fuerunt omnino 2983, ejusdemque facultatis discipuli externi 2915. Anno scholastico 1907-1908 auditores 352, e regionibus plus quam viginti, Oenipontum convenerant. Anno etiam 1908 cum insigni splendore celebratum est aureum theologici ordinis jubilaeum; ad quod, qui magno numero undique concurrerant, antiqui convictores testati profecto sunt quam proba intimaque animorum communione socii hujus ordinis mutuo devinciantur [3]. Austriacae

[1] *Acta Rom. 1912*, p. 21, 42.

[2] Par est hoc loco memoriam renovare cladis illius gravissimae terraemotus, quo dirutum nuper fuit Collegium Messanum, simul atque strenuae fortitudinis illius, qua Nostri novum Collegium statim excitarunt.

[3] M. Hofmann S. J., *Das Nicolaihaus einst und jetzt. Den Alt-und Jung-Convictoren zum 50-jährigen Jubiläum* (1858-1908) *in herzlicher Verehrung und Liebe gewidmet*, Innsbruck 1908. Cf. *Gedenkbücher aus der Oesterreichisch-Ungar. Provinz*, Kalksburg 1901.

Provinciae commemoranda porro sunt Collegia Kalksburg, cujus discipuli multo plures 200 sunt, et in loco Mariaschein, ubi institutum simul est Seminarium theologicum, discipuli autem numerantur fere 300. Seminaria porro ejusdem Provinciae sunt in civitate Klagenfurt, atque in Bosniae locis Sarajevo et Travnik. Discipulos denique Socii Austriaci instituunt omnino fere 2000. Collegia habent 8.

Magnum Collegium novae Provinciae Hungaricae habetur in civitate Calocsensi.

Habita discipulorum numeri ratione, Provincias ceteras omnes facile antecellunt *Belgae*, qui, Missionibus computatis, in Seminariis Collegiisque 19, discipulos plus quam 8500 instituunt. E frequentissimis eorum Collegiis praecipue nominanda veniunt S. Francisci Xaverii Calcuttense Collegium, cujus discipuli sunt amplius 800; S. Servatii Collegium Leodiense, ubi juvenes instituuntur fere 1000. Collegia quoque utrumque Bruxellense, Namurcense, Caroloregiense et utrumque Antverpiense suos numerant ut plurimum discipulos ad 600 vel 700. Provinciae Belgicae, quae sunt antiquissima Collegia, S. Josephi Alostanum et Dominae Nostrae Namurcense, ad annum 1831 ortum referunt. Secuta deinceps sunt anno 1833, S. Barbarae Gandavense et antiquum Bruxellense S. Michaelis. Reliqua vero Collegia fundata sunt, prout augmenta sua Provincia accepit [1]. In instituendis autem discipulis suis Patres magna libertate utuntur.

*Provincia Galiciana*, ubi primum e Russia fuit expulsa, anno 1820. Tarnopoli Collegium aperuit, in quo mox utcumque in contrarium obsistebat a Josepho Imperatore derivata contentio, nostram tamen *Rationem Studiorum* Patres vindicabant. Secuta deinde sunt, annis 1826 et 1831, Collegia Tarniec et Sandec; at anno 1848 dispersa denuo sunt omnia. Quod anno deinceps 1852 Collegium ortum est in loco Starawies, flammis anno 1886 absumptum. Anno 1857 Tarnopoli erectum est Collegium nobilium; quod autem huic, anno 1863, additum est Collegium. Patres anno 1886 transtulerunt in locum Chyrow, ubi ex illo tempore Collegium Nostri moderantur et Gymnasium cum jure publico. Ejus discipu-

[1] Alfred Poncelet S. J., *La Comp. de Jésus en Belgique. Aperçu historique à l'occasion du 75e Anniversaire 1907.*

lorum numerus, qui, post 10 annos, ad 474 excreverat, hodiedum censetur ad 500 [1].

Sociorum *Provinciae Germaniae* quamquam in ipsa patria eorum terra Collegium nullum est, sui tamen, anno 1896-1897, discipuli erant 5817.

Collegia ejus duo frequentissima, S. Francisci Xaverii et S. Mariae in Bombayensi civitate, discipulos simul numerant multo plures 2000. Quae autem hujus Provinciae Collegia in utraque America erant, jam diximus ad ipsas Americanas recens erectas Provincias transiisse. Collegiorum porro Sittardiensis et Feldkirchiensis, etiam obnitente atque adversante gubernio Borussico, successus sunt prosperrimi. Feldkirchiensi nempe Collegio, cujus, anno 1856 erecti, primus discipulus fuit Pater Franciscus von Hummelauer, cum molestiis quamplurimis conflictandum initio fuit: quibus tamen superatis, conditione nunc utitur prospera valde. Partes ejus hodiedum duae sunt, altera juvenibus digniore loco natis, honesto loco ortis destinata altera; gaudet autem jure publico, quo alumni ejus ad *Austriacas* Universitates admitti possint. Censu suo referebat, anno 1907-1908, discipulos 457. Provincia Germaniae nunc regit collegia 11.

*Provincia Neerlandica* Collegia habet quatuor, in quibus discipuli instituuntur circiter mille. Ex iis frequentissimum est Collegium Neomagense, cujus sunt discipuli plures 400; Amstelodamensi quoque Collegio augurari licet futuras res prosperrimas, dum Catvicense vim atque auctoritatem adhuc exseruit gravissimam. Ab Illustrissimo quippe Chorepiscopo C. L. de Wijkerslooth erectum anno 1831, paulatim, annis 1837-1842, e manibus Sacerdotum saecularium ad Societatem transiit. Ejus, quo tempore maxime valebat numero, convictores fuerunt 220; qui hodiedum 200 numerantur. Nec rem aestimando exaggeraverit, qui dixerit, Catholicorum in Neerlandia progressum Catvicensi Collegio partim tribuendum esse, cum ipse Harlemensis Episcopus, Ill. Bottemanne, jampridem diceret, quicumque eximia quaepiam Catholicorum opera in sua Dioecesi susciperent, eos olim Catvicensis Collegii discipulos fere omnes fuisse. Maximae quoque spei est Collegium inchoatum Moentilanense in insula Java.

[1] *Hist. Soc. Jesu in Polonia 1555-1905.* Tom. V, cap. XVII-XIX.

Universae denique *Assistentiae Germaniae*, in Collegiis 50, discipuli sunt plus quam 15.000.

*Galliae* Collegia, prout aut pacem nacta aut persecutioni objecta erant, rerum vicissitudines obierunt quam maxime diversas. Quae vixdum rite ordinata erant, cum, anno 1828, suppressa denuo sunt. Quae autem anno 1878 Assistentiae Galliae erant Collegia 30, post annum 1850 condita fuerant. Inter annos quidem 1870 et 1880, Collegiorum fortuna quam maxime effloruit, ut ipso illo decem annorum spatio erecta fuerint 13. Ad discipulorum porro numerum quod attinet, inter annos 1850 et 1880, omnino 61.109 fuerunt: ipso autem solo scholari anno 1878-1879, discipuli 11.135. Quem numerum etiam excesserunt anno 1896, quo Provincia Campaniae discipulos suos recensebat 2113, Provincia Franciae 3506, Provincia Lugdunensis 3229, Provincia Tolosana 3381, universa igitur Assistentia, Missionibus sane simul computatis, 12.299. Ante ultimam autem persecutionem ex omnibus majora Collegia haec erant: Collegium Parisiense S. Genovefae, conditum anno 1854, discipulos numerabat plures 500; Collegium S. Ignatii Parisiense, anno 1874 conditum, censebat 750 discipulos; Collegium Parisiense Immaculate Conceptionis, conditum anno 1852, discipulos instituebat fere 600; Collegium S. Josephi Insulanum, conditum anno 1872, recensebat discipulos fere 550; Collegium S. Josephi Lugdunense, conditum anno 1871, discipulos fere 420 referebat; Collegium S. Josephi Burdigalense, conditum anno 1850, suos habebat discipulos 474: discipulos porro plures 300 numerabantur etiam in Collegiis Montispessulani, Tolosae, Ambiani. Praeclarissima vero instituta Zi-ka-wei et Beyrouth jampridem commemoravimus. Anno 1911-1912 Collegium Trichinopolitanum numerabat discipulos 2040. Quo igitur ipso tempore erupit ultima persecutio, universae *Assistentiae Galliae* Collegia omnino erant 43. Utinam vero, qui ex iniquis rebus bona ac prospera novit operari, Deus Nostrorum, in Galliae Collegiis collocatos, labores ita compenset ut majorem suam gloriam, quamquam aliis viis ac rationibus, tamen usque procuret [1].

Sed neque *Assistentiae Hispaniae* Collegia vicissitudines tem-

[1] *Litt. ann. Galliae: Franc. (1891-1900): Lugd. (1890-1901): Tolos. (1885-1899): Camp. (1876-1898).* — Le P. Didierjean S. J., *Souvenirs des Collèges de la Comp. de Jésus en France (1850-1880)*, 2 vols, Paris 1882.

porum ita evadere potuerunt, ut non, modo dispergerentur, modo fortuna satis prospera gauderent. Prosperae quidem res ut plurimum ab anno 1840 ad annum 1868, tum etiam post annum 1880 fuerunt; persecutione vero vix non omnia diruta sunt annis 1821, 1835, 1868. In Lusitania autem prosperam conditionem Collegia nostra nacta non sunt nisi saeculi superioris ultima quarta parte. Universae denique Assistentiae, anno 1896, discipuli omnino erant, 10.885, e quibus in Provincia Aragonensi 4913, in Castellana 3236, in Toletana 1502, in Lusitana 560, in Mexicana 684. Persecutioni vero anni 1868 ne unum quidem Collegium superstes fuit, ut, quaecumque nunc in Hispania Collegia exsistunt, post annum 1870 ortum habuerint. Atqui multo tamen magis quam ante persecutionem hodiedum valent, quippe quae, in universa Assistentia Hispaniae numerentur 61. E quibus majora haec sunt: Collegium Barcinonense, cum discipulis 402; Athenaeum Manilense, cum discipulis 1123; Manilensis Schola normalis, cum discipulis 680; Collegium in civitate Buenos Ayres, cum discipulis 506; Collegium civitatis Chilensis S. Jacobi, cum discipulis 430; Collegium Salmaticense, cum discipulis 587; Collegium Bogotense in Columbia, cum discipulis 500; Collegium in Mexicana civitate Puebla, cum discipulis 350; Collegia Ulysipponense (nunc dispersum) et Quitense, cum discipulis quodque 300. Peculiari denique ratione commemorandum est Collegium Bilbaense, quippe in quo, successu quidem laetissimo, disciplinae magni Lycei tradantur. Pontificium Seminarium Comillense Provinciae Castellanae a Sacra Congregatione Studiorum, mense Januario 1912, specialiter laudatum est [1]. Atque utinam, quae Hispanicae Provinciae, saeculo proxime superiore, tot tamque gravibus aerumnis vexatae fuerunt, fecunda jam utentes quiete, laborem plurimum diu praestare valeant ad majorem Dei gloriam [2].

Jamvero, qui hanc productam Collegiorum seriem recensuerit, simul diligenter attendet, quanta considerationis gravitate, quantaque et quam, fere dixi anxia, exsequendi sollicitudine in condendis Collegiis uti Societas soleat. At enim plurimum abest ut civi-

[1] *Acta Rom. S. J.*, p. 9-10, 13.

[2] *Woodstock Letters*, 1896, p. 293 ss.: *The Number of Students in all the Colleges of the Society*: quae est maximi pretii elucubratio; cujusmodi postea saepius facta est pro America. Cf. *W. L.* 1908, p. 453 et passim.

tatibus, quaecumque petierint, Collegium concedatur [1]. Ceterum ne studiis inconsideratis parumque providis aditus pateret facilior, haud solum decernenda res ejusmodi Rectori loci cujuspiam vel civitatis non relinquitur, verum neque ipsis Provinciarum Praepositis permittitur ut sententia procedant ipsi sua. Ut igitur de Collegio condendo decernatur, ad ipsum Generalem Praepositum semper pertinet, ita quidem ut rem ille saepius inhibendo coerceat quam promoveat stimulando. Quare quaecumque in Constitutionibus vel Ordinationibus Generalium sapienter statuta sunt, ea praestari antea vult quam condendi Collegii tribuat facultatem. Statutum autem non solum est, Collegio suppetere debere, unde sibi ita provideat ut discipulorum tum animi tum corporis commoda apte procurari possint, verum etiam ac praecipue hoc Praepositi Generales cavent, ne Societas magno Collegiorum numero antea gravetur, quam ipsa suos homines virtute, scientia, regendique peritia instruxerit [2]. Quod si Socios ejusmodi sufficienti numero alicubi nondum habeat, Collegiorum erectionem potius differet in aliud tempus.

Istius sane agendi opinandique rationis egregium prostat exemplum Patris Roothaan, qui posteaquam, in quadam sua epistola, ostendit plurimum abesse, ut ex quolibet virtutis atque scientiae gradu vires cuique suppetant, quantae ad Societatis labores requirantur, filiis suis propositum deinde comprobaturus: « Neque ejusmodi est vitae nostrae ratio, inquit, quam mox ut quis amplexus fuerit, etiam continuo assequatur, aut quae una cum veste Societatis arripi atque indui possit; sed quae imprimis longam veteris hominis mortificationem, qua sine novus non induitur, postulat. Nam etsi vitae nostrae modus in exterioribus communis est, neque adeo a piorum Sacerdotum vita multum differt, alia tamen longe atque altiora sunt, quae a nobis, quam quae a quibusvis piis Sacerdotibus et Deus exposcit, et homines exspectant et nostrum Institutum requirit. Quare Patres, qui in Provinciis auctoritate maxime pollent, ac praesertim Praepositi Provinciales monendi mihi sunt, atque in Christi visceribus, per quantum ipsis incolumitas

[1] Certa quidem auctoritate edoctis asseverare nobis licet, condendorum Collegiorum petitiones multas declinatas fuisse.

[2] Jamdudum Pater Fortis (1820-1829) dixit, pessimos Societatis adversarios illos esse, qui ad Collegium erigendum eam cogerent.

Societatis cordi est, obsecrandi, *ut ne de novis Domibus vel Collegiis aperiendis, aut cogitent ipsi, aut iis qui importune postulant spem proximam ingerant, antequam hominum copia suppetat, quibus tum Societatis ministeria, tum praecipue gubernandi munus tuto committere possimus.* Semper, quaeso, prae oculis habeamus, primum Societatis vitam ac salutem, deinde ejus ministeria; primum formationem Nostrorum, dein eorum laborum fructus; primum interna nostra, dein externa curanda esse; nobisque persuadeamus, nec Societati consuli, nec gloriae divinae, nec proximorum utilitati, si homines vel a virtute, vel a scientia nondum quantum satis est instructi, ante tempus in solem atque aciem educantur; qui scilicet, ubi tandem appareant minus habentes, spes de Societate conceptas fallent, et ipsi gravissimis periculis objicientur, et Societas ipsa dedecori. Quae detrimenta utinam in quibusdam Provinciis non jam plus minusve passa sit Societas, dum principum ac populorum importunis votis, ex quadam insuperabili necessitate, fuit obsecundandum. Meminisse nos in hanc rem juvabit illius sententiae Sapientis: Substantia festinata minuetur; quae autem paulatim colligitur manu multiplicabitur » [1].

Cui rei non modo Praepositi Generales sollicite semper providerunt, verum etiam, quae est summa Societatis potestas legifera, Congregationes Generales caverunt ne citius ac festinatius Collegia et Seminaria conderentur. Quo quidem in genere Congregatio XXII commendavit Patri Nostro Petro Beckx [2], ut videret « ne Collegia, Seminaria et Domus nimis multiplicarentur ». Tum vero, cum R. P. Noster potestatem petiisset ut, quae Collegia majori Dei gloriae procurandae impedimento esse viderentur, eorum dissolvendorum potestas sibi fieret, « Congregatio censuit omnino concedendam » [3]; quam Potestatem Congregatio XX quoque Patri Generali concesserat [4], atque concessurae denuo erant Congregationes XXIII, XXIV, XXV [5]. Congregatio porro illa XXII anni 1853, imprimis a Convictibus minoribus aliena, censuit in posterum non admittendos, multoque minus sponte nostra aperiendos Convictus, nisi....

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 312-313.
[2] *Decr. 17.* in *Instit.*, Tom. II, p. 487.
[3] *Decr. 18.* ibid.
[4] *Decr. 20.* Tom. II, p. 473 s.
[5] *Congr. Gen. XXIII, decr. 41*, Tom. II, p. 510; *Congr. Gen. XXIV, decr. 28; Congr. Gen. XXV, decr. 17*, Tom. II, p. 523 et p. 13 *Append.*

constet haberi atque habitum iri Domos aptas, sufficientem sustentationem, non mediocrem convictorum numerum, paremque hominum e Societate ad haec munera idoneorum copiam. Cumque compertum sit, tum ex parum felici minorum Convictuum conditione, tum e Nostrorum studiis, atque etiam probationibus, vel dilatis, vel abruptis, vel etiam prorsus omissis Societatem aliquid passam esse, Congregatio optabat ut Convictus non bene constituti potius clauderentur »[1]. Nec profecto istis rebus omnibus perspectis atque perpensis, facile quispiam contendendo dixerit, quod Collegia nostra numero tantopere creverint, tribuendum id esse aut Superiorum minori in condendis Collegiis vigilantiae aut nimiae atque noxiae quorumdam e Nostris cupiditati, qua continuo et immodice augeri Collegia voluissent.

[1] *Decr. 9*, Tom. II, p. 487-488.

## CAPUT VII

### Societatis Jesu Periodica

Recte quidem dices, hoc nomine inscriptum historiae caput ante suppressam Societatem exarari a nemine potuisse. Ac saeculis sane XVII et XVIII unum alterumve periodicum fuit, neque ipsa defuerunt diaria quaedam vel aliae, certis fere temporibus conscriptae, lucubrationes [1]; at ista, etiam cuncta simul, praecipui momenti nequaquam erant. Exorientis rei conatus tantummodo ac tentamina ea fuisse dicenda sunt, dum eo Nostri eniterentur, quo, saeculi XIX parte altera atque his praesertim temporibus, pervenire tandem potuerunt. Tempora quippe vivimus, quibus multum polleat periodicorum vis atque auctoritas. Restitutae igitur Societatis erat ut, quantum succrescentes ipsius vires sinerent, non solum in universo scribendi genere scientiaeque promovendae negotio, verum etiam in periodicorum rem litterariam, suam operam, ad majorem Dei gloriam, strenue conferre vellet. Ac reapse, qui rerum summae in Societate praecerant, mox adverterunt, his diebus brevi fore, ut Nostri retro agerentur, nisi in versandis periodicis litterariis suas sibi partes gnaviter vindicarent. Necessarium adeo plane erat, ut Societatis filii non solum ad aliorum commentarios conferrent operam, verum etiam ut suis ipsi periodicis suas ipsorum sententias, suas doctrinas, suas opiniones exponere possent atque tutari. Quod quidem negotium, ad hanc usque diem, fuisse strenue procuratum, hoc capite ostendendum suscepimus.

Quamquam ipsa *Acta Sanctorum Bollandiana*, utcumque eorum volumina temporibus satis apte ordinatis prodeunt, proprio nomine et stricto sensu periodica dici quidem non possunt, at certe periodica sunt illa, quae sub finem saeculi proxime superioris edi coepta sunt, *Analecta Bollandiana*. Quoniam vero *Analecta* ab *Actis Sanctorum* separari non convenit, ab hoc igitur venerando atque

[1] Exempli causa adduci possunt *Mémoires de Trévoux*, quae ab anno 1702 ad an. 1762 a Societatis Patribus in Gallia edita sunt, atque in magna aestimatione fuerunt.

ingenti Bollandianorum opere initium describendi nunc faciemus, cui cum ipsa Societate fere communis fortuna fuit.

Etenim, anno 1773, suppressa Societate, de ipso etiam opere Bollandiano actum videbatur. « Non pauci certe erant adversarii, qui sperabant rem hagiographicam, extincto Ordine universo, plane interituram. Ast aliud statuerat Augusta Maria Theresia », e cujus mandato Carolus Lotharingicus exquisivit « sententiam illorum virorum, qui, prout tunc vocabantur, rebus Jesuiticis curandis praepositi erant ». Hi igitur, quamvis non solum ipsi Societati, sed etiam universo Bollandiano negotio infensi essent, « assentandi potius gratia et ne principem apertius » offenderent quam, ut rem serio ad deliberationem revocare possent, a viro clarissimo Van den Cruyce, senatore Brabantino, ut ea de re referret petierunt; qui, accuratissima inquisitione facta, pro testimonio dixit: « Magnam illorum lucubrationibus inesse utilitatem, quam demonstrarent elogia, operi impensa a viris omni exceptione majoribus, utpote qui, omnimoda eruditione instructi, nullo partium studio adigerentur »; porro « nullum aliud opus tantam laudem Belgio peperisse »[1]. Quibus verbis Van den Cruyce, ne periret opus Bollandianum per eos dies impedivit: nam Maria Theresia mox praecepit « ut Hagiographi incolerent aliquod monachorum coenobium, in quo sibi operis successores possent informare: quod non solum indemne servandum, sed donis etiam augendum esse statuebat ».

Socii igitur Bollandiani, anno 1778, ex jussu Imperatricis Mariae Theresiae in coenobio Coudenberg, prope Bruxellas, sedem sibi fixerunt; e musei tamen bibliothecaeque rebus pretiosis haud paucae deperierunt. Quod anno deinde 1780 prodiit Actorum Octobris volumen IV, LI totius operis, « eodem eruditorum plausu quam reliqua exceptum » fuit. At vero, Mariae Theresiae anno 1783 succedens Josephus II, auxilio primum denegato, Bollandianorum institutum postea etiam suppressit, ipsa Omnium Sanctorum festa die anni 1788. Quo facto, dum omnes ubique, tum in ipso Belgio tum alibi, in Bollandiani patrimonii haereditatem venire cupiebant, eam, suo decreto 14 Maji 1789, Imperator, pretio florenorum 30.000, concessit abbatiae Tongerlonensi. Inter quas ipsas molestias, anno 1786, prodierat Octobris tomus V, typis quidem Caesa-

[1] *Acta SS.*, Tom. VII Oct., *Prooem.* p. XI-XII.

reo-regiis, quibus etiam tomus IV editus fuerat. Octobris deinde tomus VI prodiit Tongerlonae, mense Majo 1794 [1]. Eo tempore quasi in foribus jam adstabant Franco-Galli, qui mox, litterarum labore omni disturbato, magnam etiam manuscriptorum copiam disjecerunt. Semel atque iterum, annis quippe 1800 et 1802, Bollandianae operae instaurandae conatus adhibiti frustra sunt; tum etiam, nec feliciore successu, anno 1810. Atque, ut scriptum invenimus, « illic stetit res, nec quidquam praeterea tentatum fuit, donec, anno 1836, mense Septembri in finem vergente, rumor inter Belgas percrebuit coaluisse Parisiis societatem hagiographicam, quae Acta SS. Bollandiana continuaret. Consilium probare dicebantur jam aliqui episcopi Galliae multique viri eruditi: minister regius Guizot patrocinium impendendum labori adpromittebat. Caeterum viri eruditi rem faciliorem sibi fecerant quam reapse erat: nam terna volumina in annos singulos pollicebantur, opusque completum intra decennium spondebant ». Dum haec ab eruditis Gallis agitantur, Petrus Franciscus de Ram, Academiae Catholicae Lovaniensis Rector magnificus, vir multis nominibus optime meritus, eorum conatus praevertendos censuit. Data itaque, die 17 Octobri 1836, epistola ad Equitem de Theux, qui tunc res Belgii internas administrabat, scripsit « sibi videri istam palmam ab alienigenis praeripiendam non esse: degere adhuc in patria viros, qui eam provinciam et susciperent in se et pares essent ferendo oneri, nullos autem aptiores habendos ad opus perficiendum, quam qui incepissent ». Mox etiam commune omnium in Belgio desiderium viguit, ut intra patrios fines labor ille conservaretur. Et quamvis moram facerent, qui Nostris in Belgio praeerant, judicium Praepositi Generalis exquirere cupientes, tamen confisus ratam habendam suam sententiam. Pater Petrus van Lil, Praepositus Provinciae Belgicae, 29 Januario 1837, certiorem fecit de Theux: « Constitutum esse sodalitium Bollandianum, quod constaret Joanne Baptista Boone, Josepho van der Moere et Prospero Coppens, quibus deinde alii adjungerentur ». Operam suam, 28 Februario 1837, offerentes Galli, ut in sodalitii partem venirent, justis

[1] Suppressa Societate, cum Nostris in continuanda Collectione Bollandiana collaboraverunt: A. Berthod, O. S. B.; I. B. Fonson, O. Praem.; Godefridus Abbas Tongerlonensis; M. Stals, O. Praem.; Siardus van Dyck, O. Praem; Cyprianus van Goor.

de causis admitti non potuerunt. Octobri igitur mense 1837, Bollandiani, ad quos interea quartus accesserat Pater Josephus van Hecke, laborem suum aggressi sunt [1]. Gubernii quoque annuum subsidium concessum est francorum 6000, exiguum quidem illud simul atque infaustum, quippe cui conditio adjecta haec esset, ut tertio quoque anno tomus unus prodiret. Ea enim cum, anno 1867, supprimeretur, Octobris tomi a VII ad XII conscripti jam erant.

Tunc vero, dempta perniciosa conditione, laetius denuo ita florere incepit opus Bollandianorum, ut anno 1882 trimestria addiderint *Analecta Bollandiana* [2], quibus scientifici, qui hac praecipue aetate fervet, laboris egregiam partem Bollandiani susceperunt. E rebus enim illis pretiosissimis, quae ad illud usque tempus collectae fuerant, aliisque, quas ipsi postea repererunt, *Analectis* suis elucubrationes maximi momenti in lucem edunt. Inter haec « primo loco veniunt scripta quaelibet Sanctorum cultum ac vitam spectantia, qualia sunt martyrologia antiqua nondum edita. Deinde acta Sanctorum, sive Martyrum, sive Confessorum, sive Virginum, quae praedecessorum diligentiam fugerant. Tandem ejusmodi acta Sanctorum, quorum exemplaria iidem praedecessores nacti erant non satis bona. Postremo veniunt variae textuum lectiones et documenta omnigena ad Sanctos spectantia. Identidem etiam minoris molis dissertationes ac disputationes inseruntur, codices manuscripti describuntur », etc. Quibus rebus omnibus factum ut, quae de Sanctorum historiis disputarentur, ipsi pro virili apte dijudicare possent [3].

Quem finem eo praecipue assecuti sunt, quod, ab anno inde 1891, *Analectis* addiderunt *Bulletin des publications hagiographiques*, cujus inter doctissimos quosque existimatio est egregia. Ingentis porro laboris operam posuerunt in edendis catalogis textuum antiquorum, sive hi typis excusi jam fuerant sive non excusi. Eorum autem, qui expressi typis jam fuerant, textuum Latinorum, Graecorum, orientalium paratus catalogus jam est: Graecorum porro, qui nondum impressi, textuum fere paratus est catalogus. Latinorum prospere progreditur editio, orientalium quoque factum initium est.

[1] *Acta SS. Boll.*, Tom. VII Oct. *Prooemium.*, p. XVI ss.

[2] Tomus I. Ediderunt C. DE SMEDT, G. VAN HOOFF et J. DE BACKER, presb. S. J. Paris-Bruxelles 1882 ss.

[3] *Analecta Bollandiana*, Tom. I, *De Anal. Boll. ratione ac fine.*

Annis igitur 1837-1913 a novo Collegio Sociorum Bollandianorum editae sunt: *Analectorum* partes 32, *Catalogi Codicum hagiographicorum* partes 15; ex ipsis autem *Actis Sanctorum* Octobris, tomi VII, VIII, IX, X, XI, XII et XIII; doctissima elucubratio illa quod est *Propylaeum Novembris* mensisque ejusdem tomi I, II (pars prior) et III; ita quidem ut universae collectionis jam prostet tomus LXV. Insuper ex officina hagiographica Sociorum Bollandianorum magnae eruditionis libri plurimi prodierunt. Aequum igitur est fateri, his 76 annis, Bollandiani ingentis operis ea fuisse augmenta ut, quae nostris temporibus a viro scientifico atque erudito postulari fere soleant, ipsi praestent cumulate; quam quidem Bollandianae rei conditionem eo affirmamus libentius, quod illi, inceptam a praedecessoribus methodum, Kalendarii nimirum dierum seriem sequendo, obtinentes, magnis sane difficultatibus colluctentur oportet. Porro commodae quoque rerum conditionis magnus ille progressus fuit, quod, in novo S. Michaelis Bruxellensi Collegio, tabulata cornus septentrionalis secundum et tertium attributa sunt *Museo Bollandiano*, in partes videlicet duas, bibliothecam et aulam studiorum, distributo. Operum ibi 150 millibus aptissimum loci spatium est, dum, ad singulos librorum ordines, appositis tabulatis, facillimus patet accessus. Nec dubium quin Sancti caelicolae, ad quorum laudem ingens hoc semper fervet opus, valido patrocinio amicos suos doctissimos prosequantur [1].

Eorum porro, quae periodica proprie sunt, dignitatis simul atque aetatis ordine principem locum tenet *La Civiltà Cattolica*, cujus ad annum 1850 refertur ortus hujusmodi. Cum nempe, annorum spatio 50, civilium perturbationum horroribus jam tertiis (1821, 1831, 1848) objecta Italia fuisset atque ii, quibus nobilissimae regionis salus cordi maxime esset, rei causas secum coepissent reputare, haud aegre compererunt, primam ac praecipuam rationem hanc esse, quod Ecclesiae et Pontificii Status infensissimi hostes, nil aliud appeterent quam veterem eamque augustissimam fidem e communi patriae solo prorsus evellere.

Quae quidem omnia P. Carolus M. Curci, Novembri 1849, scripto brevi exposita, Superiori suo Romae porrexit. Is vero, laudata sane opusculi doctrina, insuperabilia tamen rei exsequendae obstacula

[1] *Acta SS. Bolland.*, Tom. VII Oct *Prooemium*.

intercedere censuit; quae fuit etiam rerum civilium moderatorum sententia. Nec tamen animo despondens Pater Curci Neapolim se contulit, ubi Summus Pontifex tunc morabatur, et quo ipse Generalis, paucis post diebus, adventurus erat. Die igitur 9 Decembri, ad Pontificem admissus, Pater Curci rem suam etiamtum silentio pressit, volens quippe cum Praeposito Generali prius eam denuo communicare. Verum Antonelli Cardinalis secretum prodidit Pontifici, qui evocato ad se Patri Curci consilium condendi periodici aperuit. Pater Roothaan autem, cum interea Neapolim advenisset, quamquam, pro ardentissimo suo animarum zelo, laborem ipsum egregie probabat, rei tamen ingentes difficultates et pericula summa veritus, usque haerebat animo. Tunc vero Pius IX, expedito nodo, Patri Roothaan, Januario 1850, ut rem aggrederetur imperavit. Patri Curci commissum est ut, conquisitis Scriptoribus, universum quoque negotium administrandum susciperet. Ac mox quidem inventis Scriptoribus, medio Februario, cum Patre Pellico, Assistente Italiae, coetum fecerunt Patres Bresciani, Curci, Liberatore, Taparelli et Oreglia a Sancto Stephano. Habitis igitur comitiis, e quibus tamen aberant Patres Piccirillo et Pianciani, decretum est de inscriptione periodici, de argumento, de forma, de litterarum characteribus, de numero paginarum, de certis quibus in publicum prodiret temporibus.

Porro, die 6 Aprili anni 1850, quae erat mensis illius prima Sabbati dies, periodici, cui nomen *La Civiltà Cattolica*, fasciculus primus, exemplaribus 4200, Neapoli prodiit. Ac fuit hic quidem edendi periodici locus usque ad Octobrem mensem 1850, cum Patres, obortis videlicet de censura difficultatibus, edendum opus suum Romam transferre coacti sunt. In Urbe autem securi laborem continuarunt usque ad annum 1870; deinde primariam sedem Florentiae habuerunt usque ad finem 1887, quo anno denuo migrarunt Romam: ubi, ab illo tempore ad hunc usque diem, qui edendo operi praesunt commorantur. Quo primo statim tempore conscribi *La Civiltà Cattolica* coepta erat, exspectationem Pii IX aliorumque, successu quidem laetissimo, abunde explevit. Jam enim fasciculum alterum Patres edere debuerunt exemplaribus 6300; atque eodem anno, Neapoli etiamtum degentes, exemplaria vulgarunt 8400. Romam deinde profecti, periodici emptores numerari mox potuerunt 12.000; qui numerus porro constanter obtinuit, quamdiu prima operis series

decurrebat. Etiam extra Italiam, qui lectitare periodicum vellent, inventi multi sunt. Nec mirum; norant enim homines, prodire periodicum in ipso conspectu Pontificis, qui non solum ex animo curaret Patrum labores, verum etiam quintodecimo quoque die novum, qui prodiisset, fasciculum offerri sibi vellet, per quam occasionem Moderatori indicaret ipse, quid tractari impugnarive, aliquando etiam quo id fieri modo cuperet. Immo interdum cunctos periodici Scriptores Pius IX ad se excipiebat. Anno 1851 Pontifex, ante completam typographicam correctionem, articulos probavit aliquos, quibus ad definitionem dogmatis Immaculatae Conceptionis Syllabique compositionem pararetur via. Mox itaque e Gallia, e Germania atque ex ipsa Mexicana regione quaesitum a Scriptoribus est, ut periodici in ipsorum sermones convertendi facultas concederetur. Ac reapse translatio ejusmodi et interpretatio per aliquantum temporis spatium inter Germanos prodiit [1].

Quo periodici successu prosperrimo gavisus Pius IX, datoque Brevi, die 20 Octobri 1852, Scriptores laudans: « eo libentius, inquit, vobis gratulamur, quo magis et sacrae et civilis societatis interest gliscentes hujus nostri temporis errores ac nefaria scripta strenue et considerate refellere. Ideirco pergite in hanc curam, quae quidem multi est operis, alacriter incumbere omnique zelo et caritate contendite, ut Ephemeris vestra, quae brevi in Italia nostra celebrari coepit, in aedificationem fidei ac salutarem populi instructionem magis ac magis, Deo dante, proficiat » [2].

Jam diximus [3], quanta laude periodicum a Pio IX ornatum fuerit, 12 Februario 1866, quo die conditum est Collegium Scriptorum, facta scilicet dispensatione, qua illud cum Constitutionibus Societatis componeretur. Nam Pontificia dispensatione opus reapse fuisse, ut condi Collegium istiusmodi posset, plane id constat e Congregatione Generali XXIV (1892). Quaesitum scilicet erat: « utrum Collegia Scriptorum, ab aliis Societatis Domibus ac Collegiis separata, atque dotata reditibus annuisque proventibus, licite admitti possent; an vero ista res Constitutionibus S. P. Ignatii minime conformis esset ». Posteaquam igitur « Adm. R. Pater Noster, declarans sensum postulati, significavit in eodem omnino non

[1] *Memorie della Civiltà Cattolica*. Primo Quadriennio 1850-1854. Roma 1854.
[2] Breve *Exemplar libenter*, 20 Oct. 1852.
[3] Vide pag. 191 s.

agi de Collegio Scriptorum *Civilitatis Catholicae*, quod peculiari ac Pontificia institutione regeretur», Congregatio declaravit: « Hujusmodi Collegia, reditibus stabilibus dotata, minime conformia esse nostris Constitutionibus ».

Quoniam tamen rationes multae erant, quare desiderari posset, ut, eidem operi simul incumbentes, simul etiam degerent Scriptores, quaesitus deinceps est: « Num etiam Constitutionibus [1] .... repugnaret, quod Scriptores qui conjunctim alicui operi scribendo et edendo allaborarent ad defendendam Ecclesiam impugnandosque errores in dies exsurgentes habitarent in Collegio vel in Domo applicata, tanquam membro, ipsi Collegio, ejusque reditibus uterentur; Congregatio, diligenter examinata *Declaratione* [2] ad dictum Constitutionum locum, aliisque simul Constitutionum locis collatis, declaravit: Praepositum Generalem concedere facultatem posse, quando necessarium aut conveniens ad universale bonum id judicaret, et per tempus, quod ei videretur, ut istiusmodi Scriptores habitarent in Collegio vel in Domo applicata, tanquam membro, dummodo Collegium non gravaretur, nec quidquam fieret contra fundatorum et benefactorum intentionem » [3].

Quibus ex rebus intelligis, anno 1866, Scriptores *Civilitatis Catholicae*, dato Brevi *Gravissimum* [4], conditionem obtinuisse peculiarem; quae sane non modica a Summo Pontifice tributa laus erat, volente quippe hac ratione stabilitati hujus *Collegii Scriptorum* providere. Quanta porro periodici auctoritas eo tempore fuerit, facili conjectura assequeris ex ingenti commotione illa, quae, anno 1869, vel uno *Civilitatis Catholicae* verbulo fuit excitata. Die quippe 29 Junio 1868, Pius PP. IX bullam promulgavit, qua convocatio fieret ad Concilium Vaticanum, in diem 8 Decembrem 1869. Cum igitur *Civilitas Catholica* commentarium eo anno evulgare incepisset, quo quaecumque res ad Concilium pertinerent, in publicum ederentur, fasciculo CCCCLIII [5] relata est quaedam ex Gallia epistola, qua qui scripserat, inter alia: « Catholici, inquit, cum gaudio excipient, quam futurum Concilium de dogmatica Summi Pontificis infallibilitate proclamationem ediderit. Qua quidem indirecte

[1] Et nominatim Part. VI, cap. 1, n. 3, in *Instit. S. J.*, Tom. II, p. 95.
[2] *Instit. S. J.*, Tom. II, p. 97.
[3] *Decr. Cong. Gen.*, in *Instit. S. J.*, Tom. II, p. 519-520.
[4] Cf. *Civ. Catt.*, (1866) Vol. VI, ser. 6, p. 7 ss.
[5] Vol. V, ser. 7.

hoc fieret, ut famosa illa anni 1682 declaratio ita dirimeretur, ut opus non esset speciali discussione articulorum istorum quatuor funestorum, qui tam longo tempore quasi anima Gallicanismi fuerunt. Neminem porro latet, Summum Pontificem, ob animi venerandam modestiam, nolle praeire propositionem aperiendo, quae ad ipsius personam directe referri videatur. Verum speratur fore ut unanimis quaedam Spiritus Sancti manifestatio, per ora Patrum futuri Concilii oecumenici, acclamando eam definiat ».

Quod quidem privati hominis verbum quaedam quasi scintilla fuit, qua excitatum incendium ingens futurum erat, ut antea non sopiretur quam ipsa adesset Concilii continuandi dilatio. Quaecumque videlicet liberalis, quae dicebatur, scholae opiniones diversissimae erant, simul omnes consurrexerunt adversus periodicum istud, quod tantum sibi sumpsisse dicerent, ut Concilii deliberationibus quasi argumentum statuendo praeire vellet. Qui autem, veram esse doctrinam negare non auderent, definiendae illius opportunitati reclamabant. At disputando atque concertando eo tandem adducta res est, ut, quam opportunam esse negarent, Pontificiae infallibilitatis definitionem, eadem plane necessaria jam fieret : jam enim multis ante annis, ita Pius IX eo tempore saepius dicebat, Summus Pontifex, tanquam infallibilis ipse Doctor, dogma Immaculatae Conceptionis definierat.

Dum autem procellis istis undique Patres *Civilitatis Catholicae* impetebantur, ipse eos Christi in terris Vicarius, animum faciendo, verbis identidem solabatur atque confirmabat. Quod quidem testatus est Leo XIII, quum Scriptoribus, quinquagesimi anni expleti jubilaeum agentibus, amplissime gratulatus : « Decessor Noster, inquit, plus simplici vice, et Nos ipsi, datis in hoc peculiaribus litteris, Collegio eruditorum virorum, qui Commentariis iisdem componendis atque edendis elaborabant, perhonorifica praebuimus testimonia, inque eo firmando perpetuandoque caritatem ac benevolentiam ostendimus. Jam libet vobis, dilecti filii, impensam utiliter egregieque operam gratulari, et, occasione ultro arrepta, promeritam impertiri laudem, quod Sedis Apostolicae consilio et exspectationi optime respondistis. Praeterquam enim quod Collegium Vestrum Scriptoribus ingenio doctrinaque illustribus perpetuo floruit, quorum plerorumque nomen vigebit ad posteros ; hoc sane praecipue praestitit, quod religiosae rei vindicandae, Sedis Apo-

stolicae juribus adserendis et humanitati proferendae, quae cum fide et ex fide est, vires omnes constanter impenderit. Neque eam praeterire laudem volumus, quam, jussa Nostra [1] perficientes, amplissime promeruistis, quum videlicet Thomae Aquinatis doctrinas toto nisu provehere atque illustrare studuistis. Ex gratulatione igitur Nostra animos sumite; nullisque fracti laboribus pergite Nobis et Ecclesiae vestram probare alacritatem » [2].

Haud ita longo tempore post quam condita est *La Civiltà Cattolica*, anno 1852, in Provincia Belgica, strenue adnitente Patre Eduardo Terwecoren [3], ortum est periodicum, cui nomen *Précis Historiques, Mélanges religieux, littéraires et scientifiques.* Propositum sibi finem, anno 1852, declarans Pater ille: « Operis nostri, inquit, hic scopus est, suapte quidem natura ad religionem pertinens, ut, ipsius religionis factis et historia describendis, ad eamdem cognoscendam atque amandam homines inducamus.... Ecclesiae autem historia quid aliud est quam actibus expressa fides ejus, mores, cultus.... Jamvero nostris conatibus hic praefixus scopus erit, ut historiam illam mentibus omnium, imprimis eorum qui inter saeculi hujus curas vivunt juvenumque excultorum, accommodatam proponamus » [4]. Ac reapse mox inventi in Belgio multi sunt, tum Sacerdotes tum laici, quibus propositum illud probaretur, ita quidem ut, anno 1855, primae seriei periodici hujus paranda fuerit editio altera. Qua opportunitate usus, Pater Terwecoren sui periodici argumentum auxit. « Praelati multi, ita scripsit ille, aliique viri praestantissimi suis laudibus auctores nobis fuerunt ut collectanea nostra novis augmentis ampliaremus... Historicarum rerum argumentis addidimus rerum, quae hoc tempore geruntur, diarium, commentarium bibliographicum, varias lucubrationes litterarias et scientificas.... Periodicum autem nostrum, materiarum quidem selectione ac varietate, ejusmodi manet ut ad domesticos lares aptissime legatur » [5].

Pietate igitur ac moderatione conspicuo periodico semper propositum hoc fuit, ut, eos qui legerent, salubriter monendo atque instruendo, a perversis temporis istius doctrinis praeservaret. Ca-

[1] *Breve 8 Julii 1890.*
[2] *Breve 13 Martii 1884, Civ. Catt. Anno 50,* ser. 17, vol. VII, p. 1 s.
[3] Le R. P. Terwecoren, in *Précis hist.* 1872, p. 293 ss.
[4] *Préface de la première série,* II[e] éd. Bruxelles 1855, p. 3.
[5] *Ibid.*, p. 4.

lumniis etiam, quas Ecclesiae et Societati Jesu homines impii intulerant, ita respondebat ut temporis istius disputatis quaestionibus agitandis tamen abstineret, nec scientifici commentarii speciem prae se ferre vellet. At tamen animos legentium intime penetrabant illi articuli, quorum etiam aliqui a Bollandianis Scriptoribus exarati erant. Anno 1872, defuncto Patre Terwecoren, moderandum periodicum accepit notus ille Pater Josephus Broeckaert. Hic elucubratione, cui inscripserat « Situation », rerum adjuncta explorans, necesse haud esse comperit « ut ab ejus, qui periodicum condidisset, ratione ac proposito scribendi recederet » [1]. Periodicum tamen ampliavit perfecitque, tum externa conformatione, tum in seligendis tractandisque scriptionis argumentis, quae potissimum ex Belgarum rebus historicis, litterariis, scientificis excerpebat. Factum itaque est ut Pater Broeckaert, post annos quatuor, periodici jubilaeum annorum viginti quinque agens (1852-1877), dicere posset, ipso moderatore numerum emptorum continuo auctum fuisse. At quoniam, quod periodicum vix aut ne vix quidem sui temporis scientificis concertationibus admisceretur, fieri non poterat quin opportunitate sua paulatim excideret, eventus denique hic fuit ut in alium commentarium, cui nomen *Missions Belges*, converteretur; de quo postea suo loco dicturi sumus.

Juvat jam gressum facere ad periodicum illud, quod, anno 1856 conditum, etiam nunc conditione utitur florentissima: dico *Etudes religieuses, philosophiques, historiques et littéraires, fondées par les Pères de la Compagnie de Jésus:* quo nomine hodiedum inscribitur. Anno quippe 1856, Patres Carolus Daniel et Joannes Gagarin, novi periodici condendi inito consilio, praevium experimentum capere statuerunt, separato videlicet edito libro, quo suscepti operis abrumpendi periculum adirent nullum. Ipsi igitur, una cum Patre Eusebio Godfroy, et quarto quopiam, cujus nomen primis tantum litteris referebatur, egregias lucubrationes conscripserunt quinque, quas simul colligatas, anno 1857, cultioribus Galliae hominibus obtulerunt, hoc facto nomine: *Etudes de Théologie, de Philosophie et d'Histoire* [2]. Praefando autem propositum suum

[1] *Précis. Hist.*, 1872, p. 297.

[2] *Publiées par les PP. Charles Daniel et Jean Gagarin de la Comp. de Jésus, avec la collaboration de plusieurs autres Pères de la même Compagnie.* Tom. I, Paris 1857. In fine additae sunt *Mélanges*.

aperientes, pollicebantur: « Si prospere consilium successisset, fore ut plura volumina, incertis temporum intervallis, sequerentur »; ac primum quidem argumenta, latiori sensu theologica pertractaturos se esse dicebant, tum vero etiam philosophica et historica: ita tamen ut ad scientias quoque naturales et ad litteras commentaries suos essent extensuri: scribendi porro tesseram fore: *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate* [1]. Adsistens quoque Patribus, Deus suscepto negotio ita benedixit, ut qua re homines quasi deterreri debuissent, eadem ipsa allici multi viderentur: non enim, qui ad emendum ac legendum invitaret, exiguae molis fasciculus unus, verum integrum simul volumen in publicum edebatur. Atqui emptores tamen inventi sunt satis multi, ac quibus ubique gratissimum opus illud esset; quod ita paulatim viribus augebatur ut, quum anno tertio menstruis fasciculis edi inciperet, emptorum numerus insigniter crevisset. Periodicum igitur conditionem adeptum jam erat prosperrimam, cum, quae belli horrenda calamitas Galliam anno 1870 invaserat, per annum integrum, ne commentarii *Etudes religieuses* in publicum ederentur impedivit. At ab incepto nequaquam desistentes Patres, ubi primum obsidionis Parisinae civilisque commotionis, quae « Commune » dicebatur, gemina saevire desiit procella, egregiam operam suam denuo assumpserunt.

Per eam autem occasionem, quo tutius ipsum periodicum esset atque augmentum ejus constantius, qui edendis commentariis praeerant, mutata sede, Lugdunum migrarunt. Spes enim erat fore ut ibi non solum eam tranquillitatem nanciscerentur, quae tum ad studiorum labores tum ad judiciorum integritatem necessaria esset, verum ut ibi majorem opportunitatem etiam quam Parisiis, haberent conquirendi, qui opera sua juvare Scriptores vellent. Ac potissimum confidebant fore ut praesenti patrocinio Dominae Nostrae de Bono Consilio, quam pia fideles veneratione colunt in Lugdunensi jam pluries saeculari sacrario, uterentur, laboraturi ad majorem Dei gloriam. Qua etiam occasione Scriptores usi sunt, ut « quibus ipsi hominibus satis noti nondum essent, vel qui quacumque de causa in ipsorum consiliis aestimandis fallerentur », aperte iisdem pronuntiarent quinam ipsi essent, quid sentirent, quid deni-

[1] *Phil.*, IV, 8.

que vellent. Primo igitur fasciculo, qui anno 1872 Lugduni in publicum prodiit, emptoribus suis haec illi declararunt: « Hae lucubrationes (*Etudes religieuses*) conscribuntur a Patribus Societatis Jesu, ideoque finis eorum imprimis hic est atque esse debet, ut Catholica veritas propagetur defendaturque.... Putamus equidem, Sacerdotum praecipuum nostra aetate officium esse, ut constanti atque indefesso labore quas, commotione civili exagitati, hi octoginta anni in hominum mentibus traxerunt ruinas, easdem passim instaurare conentur. Hoc igitur, qui commentarios nostros legerint, fore exspectare poterunt, ut hodiernos errores, ubicumque invenerimus, aggrediamur.... Neque enim soli sumus ducibusve destituti. Catholico enim Scriptori, maxime Sacerdoti, ac potissimum religiosi coetus Socio, prae ceteris feliciter obtingit, ut suo itinere dirigi se sciat.... Ipsum quippe Petrum interrogat, successorem illius adeundo » [1].

Quae utcumque plana atque aperta oratio erat, et quamquam de libris gestisque rebus judicando, reprehensioni periodicum obnoxium non erat, atque etiam Scriptorum laboribus multi testando favebant, haud tamen defuerunt Catholici scriptores aliqui, qui, quam Nostri aestimationem hominibus quibusdam jure exhibebant, per eamdem probari simul sententiae illorum putarent. Immo vero fuerunt qui eorum impugnandi modestam rationem minus tribuerent verecundae urbanitati, quam sententiarum dubitationi; ac vel eo procederent ut non solum incusarent periodici Scriptores, quasi nollent hi cum *Civilitate Catholica* et *Collegii Romani* lectoribus consentire, verum ut etiam ita eorum verba quaedam interpretarentur, quasi recta fide excidendi periculo objicerentur.

Jam igitur urgebat illos Petri interrogandi opportunitas, quippe qui ipsi, Januario 1872, scripsissent: « Ipsum Petrum interrogat, Successorem ejus adeundo; nec vero Petrus, cujus vel ad infimam oviculam sollicitudo protenditur, huic respondere dedignatur » [2]. Ac reapse, impigris militibus suis succurrens Pius, respondit, scripto, die 23 Junio 1873, Brevi [3], eosque egregie simul metu liberans, ornans laudibus, animis confirmans:

[1] *Études religieuses, 1872.* Tom. I, p. 5 ss.

[2] *Ibid.*

[3] *Dilectis filiis Sacerdotibus e Societate Jesu Scriptoribus Periodicarum lucubrationum, quibus titulus: Études religieuses, philosophiques, historiques et littéraires,* Lugdunum.

« Gratulamur, inquit, vobis dilecti filii, quod ingravescente quotidie bello in Ecclesiam et convertente saeculi scientiam et disciplinas omnes in eam, imitaturi sodales vestros, qui viginti quatuor abhinc annis religionis, juris, ordinis, seu *Civilitatis Catholicae* causam infracti propugnant, in arenam descenderitis, eamdem defensuri causam per vestra *Studia religiosa, philosophica, historica et litteraria* ».

Tum vero, eos reprehensurus, qui in suos ipsi commilitones arma converterent:

« Atque utinam omnes, inquit, qui pro Deo, religione et patria decertant, licet in iis quae liberae sunt disceptationis varias sequantur sententias, uno velut agmine facto, unanimes irrumpant in solos veritatis osores, ancipitisque et perniciosae doctrinae magistros; sed memores veteris et sapientis effati: *Eadem propositio in ore Catholici est Catholica, in ore haeretici haeretica*, properantibus commilitonibus non injicerent impedimenta, nec per clamosa et severiora judicia verbi alicujus aut sententiae non satis perspicue proditae, eorum auctoritatem et efficaciam apud honestos elevarent. Concordiam hanc praesentibus potissimum in adjunctis necessariam haud raro Nos commendavimus, divini Magistri votum sequuti, qui omnes suos unum esse voluit; atque idcirco laetamur, concordi vos nisu procedere cum sodalibus vestris, quos utpote documentis hujus veritatis cathedrae studiose inhaerentes, non semel laudavimus. Pergite ergo cum iisdem ac omnibus veritatis defensoribus alacriter urgere, oculis in hanc Petri Sedem defixis, tum apertos Ecclesiae inimicos, tum subdolos errorum propagatores, disjectisque sophismatum ambagibus, ingerere populo sanam piamque doctrinam »[1].

Quo solatio Scriptores confirmati, sedulo atque successu prosperrimo adlaborabant ad annum usque 1880, cum eos calamitas oppressit gravissima: nempe funestorum istius mensis Martii decretorum occasione non potuit periodicum in publicum prodire per octo solidos annos. Erat sane ea impigris viris, quique ad illud usque tempus tam strenui decertassent, molesta valde imposita crux; quibus tamen ipsis, ne de futuris rebus desperarent, animi additi sunt Domini verbo hoc, dicentis: *Beati estis, cum persecuti vos fuerint*. Ac reapse, « qui facit cum tentatione proventum »,

[1] *Études relig.*, 1873, V^e^ Ser., Tom. IV, p. 7 ss.

Deus, anno 1887, *Studia* ex isto quasi somno excitavit. Ejus quidem anni Januario mense primus fasciculus editus est iterum Parisiis, periodici inscriptione parumper immutata [1]. Faustis quidem auspiciis aurei jubilaei, quod de quinquagesimo sacerdotii anno, quem Leo XIII expleverat, Catholicus orbis ubique celebrabat, periodicum denuo in publicum prodire potuit. « Propitia omnino hora, ita ipsi Scriptores, dum universus mundus Christi Vicario jubilanti acclamat, ut hi jam prodeant Commentarii, qui Pontificis causae ex integro sunt devoti.... Notum plane propositum nostrum, neque quidquam est cur illud denuo instaurenus. At hoc saltem nunc concessum nobis volumus, ut, honorandi Pontificis causa, propositum illud Ipsi, quem celebrat orbis, offeramus....

« Itaque juvat denuo nunc primum ad pedes Vicarii Jesu Christi convenire cum iis, qui lucubrationes nostras antea legebant. Cum his auscultabimus voci illius, cui Duci nos amantes subdimur; illiusque observandis studebimus consiliis, quae justissime nostra quoque sunt. Et dum lectoribus, quales ipsos esse velit Pontifex, in animum revocabimus, etiam reducemus in memoriam, quaecumque ipsi praestare statuimus » [2].

His rebus ita praestitutis, praeclarus mox subjungitur articulus, cui inscriptum: « Veritatem propugnans Leo XIII ». Ac reapse Leonis secuti exemplum ita sunt, ut post decem annos (1897), quae fuisset *Revue mensuelle*, jam fieret *Revue bimensuelle*, atque *Studia* mensis uniuscujusque diebus 5 et 20 ederentur. Eodem fere tempore cum Clodovaei baptizati saecularis memoria celebraretur (496-1896), ipsius primi fasciculi sumptum est exordium a carmine saeculari, quod Leo PP. XIII Clodovaeo atque Galliae dicarat. Ea quasi tessera erat, qua, Leonem XIII imitati, convertendae Galliae atque Ecclesiae exaltandae labores suos quoslibet impenderent.

Ultimis vero praecipue annis, cum periodici lucubrationes haud paucae essent, quae, ut erant profundioris scientiae, majori legentium multitudini *Studia* minus apta facerent, ipsa hac re excitatum nonnullorum desiderium est, ut novum peritis ejusmodi magis idoneum periodicum conderetur. Quo inito consilio simul ipsorum

[1] Addita quippe erant verba haec: *Revue mensuelle publiée par des Pères de la Comp. de Jésus.* Paris (Retaux-Bray).

[2] *Études relig.*, XXV^e Année, Tom. LXXIII, p. 5 ss.

*Studiorum* mutatio fiebat, quippe e quibus deinde articuli istiusmodi quilibet excluderentur. Die igitur 1 Januario 1910 fasciculus primus editus est novi periodici, *Recherches de Science Religieuse*, alternis mensibus in publicum prodituri [1]. Quo quidem ipso nomine operis hujus indoles significatur; futurum autem sperant Patres ut tum scientiarum religiosarum tum ipsius Ecclesiae Christi commodis serviant, quae ex Apostoli verbo agnoscatur esse *columna et fundamentum veritatis* [2]. Ac profecto optamus ut strenui illi doctique Scriptores, florescente quotidie magis periodico, ejusdem scopum abunde consequantur.

Impleta vero conspiciuntur ejusmodi optata in periodico *The Month*, cui abhinc multis annis res prospere cedunt, ita quidem ut, egregie conscriptum, bona etiam fama utatur. Julio quippe mense 1864, cum in Anglia communibus omnes votis periodicum postularent, quod inter commentarios cl. M. G. Ward, « The Dublin Quarterly Review », et hebdomadaria quaedam folia, cujusmodi essent « The Tablet » et « The Weekly Register » intermediam quasi viam teneret, ac praecipue cum periodicum « The Rambler » edi desiisset, novum ita conscribi coeperat, ut anno primo proprium illud esset nobilis feminae Taylor, cujus postea inclaruit nomen, fundata Congregatione *Pauperum Servarum Matris Dei*. A qua traditum ad Nostros periodicum transiit, aestate anni 1865, ita moderandum, ut tamen externos quoque Scriptores admitteret.

Periodicum autem invenies vix ullum, cujus tam saepe mutata species fuerit, uno semper servato praecipuo nomine hoc: *The Month*. Anno nempe 1864 legentibus oblatum est, hac inscriptione distinctum: *The Month, an illustrated Magazine of Literature, Science and Art*. At Pater H. Coleridge, qui erat e Societate primus Moderator, deleta voce *illustrated*, quippe quae non e vero apponeretur, servata tantum voluit nomina *Magazine and Review*. Anno 1871 bis in mense edi periodicum coeperat, a qua tamen re, anno 1874, ita denuo destiterunt ut formam facerent octavae folii partis, atque uniuscujusque fasciculi paginas 130; qua etiam occasione inscriptio mutata ita est ut diceretur: *and Catholic Review*. Qui anno 1882 Patri Coleridge successerat, Pater Richardus F. Clarke, restituta inscriptione secundaria *Magazine*,

[1] Janvier-Février, Paris 1910.
[2] Ibid., p. 1.

imaginem S. Georgii ab involucro quidem removit, insertas tamen ipsi textui effigies hominum voluit; qua de causa anno 1882 expressas invenis imagines Sanctorum Ignatii Loyolaei, Francisci Xaverii, Philippi Nerii, Thomae Aquinatis, Francisci Assisinatis, Caroli Borromaei. Anno deinde 1894 Pater Clarke moderandum periodicum tradidit Patri Joanni Gerard, qui hanc curam usque ad annum 1912 egregie gessit. Hic cum probe sciret, in Anglia ut plurimum haud inter Catholicos ingentes pecuniae divitias inveniri, paginarum numero deminuto ad 112, uniuscujusque fasciculi pretium statuit shillingum unum. Denuo impressus est involucro S. Georgius, quem delineaverat cl. Paulus Woodroffe; estque ista ad hunc usque diem periodici species.

Fuerunt igitur semper viri docti et Catholici magno numero, qui summa benevolentia hos commentarios prosequerentur. Jam enim primo statim initio operam suam scribendo contulit Cardinalis Wiseman, annis 1864 et 1865; qui ejus anni 15 Februario vitae munere defunctus est. Scriptoris nomine etiam clariorem socium habuerunt doctissimum virum Newman, qui mensibus Majo et Junio 1865 lucubrationem illam celeberrimam, *Somnium Gerontii*, hoc periodico evulgavit; postea articulorum quoque seriem edidit de *Sanctis eremi incolis*, quam, libello isto « Punch », quidam dein in ridiculam lucubrationem deflexit. Erant et alii laborum socii haud pauci, quos nominasse sit periodico honorificum: Aubrey de Vere, Dionysius Florentius MacCarthy, Doctissimus vir Russell, Domina Fullerton. E Societate autem nostra indicasse sufficiet Patres Coleridge, Clarke, Gerard, atque ex iis, qui vivi superstites sunt, Patres Martindale, Thurston, alios, quos deinceps nominandi denuo locus erit [1]. Periodici denique conformatio sane haec est, ut etiam emptorum numero summopere floreret, si plures in Anglia essent doctrina scientiaque exculti viri Catholici.

Eodem fere tempore quo *The Month* in Anglia, in Germania conditum est periodicum *Stimmen aus Maria-Laach*. Cujus conscribendi consilium maturaverat anno 1865, quo etiam primi fasciculi jam apparuerunt. Proprii autem nominis periodicum factum est anno tantum 1871. Cujus rei haec occasio fuit. Die 8 Decembri 1864, Pius IX, una cum celeberrima Encyclica *Quanta cura*, ad omnes Catholicos Antistites *Syllabum* perferendum curavit: Quo

[1] Joannes Gerard, *The Month*. (1902), vol. C, p. 561 ss.

se, quicumque in orbe increduli ac liberales erant, internecivo vulnere petitos senserunt. Meminerunt sane seniores nostri, quam acri conatu, qui Catholicis rebus adversabantur, scriptores quilibet, iracundia inflammati, invisum istud Pontificis documentum insectati fuerint. Uno autem ante anno, 1863, Provinciae Germaniae Domus studiorum Lacensis prope Andernach, qui est ad Rhenum fluvium locus, condita fuerat. Ubi Praepositus Provinciae, P. Antonius M. Anderledy, ad se e Nostris convocaverat aliquos, qui scribendi praecipuo studio incumberent. Posteaquam igitur de contumeliosis scriptis contra Summum Pontificem ejusque Constitutionem collatum fuit, ad hoc illos consilium adduxit, ut, variis editis lucubrationibus, *Syllabum* declararent atque defenderent. Rei moderandae praerat P. Florianus Riess, qui, cum Tubinganus primum Professor, et commentariorum *Das Deutsche Volksblatt* et *Stuttgarter Sonntagsblatt* conditor atque moderator antea fuisset, intrepide concertandi peritissimus, erat ingressus Societatem. Anno quidem ille 1865 fasciculum primum conscripsit. « Cum viri nonnulli theologia exculti, sic ille praefando, animadverterint, Pontificiam 8 Decembris 1864 Encyclicam non solum ab Ecclesiae adversariis multiplici aggressu petitam, verum inter ipsos etiam Catholicos erroribus nonnullis expositam fuisse, re diu multumque deliberata, consilium ceperunt, ut de Catholica Encyclicae Syllabique doctrina ad sensum popularem vulgaremque accommodatos tractatus conscriberent, quorum initium hac elucubratione ponatur » [1]. Annis proinde 1865-1869, de Syllabo editae sunt lucubrationes plurimae, quas scripserant Patres Florianus Riess, Petrus Roh. Gerardus Schneemann, Daniel Rattinger, Theodorus Meyer. Qui dum scriptis suis erant ipsius periodici quasi praenuntii, ac dum pari etiam ratione Lacenses elucubrationes edebant 12 de Concilio Vaticano, viam egregie munitam pararunt. Anno igitur 1871, ipsius periodici editus est fasciculus primus, hac inscriptione: *Stimmen aus Maria-Laach. Katholische Monatschrift* [2]: quod quidem nomen periodico fecerat Pater Riess [3]. Exorienti autem periodico plurimum favit Pater Anderledy. Primus fuerat constitutus Moderator primumque articulum etiam conscripserat: *Deutsche Nationalkirche*,

[1] Fl. Riess S. J., *Eine Vorfrage über die Verpflichtung*. Freiburg. i. Br. 1865.
[2] Herder, Friburgi Brisgoviae 1871.
[3] Cf. *Stimmen*, vol. XXX (1886), p. 176.

Pater Michael Pachtler. Essenam postmodum proficiscens, moderandum periodicum reliquit Patri Rudolpho Cornely, qui illud egregie administravit usque ad annum 1879.

Ac multa sane, iniquo tamen tempore, molitus est Pater Cornely ut periodici fortunam prosperaret. Decembri mense 1872, dispersa Lacensi Studiorum Domo, Pater Cornely cum Nostris aliquot se recepit in nobilissimae gentis Robiano domum loci Tervueren, prope Bruxellas siti. Ubi, qui periodico edendo praeerant, manserunt usque ad annum 1880, quo sedes transtulerunt in locum Blijenbeek provinciae Limburgiae Hollandicae. Egregios autem Scriptores Pater Cornely conquirere noverat, e quibus nominasse satis fuerit Patres Knabenhauer, von Hummelauer, Diel, Kreiten, Spillmann, Baumgartner, Ehrle, Christianum Pesch, Langhorst. Ut enim ipse erat indole strenuus animoque constans, hoc feliciter effecit ut periodici esset aequabilis omnium in unum finem conspiratio. Periodicum porro simul Catholicis Germaniae ingens beneficium gnarusque viae dux erat, atque Nostris etiam hoc vicissim attulit commodum, ut, communionis quasi vinculo ipsos inter Germaniamque patriam conservato, in aliena terra exsules ne inter suos populares oblivioni darentur. Ac reapse Germaniae Catholici diligentiam fidei amorisque sui studium Societati Jesu constanter demonstrarunt. Quae quidem omnia, una cum ipsius periodici praestantia, in causa fuerunt, cur in ipsa etiam acerrima persecutione (Kulturkampf), emptorum numerus satis bonus semper inveniretur.

Maximi porro momenti amplificatio periodici *Stimmen* facta est, additis fasciculis, qui *Ergänzungshefte* dicuntur. Quibus edendis locum dederunt ampliores quaedam lucubrationes philosophicae Patris Tilmanni Pesch, quas commentariis inserere, debita periodici varietate atque ipsa ejus indole salva, non licebat. Ac poterat sane Pater Pesch lucubrationes suas separatis libris edere; quod tamen consilium minus acceptum Patri Cornely erat, qui adversariorum collectioni libellorum opponere Catholicam collectionem vellet. Rei igitur perficiendae causa, mox cum invenisset adjutores Patres aliquos, voluerat quidem Cornely scientificos simul atque ad captum vulgarem accommodatos libellos edi: at perficiendum consilium haec maxime difficultas urgebat, quod, qui operam collaturi erant, Professores ii essent aut viri scientiarum altiori

studio dediti omnes. Accedebat quod, quales lucubrationes scribebantur *Der Biblische Schöpfungsbericht*, *Die Thomistisch-Molinistische Controverse*, *Das Geburtsjahr Christi*, scientifica eae ratione tractandae, ac propterea in satis angustum legentium numerum concludendae erant. Suppetebant vero et aliae commentationes, ut quas de Göthe et de Longfellow exhibuerat Pater Baumgartner, de Voltaire Pater Kreiten, quaeque ipso suo argumento simul ac tractandi methodo pluribus legentium animis destinabantur. Atque his simul omnibus rebus ortus refertur eorum libellorum *Ergänzungshefte*, quorum plerumque successus fuit prosperrimus. Eorum, inde ab anno 1876, jam numerantur amplius 100; e quibus egregie accepti fuerunt [1].

Inter ea autem, quae hodiedum maximo numero periodica sunt, e melioribus, quorumque sit major auctoritas, suo sane jure censentur *Stimmen;* cui gravitati ademptum nihil est ea, quam nuper (1910) fecerunt, exterioris formae mutatione, ultimis etiam scriptionis postulatis nonnihil indulgendo. Ad Scriptorum denique sedem quod attinet, posteaquam de Collegio Exaeten in Hollandia Luxemburgum translata ea fuit, in Domo, hac praecipue de causa ibi excitata atque a Valkenburgensi Collegio Maximo, juxta ipsas Constitutiones nostras Congregationisque Generalis XXIV decretum, dependente [2], per aliquos annos commorati sunt, donec exortis diversi generis difficultatibus, anno 1910, transmigrarunt in ipsum Collegium Maximum Valkenburgense.

Neerlandicae deinde Provinciae, de quo nunc dicendum occurrit, periodicum, ipsum quoque praeviis experimentis capiendis paulatim evolutum est. Nam sicut Galliae Patribus, integram simul lucubrationum seriem in publicum edentibus, res bene cesserat, atque Patres Germaniae praevios de Syllabo et Vaticano Concilio libellos emiserant, successu plane egregio, ita neque Neerlandici Patres ipsum statim periodicum suum condiderunt, verum inter se convenerunt de incerto libellorum vel potius lucubrationum numero, quas de suo quisque argumento conscripturi essent. Articulum igitur primum edidit Pater Hermanus Allard, quem Scriptores alii

[1] Vita P. Rud. Cornely S. J., *Stimmen aus M.-L.* (1908), Tom. I, p. 358 ss.

[2] *Decr. Congr. Gen. 1892, decr. 19:* « Ut hujusmodi scriptores habitent in Collegio vel in Domo applicata, tamquam membro, ipsi Collegio, ejusque reditibus utantur ». In *Instit.*, Tom. II, 519.

ita secuti sunt, ut annis 1868-1869 a Julio ad Julium mensem lucubrationes quinque typis darent. Cui improprii quidem nominis periodico imposita inscriptio haec erat: *Studiën op godsdienstig, wetenschappelijk en letterkundig gebied* [1]. Per annos igitur decem, hujus operis edendi ratio haec fuit, ut non pauciores quam 5, neque plures quam 12 separatas lucubrationes darent; iisdem tamen, anno 1874, addita sunt « Separata folia ». Anno tantum undecimo (1878) proprias periodici particulas decem edere coeperant, ut bina quotannis prodirent volumina, paginarum circiter quodque 500. Qua quidem aequabili ratione opus feliciter continuabatur; nisi quod, anno 1883, facta editoris mutatione, periodici inscriptio quoque non re quidem sed vocum tamen conformatione mutata est, ut jam diceretur: *Studiën. Godsdienst, Wetenschap, Letteren.* Insequenti deinde anno, adhibita est temperatio aliqua, qua magis integra periodici conformatio his commentariis accessit, dum minores etiam lucubrationes aliquas admittere statuerunt paucosque novos libros recensendo commemorare: cui tamen rei suus locus in periodico attributus non est ante annum 1887, quo inter se convenerunt, ut suus cuique fasciculo adjungeretur nuntius typographicus (*Berichten uit de Pers*).

Cum autem periodici vigesimus quintus annus expletus celebraretur (1893), A. R. Pater Ludovicus Martin, epistola Scriptoribus gratulatus:

« Certe, inquit, illustri exemplo praeivit eximius ille Ecclesiae vindex: Canisius, inquam, commune decus Societatis, at praecipue Neerlandiae vestrae ornamentum: cujus editi libri quantopere collabentem religionem erexerint, nemo ignorat. Ejus vestigiis alii deinceps ingressi, amplam litterariae gloriae haereditatem Provinciae isti pepererunt. Quam vos et adiistis et pro viribus augere studetis, ea quidem ratione quam hujus aetatis conditio admodum flagitat »....

« Quapropter laudem vos meremini, qui periodicis commentariis scite compositis religionem vindicatis; qui concordissimi inter vos, semper vigiles, ad retundendas aggressiones semper expediti, calumnias vix ortas animose refellitis, et quaestiones graviores vel ancipites opportune dilucidatis. Quem in finem universam adhibetis eruditionem: nulla enim fere est disciplina, aut sacra aut

[1] 'S-Hertogenbosch, (1868).

profana, grata aut severior, quin veritati servire cogatur. Vires autem vestras non incassum et frustra fuisse impensas, ipsi annales patrii quondam testabuntur. Scilicet quod Ecclesia isthic spectatissime floreat; quod inter multiformes sectas et haereses, res Catholica non solum tuta defendatur, sed laetiora in dies capiat incrementa, id quidem divinae bonitati acceptum referetur: at nonnihil etiam, nisi fallor, diligentiae vestrae indefessae ».

« Quod ad me spectat de nobili isto ac frugifero ministerio laetor, vel eo magis, quod dum lucubrationes doctas concinnatis, non idcirco missa facitis reliqua vitae nostrae officia. Aliis enim curis, sive animas regendi, sive docendi et concionandi, saepe distenti, subsecivas horas volenter et libenter scriptioni insumitis »...

« Omnibus peramanter congratulor, et simul suadeo, ut in proposito perseverent. Pergite optimarum artium studia promovere, et, quod caput est, religionem sanctissimam adversus renascentes quotidie obtrectationes, zelo nunquam intermisso, tueri: pergite etiam Scholasticos nostros exemplo docere qua ratione cum insigni virtute jungenda sit varia et solida eruditio » [1].

Quibus Patris sui verbis confirmati, Scriptores semel arrepta progredi via suoque se operi devovere perrexerunt. Solent fere lucubrationes conscribi a certis hujus operae sociis, qui, quotannis congressi, de periodici rebus inter se conferunt. Edendo autem operi praesunt Scriptores aliquot, in eadem Domo degentes. Quae communis laborum sedes posteaquam, ab anno 1868 ad annum 1902, Culemburgi fuit, hoc ipso anno deinde translata est Trajectum ad Mosam. Res ad communem periodici administrationem pertinentes gerit ille, qui Scriptorum coetui a secretis est; quo gravissimi momenti labore, ab anno 1868 ad annum 1894, functus est Pater Sybrandus van den Anker; cui deinde successit atque etiamnunc moderando periodico navat Pater Gosuinus van Heyst. Anno 1906, editore iterum mutato, mutata denuo est periodici inscriptio, ut dehinc haec esset: *Studiën. Tydschrift voor Godsdienst, Wetenschap en Letteren*. Statutum simul etiam est, tum ut periodici, singulis annis, tomis binis, essent paginae ferme 1250, tum ut externa commentariorum conformatio modernis, quae sunt, postulatis adaptaretur. Quamquam anno 1910 periodicum denuo editorem mutavit, ipsum tamen fere immutatum mansit. Commemorandum denique

[1] Dat. Fesulis, 9 Apr. 1893.

hoc est, jam ab annis aliquot, fasciculis interdum subjungi scientificos gravioris momenti nuntios.

Dum, de quibus commentariis diximus adhuc, *La Civiltà*, *Etudes*, *Stimmen*, *The Month*, *Studien*, magnam ii inter se similitudinem habent, proximum jam est ut sermonem instituamus de periodico, quod, vix non integrum litteris elegantioribus destinatum, haud tamen a Nostris solis conscribitur; dico *The Irish Monthly, A Magazine of General Literature.* Quod quidem periodicum, conditum anno 1873, atque ab aliquo Societatis Patre semper procuratum, peculiarem inter commentarios nostros locum statim obtinuit, romanenses fabulas minorisque molis narrationes edendo, carmina etiam, de libris diserta judicia, quaecumque fere ad rem litterariam pertinere solent. Ac fuit reapse prosperrimus hujus operae eventus: cui non parum contulerunt Socii, quorum esset clarum nomen: Dionysius Florentius MacCarthy, Fanny Taylor, alii. Januario igitur 1897, periodici moderator, Pater Matthaeus Russell, vigesimi quinti anni expleti conspectum exhibens, erat profecto cur peractis laboribus gauderet. Periodici indoles quamquam deinceps ea semper fuit ut argumenta quamplurima litteraria essent, factum tamen est ut etiam alii articuli interdum commentariis insererentur. Confidimus porro fore ut, quod solum inter omnia Societatis periodica rei litterariae fere unice dicatur, sua auctoritate diuturna floreat atque crescat [1].

Temporis consecutione proximum, de quo dicamus, periodicum est *Zeitschrift für Katholische Theologie*, conditum anno 1877. Cui hoc cum commentariis Anglicis et Hibernicis, *The Month* et *The Irish Monthly*, commune est quod, alios etiam laborum socios admittens, qui e Societate non sint, semper e Nostris habet Moderatores. Huic autem periodico condendo locum dedit, quod, a quo praesertim tempore edi desierat *Oesterreichische Vierteljahrschrift*, omnino desiderabantur commentarii istiusmodi theologici. Ac praesto quidem erat *Linzer Theologisch-Praktische Quartalschrift;* at, quamquam optime illud conscribebatur, longissime tamen ab Oenipontanorum fine atque consiliis distabat.

Oenipontano nimirum periodico theologico id propositum erat, ut in hoc ipso scientiae genere totum versaretur. Cujus rei sibi proponendae non modo ratio erat conveniens, verum etiam instans

[1] Vide *The Irish Monthly*, Tom. I (1873), p. 1 ss.; Tom. XXV, p. 1 ss.

plane urgebat necessitas. Rem enim ita reapse esse, suo primo articulo luculenter disserens, Pater Wieser demonstravit. *Apologeticam* videlicet esse opponendam modernae hominum culturae, ita quidem ut tamen de *specialibus* rebus quaestiones ne negligerentur. Porro ad usum adsciscendam esse, quantum res ipsa ferret, modernorum *positivam inquisitionem* demonstrationisque deductivam methodum. Atque ex universa cultura moderna ad Religionem defendendam ita petenda arma, ut *inductio deductione, universalique speculatione specialis inquisitio* compleretur. *Philosophiae* igitur incumbendum; modo tamen, in procuranda ecclesiastica evolutione scientificiisque Catholicorum laboribus, *lex* quae dicitur *continuitatis*, vel maxime in *Theologia* ne omitteretur; ipsa *continuitate* servata, fieri ut *unitas* servaretur et universalitas, utque, hac ipsa ratione, scientia ecclesiastica esset, ut dicunt, inter nationes communis. Denique adversus *theologiam protestanticam* eadem ratione standum, qua de modernorum cultura dictum fuisset. En habes, quid fuerit periodico propositum [1].

Neve dixerit quisquam, temporis istius adjuncta perficiendo consilio favisse. Praepotens enim in Austria liberalismus dominabatur, saeviebat in Germania certamen, quod dicebatur, Kulturkampf. Atqui suam tamen sibi viam periodicum fecit prosperrime. Nam scriptores, hoc prosecuti, ut ex Ignatii sententia homines *sentirent cum Ecclesia*, magno adversariorum numero strenue semper obstiterunt, et amicam cum incredulis modernis consuetudinem ac periculis plenam protestantismi insinuationem constanter impugnarunt. Id autem eis ad Catholicae scientiae utilitatem feliciter cessit.

Quod porro periodicum per annos amplius 30, vix quidquam mutando, tertio quoque mense ab eodem semper editore prodierit, id sane argumento est, ab ipsis initiis rem feliciter arreptam fuisse. Tantummodo auctus est paginarum numerus; omissa quoque nomina eorum, qui scribendo periodico praesunt, quippe quod satis nossent omnes, id munus theologico Universitatis ordini incumbere; demum *Analectorum* quoque facta est deinceps additio [2].

[1] *Zeitschrift f. K. Theologie 1. 1877, Prospect*, et qui inscribitur articulus: *Aufgabe der Katholischen Wissenschaft*, p. 3-56; 241-274.

[2] *Zeitschr. für K. Theol.* 1902, p. 1: *Rückblick und Ausblick anlässlich des 25-jährigen Bestehens der Zeitschrift*

Quemadmodum commentariorum Oenipontanorum, ita Polonici Provinciae Galicianae periodici accessus aliis etiam quam Societatis nostrae Scriptoribus patet. Nempe, ut scriptum invenimus, coeperunt Nostri Cracoviae, 1 Januarii anno 1884, edere in lucem folium menstruum sub titulo *Przeglad powszechny* [1], rebus inprimis religionem spectantibus, nec non illis, quae etiam litteras Societatemque attinent, deditum. Curam praecipuam susceperunt Patres Stanislaus Morawski, Stanislaus Zalenski et Wladislaus Zaborski, rem moderante ipso Patre Morawski et adjuvantibus quibusdam Poloniae Provinciae Sociis, nec non paucis, doctrina ingenioque excellentibus, externis. Res, quae prima fronte multis videbatur obnoxia difficultatibus, feliciter successit; brevi enim tempore, quod pro ista regione mirandum est sane, emptorum numerus valida augmenta habuit. Quod et ideo quoque facilius obtentum est, quia folium istud facultatem sibi evicit, in terras Russiae imperio subditas transeundi [2].

Addendum autem statim est, istum emptorum numerum vel maxime tribui oportere ipsis periodici argumentis, ejusque qui praeerat atque illorum qui scribendi labore fungebantur egregiis dotibus. Est igitur *Przeglad* verum periodicum menstruum, cujus paginae fere sunt duodecies 150, tomis quatuor distributae.

Quem vero prosperum successum Nostri consecuti erant, daemonis ille invidiam excitavit. Ex improviso enim Gedani (Dantzig) quaestio in periodicum instituta est, quod, ut criminabantur quidem, de gubernio Borussiaco male quaedam dicta fuissent. Atqui in aliis ephemeridibus et periodicis centies repetita eadem impunita relinquebantur. Sed neque de ipsa quaestione quidquam Nostri ante resciverunt, quam, re tota perfecta, ille, quem quidam criminabantur, articulus sententia judicis damnatus fuisset. Ad superius vero tribunal Lipsiense prolata causa pro Patribus ab integro judicata est [3].

Perrexit igitur periodicum tum Ecclesiae tum patriae commodis conferre bona multa; cui rei haud parum profuit quod, qui praeerat, Pater Morawski, anno 1887, Professor nominatus est in Universitate Jagellonica Cracoviae, ubi publicas praelectiones

[1] Id est, quod gallice dicitur *Revue universelle*.
[2] * *Hist. Dom. Cracoviae, ad ann. 1884.*
[3] * *Litt. ann. Prov. Galic., anno 1886-1889.* p. 1-2.

anno 1888 exorsus successu magno, majori etiam cum laude postea continuavit. Utinam, qui fortuna adhuc floruerunt, commentarii, a vicinorum gubernatorum molestiis immunes, conditione prospera etiam deinceps utantur, ut, quos nuper (1909) laborum suorum annos 25 implevit, ii futurae prosperitatis, signum atque pignus esse valeant, ad majorem Dei gloriam et Polonae gentis decus atque salutem.

Reliquum est ut animum advertamus ad periodicum e nostris recentissimum simul atque valde prosperum. Hispaniae quippe Provinciarum prosperitas vel maxime effloruit exeunte saeculo XIX et XX saeculo ineunte. Ubi, dum de operariis satis provisum Collegiis erat Missionesque idoneo Nostrorum numero instruebantur, diligenti Sociorum industria factum est ut scientiae colendae et Ecclesiae defendendae vires novae succrescerent. Ad ea igitur, quae in Hispania Nostri moderabantur, periodica religiosa, anno 1901, additi sunt scientifici simul et apologetici commentarii, hoc nomine inscripti: *Razon y Fé. Revista mensual redactada por Padres de la Compañia de Jesús*. Etenim, quantumvis qui veritatem, Ecclesiam, patriam defenderent, multi essent, persuasum tamen Patres sibi habebant, temporibus, quorum majus esset periculum, numerum eorum, qui auxilio venirent, neutiquam posse redundare [1]. Qua de re, ipso suo primo fasciculo ad Pontificem conversi, quippe cujus jura simul cum Ecclesiae juribus, tanquam filii, promptissime semper vellent defendere, haec scribebant: « Quod ad majorem Dei gloriam bene vertat! Sodales Societatis Jesu, Hispanicae ephemeridis, cui titulus *Ratio et Fides*, Scriptores, dum illius primitias Leonis XIII Pontificis Maximi ad sacros pedes reverenter deponunt, supplicibus votis exorant ipsum veritatis magistrum falli nescium, bene precari dignetur, ut sibi scripturis cumprimis de coelo lumen affulgeat, quo mox lectores sacrae doctrinae pabulo imbuti quaecumque vera, quaecumque sancta et pudica mente teneant, corde diligant, ore exprimant atque in omni vitae ratione Jesum Christum, qui est via, veritas et vita, sectatores bonorum operum insequantur ». Acceptissimum autem habens ejusmodi periodicum, Leo XIII haec statim rescribi jussit: « S. Pater novum periodicum suscepit cum voluptate singulari, sperans fore ut prosperos ejus successus videat, salutisque fructus quamplurimos, qui

[1] *Razon y Fé* (1901), fasc. I. *A los Lectores*.

Hispanae genti, tam vehementer exagitatae, prodesse valeant. Periodico proinde benedicit ex animo, una cum Scriptoribus iisque omnibus, qui istis commentariis sustinendis et defendendis cooperati fuerint »[1].

Quae Pontificis benedictio cum divinae largitatis quasi pignus fuisset, mox, primo elapso quinquennio, gratiae referri poterant hominibus tum laicis tum ecclesiasticis, quorum auxilio Patres usi fuissent amicissimo. Exaudiverat quippe Deus venerandum virum, Episcopum Ovetensem, orantem ut, qui optimis consiliis certamen bonum adirent, iisdem Dominus ita benediceret ut susceptam causam sanctam promoverent[2]. Quo etiam anno liberrime, qui scribendis commentariis praecerant, profiteri poterant[3]: « Graviorem quaestionem sive ad religionem sive ad scientias pertinentem agitatam istis annis nullam fuisse, sive in ipsa Hispania sive extra eam, quam pro dignitate Scriptores periodici non tractassent ». Nos equidem tum iis, qui moderando periodico praesunt, tum Scriptoribus successum prosperum ex animis gratulati, plane speramus fore ut, quae praeclare exorsi praestiterint, ea porro pergant exhibere, utque sive in scribentibus sive in legentibus comprobetur eventu praeclara periodici tessera haec: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum*[4].

Menstrui horum commentariorum fasciculi, paginarum fere 140, ita in publicum prodeunt ut, a Septembri mense exorsi, quaternis mensibus tomum unum, integro autem anno tres tomos impleant.

Lusitanae deinde Provinciae, haud mora, Patres, anno 1901, in Collegio Sancti Fidelis excolendis scientiis naturalibus periodicum condiderunt, cui nomen fecerunt *Broteria, Revista de sciencias naturales do collegio de S. Fiel*. Cujus periodici hodiedum series sunt tres: *Serie Botanica, Serie Zoologica, Serie de Vulgarizaçâo scientifica*. Volentes autem periodicum quam maxime diffundi, de librario deposito sibi Berolini providerunt. Uniuscujusque porro seriei quotannis in publicum editur tomus unus. Zoologicae quidem et botanicae seriei lucubrationes ejusmodi sunt ut ab eo, qui istius scientifici generis non sit peritus, intelligi vix possint; tertia vero

[1] *Razon y Fé* (1901), fasc II.
[2] *Epist. ad Scriptores, 3 Sept. 1901. Razon y Fé* (1905), Tom. XIII, p. 1.
[3] *Razon y Fé*, Tom. XIII, p. 6.
[4] Psalm. xciv, 12.

serio hominibus satis excultis aptissima atque gratissima legendi materia exhibetur. Scribendo denique, in singulis seriebus, operam conferunt etiam qui de Societate nostra non sunt.

Qui autem vel evolvendo percurrerit, statim ille animadvertet probatae doctrinae lucubrationes istas esse: ita quidem ut mirum nullatenus videatur, etiam exterarum regionum viros in istis generibus doctissimos quosque cogi, rationem earum in suis ipsorum scientificis laboribus habere. Ac profecto Lusitanae Provinciae satis recenti res illa est plane honorifica, ut periodicum ejusmodi ipsa non solum sustinere possit, verum etiam virorum doctorum, in exteris regionibus degentium, ad ipsum oculos convertant. Deo porro favente, etiam post nuperrimam dispersionem, ut ferunt, a periodico pristinus status obtineri pergit.

Denique anno 1912 Provinciae Hiberniae Socii novum periodicum inceperunt hac inscriptione: *Studies, an Irish Quarterly Review of Letters, Philosophy and Science*. Quum recentissimus sit ortus, tantummodo hunc ipsum paucis verbis referendum habemus. Ad exitum quippe deducta Universitatis Dublinensis ordinatio occasionem ipsa praebuit periodici hujus instituendi, quo de Universitariis disciplinis a Professoribus et academico diplomate insignitis viris, sive Nostris sive externis, compositae lucubrationes hominibus doctrina magis excultis proponerentur. Periodici tamen, cujus tertio quoque mense fasciculi prodeunt, procurandi cura atque administrandi penes Societatem est. Quod utinam, Deo favente floreat atque ad litterarum cultum et salutem animarum egregie proficiat.

Quibus rebus commemoratis, eorum, quae in scientiis excolendis versantur, periodicorum seriem ita recensuimus ut jam appareat, omnino posse Societatem illo filiorum suorum opere laetari. Nolumus equidem nos dirimere litem, qua quaeras nonne parum sanus sit commentariorum conscribendorum modernus ille quasi furor. Quin enim innumera hinc inferantur mala, dubium non est ullum. Nam, praeterquam quod fidei moribusque exitiosa scripta magno numero ita circumferuntur, periodicorum alluvies etiam in causa est, cur immaturos suae scriptionis fructus longe facilius multi exhibeant, et infaustam istam vitiosarum lucubrationum copiam, eorum videlicet qui enormiter vani simul atque mediocriter litterati sint, immanem in modum augeant. Verum quoniam, prodesse vo-

lens, Societas a temporis nostri rationibus penitus decedere non debebat, fatendum omnino est, ab ea ad medendum rebus afflictis operam conferri egregiam. Suis enim illa periodicis ingenuam solidamque scientiam diffundit, litterarum rectae culturae favet, ac latissimum praecipue Theologiae campum excolit summa cum diligentia. Docendo igitur atque ducendo, in Ecclesiam hujusque ministros prolatas calumnias refellendo, S. Scripturam et Ecclesiae doctrinam defendendo, ad operam impigra Societas incumbit. Quodsi suis ipsa periodicis destitueretur, haud illa sane neque in vitiis debellandis tam expedita quaquaversus ferri posset, nec suis statim locis et temporibus quasi vallo insistere, sive ut hostes propellat, sive ut propriae religionis homines defendat, doceat, ad bonam vitae frugem adducat. Gratiae igitur Christo Domino agendae sunt amplissimae, qui in his quoque rebus Societatem suam ita ducere atque edocere voluerit ut, quae hujus temporis subsidia dari possent, ea ad animarum salutem majoremque Dei gloriam procurandam Nostri adhiberent.

At multum abest ut, scientificis periodicis recensendis, absolverimus earum rerum seriem, quas in hoc genere praestiterunt Societatis filii. Immo vero recensendi tantummodo initia fecimus, quippe quod scientificis periodicis numero longe plures sint nostri ad *Missiones* promovendas pietatemque colendam scripti commentarii. Quos apte quidem in tria genera dispertiri licet ita, ut *primo* loco censeantur cujuscumque generis, quae dicuntur, ***Litterae aedificantes, Periodica Missionum***, e variis Provinciis factae relationes: quibus videlicet omnibus propositum hoc est ut Nostrorum laboribus referendis ad religiosos sensus animos legentium commoveant. *Altero* deinde loco veniunt quaecumque periodica imitando referunt Gallicos commentarios illos, quibus nomen est Nuntius S. Cordis (*Messager du S. Cœur*): hic nempe quasi nuntius reapse est rerum, quae ad Apostolatum Orationis atque cultum S. Cordis pertinent. *Tertium* denique genus est commentariorum, qui, recens quidem orti, futuri tamen fructus prosperrimi spem magnam habent: eos dico, qui ad *Congregationem B. M. V.* spectant. Quae jam triplicis generis periodica breviter recensenda habebimus, haud sane quasi minoris illa momenti essent, sed quoniam, ejusdem generis omnium cum unus sit finis, satis plerumque erit, singulorum una cum nomine, commemorasse quo anno quodque ortum habuerint.

Primi igitur generis scripta, quae ante suppressam Societatem jam erant, pretiosissimum modo atque uberrimum materiarum fontem exhibent volentibus sive de Missionum in exteris regionibus conditarum, sive de Europaeae civilitatis historia commentari. Eorum autem ipse finis praecipue fuit ut, Nostrorum laboribus enarrandis, ad virtutem colendam commoverentur animi legentium. Quae primum quidem *Litterae quadrimestres*, mox *semestres*, deinde vero *annuae* dictae sunt, earumque origo ad ipsum S. Ignatium accepta refertur. Constitutionum enim Parte VIII praecipiens S. Pater « de iis, quae conferunt ad eorum, qui dispersi sunt, cum suo capite et inter se mutuam unionem », haec ait: « Magnopere etiam juverit, litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium; et crebro alios de aliis certiores fieri: ac audire, quae ex variis locis ad aedificationem et eorum, quae geruntur, cognitionem, afferuntur: cujus rei Superioribus ac praecipue Generali et Provincialibus cura erit: eo constituto ordine, ut quovis in loco, quae ad mutuam consolationem et aedificationem in Domino faciunt, ex aliis sciri possint » [1]. Declarationibus deinde additis M.-N. ostendit S. Pater, qua ratione, qui aliarum Provinciarum Socii sunt, certiores fieri de Sodalium rebus possint: curabit nempe Generalis ut ad diversas Provincias relatio earum transmittatur.

Quae tamen litterae annuae quoniam postea plerumque, ut ait Pater Martin: « Nonnisi secundo, quarto, imo interdum decimo anno post res actas decurrente, in lucem prodierunt, cum ea, quae narrabantur succum omnem et saporem fere perdiderant.... fructu suo principali, saltem ex parte, destituebantur » [2]. Restituta quidem Societate, Congregatio Generalis XXI (1829) decrevit, ut *Litterarum annuarum* usus omnino instauraretur; utque ad pleniorem eorum, quae scribenda essent, intelligentiam, prima, quam unaquaeque Provincia esset missura epistola, nitidam, sed perquam brevissimam ortus, progressus ac status Provinciae notitiam traderet [3]. Inde pleraeque Provinciae, quatenus id ferebat rerum vicissitudo, annuas litteras Romam mittere, plures etiam eas typis excudere coeperunt, ita ut in singulas Provinciae Domos exemplaria mitti

[1] *Constit.*, Parte VIII, cap. I, n. 9; in *Instit.*, Tom. II, 115.
[2] *Instructio Adm. R. P. N. Generalis de ep. ed.*
[3] *Decr. Congr. Gen. XXI, decr. 20*, in *Instit. Soc. Jesu*, Tom. II, p. 480-481.

possent. Attamen neque hoc ubique opportuno tempore praestari semper poterat.

Quare nonnulli Provinciales, non repugnante Generali, litteras quas in propria ut plurimum Provincia colligere poterant, idiomate vulgari prelo mandandas et in triclinio legendas curarunt. « Nec immerito quidem, ait Pater Martin : sic enim, in hisce litteris edendis, finem a S. Patre Nostro intentum meliori quo poterant modo assequebantur » [1].

Cum vero Congregatio Generalis XXIV petiisset, ne diutius Societas universa careret fructu spirituali, quem colligere posset ex *Litteris aedificantibus* ad mentem Sancti Patris Nostri exaratis, Adm. R. P. N. Ludovicus Martin operae pretium duxit rationem invenire, qua methodus, ab aliquibus Provinciis usurpata, ad mentem S. Patris Nostri propius accederet, quin aliunde in scopulos impingeremus, quos antiquae *Litterae annuae* non devitassent.

« Jam vero, inquit ille, cum S. Patris Ignatii mens ea sine dubio fuerit, ut quae per universam Societatem ad majorem Dei gloriam geruntur, in singulis nostris Domibus legi possint: si unaquaeque Assistentia vel etiam Provincia, si placuerit, *Litteras aedificantes* ejusdem Assistentiae vel Provinciae collegerit, si deinde *praecipuas* etiam elegerit ex iis quae ab Assistentiis publicantur, atque in patrium sermonem translatas addiderit primis illis et magis propriis, non est dubium, quin singulae Assistentiae vel etiam Provinciae ea ad manum habere possint, unde quae in universa Societate geruntur apprime cognosci queant. Quare *Litterae aedificantes* cujuscumque Assistentiae duplicem sectionem complecti deberent, in quarum prima res propriae Assistentiae fusiori modo vulgari possent, in secunda vero litterae *praecipuae* extra Assistentiam editae et in patrium sermonem translatae ».

« Quod si in eadem Assistentia plura praevaluerint idiomata, quemadmodum contingit in Assistentia Germaniae, *Litterae aedificantes* tot saltem idiomatibus essent evulgandae, quot sufficiant ut etiam a Coadjutoribus Temporalibus intelligi queant. Quare Provinciales ejusdem Assistentiae, si ita videatur, inter se convenire poterunt ».

« Nihil etiam vetat quominus, praeter narrationes longiores,

[1] *Constit. Part. VIII, cap. I, n. 9, Decl. M. et N.*; ibidem.

summatim referantur puncta quaedam historica, quae *Varia* vocari consueverunt. Quae si referantur, curandum est, ut, quantum fieri potest, genuinis authenticis documentis confirmentur, quae postea ad historiam Societatis conscribendam inservire possint »[1].

Eadem quoque sententia, minus tamen plene, Pater Martin, anno 1897, sua ad editorem litterarum Woodstockiensium epistola scripserat [2]. Quaecumque igitur post illud tempus edi coeperant *Litterae aedificantes*, instructione ista commode usae sunt, dum, quae plurimae antea jam erant, incepta fere perrexerunt ire via. Quas omnes, ex Assistentiarum Provinciarumque ordine, recensere jam conabimur, verbulo etiam, ubi visum id fuerit, alicubi addito.

Prima quidem erit *Assistentia Italiae*, in qua pridem Nostri suis *Litteris aedificantibus*, quem scopum S. Ignatius spectabat, assequi conati sunt. Invenies enim anno:

1843. - *Estratti di alcune Lettere di Missionarî della Compagnia di Gesù*, nell'America Meridionale (lithographice). Tum

1844-1845. - *Estratto di varie Lettere ricevute dalla Missione de' Monti-Sassosi* (lithographice).

Ordinate quidem suas Provincia Romana *Litteras aedificantes* edere coeperat anno

1884. - *Lettere edificanti dei Padri della Compagnia di Gesù della Provincia Romana, Roma 1884.*

Proxime accessit Provincia Sicula, quae seriem suam exorsa est anno

1892. - *Lettere edificanti della Provincia Sicula d. C. d. G. Anni 1894-1895-1896, Palermo 1898.*

Quarum editor, praefando: « In publicum, inquit, edentes nostrarum Missionum relationes, quae, variis inscriptae nominibus ab his annis sex altero quoque anno editae hic fuerunt, opportunum esse duximus hoc quidem ordine procedere ut opus integrum divideremus in partes tres: quarum parte prima referrentur litterae, quae de ipsius Siciliae Missionibus scriptae sunt [3]; parte secunda, quae de Missionibus Archipelagi Graeci; parte tertia, quae ab iis conscriptae sunt Patribus, qui versantur in Missionibus per-

[1] *Instructio Adm. R. P. N. Ludovici Martin de litteris aedificantibus. Prooem.* ad vol. I *litt. aedif. Assist. Hisp.*, Bilbao 1900.

[2] * Cf. in *Woodstock Letters*, 1897, vol. XXVI, p. 1 ss.

[3] Cf. *Le Missioni dei Gesuiti in Sicilia negli anni 1891-1892.* Malta 1893.

tinentibus ad alias Provincias Societatis ». Atque haec quidem ille, plane e sententia Patris Martin.

Qua fere sententia Provincia etiam Neapolitana, jam pridem hunc edendi laborem exorsa, seriem suam primam incepit anno

1874. - *Lettere edificanti della Provincia Napolitana della Compagnia di Gesù, Napoli 1875.*

Magnum quoque momentum habent, quos commentarios edere coeperat Provincia Taurinensis, anno

1883. - *Lettere edificanti della Provincia Torinese d. C. d. G., Torino 1883.* — Exordio, generalis quasi conspectus Missionis Montium Saxosorum expositus est a Patre Josepho Cataldo, qui Missionis tunc erat Superior. Provincia porro Veneta relationum suarum series jam pridem exorsa erat; nempe anno

1860. - *Relazione delle Missioni .... Dalmazia, Slavonia, Croazia, 1860* (lithographice).

1877. - *Lettere edificanti della Provincia Veneta* (lithographice). — Deinceps tamen eaedem epistolae prelo impressae sunt, primum Venetiis 1890. Ad eamdem Provinciam pertinere quoque censendum est, quod de Missionibus edi coepit periodicum, anno

1903. - *La Missione di Mangalore, tipografia della Missione, Mangalore, S. Canarà, India* (1903). — Quo quem finem prosequantur, brevissime scriptores his verbis pronuntiarunt: « Volumus pro Missionibus Catholicis in Italia quoque impendere, quam operam in India praestamus, iisque, qui suam nobis amicitiam atque munificentiam exhibent, quasi rationem aliquam reddere earum rerum, quae in Missionibus fiunt: quo quidem modo non edificationi tantum iis erimus, verum etiam hoc grati animi testimonio beneficia remunerabimur, quae nobis praestiterunt ac vicissim majorem in dies benevolentiam eorum atque cooperationem consequemur ». Qui periodicorum, de Missionibus tractantium, ex parte quidem, communis omnium est scopus; apparet ergo ea a litteris aedificantibus haud parum differre. At dici in universum omnino potest in Assistentiae Italicae Provinciis, S. Ignatii votis, quae erant de litteris aedificantibus, plene satisfactum esse. Immo vero S. Patris ipsa verba pro tessera inscriptae sunt litteris, quas Provincia Veneta edidit.

Nec minus in *Assistentia Germaniae* rite percepta S. Fundatoris

monita fuerunt. Primos quidem conatus in domo Lacensi adhibuit Provincia Germaniae, quae edidit, anno

1870. - *Gesammelte Nachrichten aus der Deutschen Provinz und den Missionen, Maria-Laach. 1870-1871* (lithographice). — Qui sane ideo grave momentum nuntii habent, quod plurima communicantur nova de officiis caritatis, quae tempore belli (1870-1871), sive in ipsis locis pugnae sive in hospitiis, Nostri aegrotis exhibuerunt. Quod porro patria pulsi iidem sunt, id sane nuntiis hujusmodi continuandis parum favit, ut mirum non sit eos primo deinceps tempore intermissos fuisse. At vero demum anno

1897 incepit Germanicae Provinciae series, quae inscribitur: *Mittheilungen aus der Deutschen Provinz, I. B. 1897-1899. Roermond 1899.* —

Quas qui edidit relationes, jure ille quidem, ostendit, quam multipliciter gravis sit anni istius 1897 memoria: Completus quippe XXV annus tunc erat, cum ex Germania Nostri expellebantur; annus quoque L, cum ejiciebantur ex Helvetia; saeculum denique tertium agebatur expletum, cum Friburgi diem B. Petrus Canisius obierat. *Nuntio praerio* hoc praecipue commonstratum, quantum relationum istiusmodi momentum pro describenda Provinciarum atque universae Societatis historia esset: « Saepissime, inquit, desiderantur atque ingenti cum labore frustra conquiruntur de singulis rerum eventibus nuntii authentici, neque ii solum de Nostris agentes, sed etiam de externis, sive privatis hominibus sive in auctoritate constitutis, ita quidem transmissi ut ipsa verba referantur simulque indicentur fontes, quibus fidem habere possis. Quot enim praeclarissima de Societate prolata testimonia sunt, quae tamen in ipsis vitae hujus turbis pereuntia non conserventur, quantumvis ea ignoret nemo. Quot etiam epistolae, a Patribus relictae, concremantur, quas tamen conservasse omnino e re Societatis fuisse videatur. Atqui testimonia ejusmodi atque epistolae, inter collectiones epistolarum impressa, vindicari ab interitu facillime possunt: quibus etiam defunctorum nostrorum scriptae memoriae aptissime integrantur » [1]. Ac sane solidum opus exspectare licuerit ab eo, qui talia cogitando scripserit.

Multis jam ante annis in Provincia Germaniae periodicum exstiterat.

[1] *Mittheilungen*. Roermond 1897, *Zur Einführung*, p. 2.

1873. - *Die Katholischen Missionen. Illustrirte Monatschrift, Freiburg im Breisgau, 1873-1874.* — Hi commentarii, quorum utilitas magna fuit, ortum suum acceptum referunt Patri R. Cornely, qui ita cum periodico Gallico, *Les Missions Catholiques de Lyon*, eas conjunxit, ut tamen Germanicam suam, quod aequum erat, indolem servarent. Eorum per multos annos moderator fuit notissimus ille Pater Spillmann.

Qui porro in Austriaca quoque Provincia saepius adhibiti conatus sunt, ut, quae essent Provinciae res gestae aliquanto graviores, scripto connotarentur, novis tamen difficultatibus semper exsurgentibus, ad irritum saepius redacti fuerunt. Prima quidem rei initia tentarunt P. Joannes Nepomucenus Stöger et P. Maximilianus Klinkowström. Scholastici deinde Oenipontani ediderunt, annis

1893-1895. - *Mittheilungen der Scholastiker der Oest.-Ung. Provinz über die Verehrung des H. Herzens Jesu* (lithographice).

Multo plura praestitit Pater von Bülow, edens, anno

1901. - *Gedenkblätter aus der Oesterreichisch-Ungarischen Provinz der Gesellschaft Jesu, Kalksburg 1901;* quod erat praeclarum ad res nostri temporis narrandas prooemium. Ac reapse prodierunt, anno

1905. - *Nachrichten aus der Oesterreichisch-Ungarischen Provinz S. J. Weihnachten 1905 ss.* E cujus operis exordio facere non possumus quin haec referamus: « Jam habemus, quo *mentium* inter Nostros commercio utamur *fraternamque caritatem manifestemus*, atque fore speramus ut, quod spirituale quasi vinculum omnes Provinciae nostrae Domus inter se, Provinciaeque Socios, in aliena regione degentes, cum patria conjungere debeat, reapse etiam omnes nostros Fratres, sive in Septentrionalibus sive in Meridionalibus, sive in Orientalibus sive in Occidentalibus partibus versantur, ita commodorum laborumque communi societate in unum corpus uniat, ut singulas hujus partes spatiis quidem locorum dissitas, nequaquam vero animorum dispositione separatas esse constet » [1].

Alium nuntiis suis finem spectat Provincia Belgica, quippe quae de Missionibus commentarios edat; eorum autem hae series fuerunt: Anno

1876. - *Mission belge du Bengale occidental. 1837-1893* (lithographice). Tum, anno

[1] *Nachrichten 1905: Einleitung und Rückblick*, p. VI.

1890. - *Extrait des Précis historiques, 1890. - I. Mission belge du Bengale occidental. Lettres des Missionnaires, Bruxelles 1890.* Quae, per annos aliquot continuata, pretiosa collectio postmodum perfecta atque aucta prodiit. Nempe periodicum edi coeperat anno

1899. - *Missions belges de la Compagnie de Jésus. Congo, Bengale, Ceylan, Bruxelles 1899.* Cujus optimae editionis prooemio his verbis declaratur, quod sit operis argumentum : « Epistolae quidem Missionariorum praecipuum suppeditabunt argumentum periodici; feliciter autem nobis interdum continget ut iisdem articulos addere possimus, conscriptos a viris eo in genere doctissimis, qui ipsi quoque Missionariorum nostrorum operibus animo devinciuntur; qua re fiet ut periodici gravitas augeatur ac varietas, nosque simul iis, qui Missiones nostras suis beneficiis juvent, grati animi testimonium exhibere possimus, quod magnanimi auxilio nostros populares ipsi auxiliantur ». Quibus verbis apparet, externis quoque destinatos hos nuntios esse. Denique, ab anno inde

1906, a Provincia lithographice exarati rerum recens gestarum nuntii communicantur cum Sociis, etiam iis qui extra Provinciam degunt, quibus nuntiis nomen fecerunt : *Echos de Belgique.*

E Missionibus quoque nuntiis edi coeperunt a Provincia Neerlandica, anno

1889. - *Berichten uit Nederlandsch Oost-Indië voor de leden van den St. Claverbond, 's-Gravenhage 1889.* Coetus quippe Sancti Petri Claver, juvandae Missioni Societatis in Indiis Orientalibus institutus ac per universam Neerlandiam diffusus, his nuntiis, qui proinde etiam externis destinantur, tanquam instrumento utitur, quo Missionis res praecipuae in patria innotescant, simulque, qui legerint, ad animarum zelum extimulentur. Quem reapse vigere homines suis constanti largitate tributis eleemosynis demonstrant. His autem nuntiis non solum Missionariorum labores innotescunt, verum etiam regionum populorumque notitia egregie juvatur. Antea a Socio etiam Provinciae Neerlandicae, ab anno inde

1874 periodicum conscribebatur, cui nomen : *De Katholieke Missiën, 's-Hertogenbosch 1874;* qui optime quidem elucubrati commentarii, quoniam tamen Societatis proprii non erant, defuncto Moderatore, anno 1897 ad alios devenerunt.

Provincia porro Galiciana, praeter suas proprii nominis *Litte-*

*ras aedificantes*. Missionum quoque periodicum habet. Illae quippe ortum habuerunt, anno

1904. - *Nasze Wiadomosci, Krakau 1904 ss.* Quibus propositum hoc est ut Instructione Adm. R. P. N. Ludovici Martin, de *Litteris aedificantibus*, tanquam norma utatur. Is nimirum pro ea, quae *Litterarum aedificantium* indoles est, atque pro fine iisdem statuto, Instructionem suam his verbis absolvit: « Invigilent Provinciales, ut in his litteris edendis serventur regulae quae traduntur in formula scribendi (nn. 29, 30). Maximopere curent, ne quidquam evulgetur quod non faciat ad aedificationem, aut quod caritatem fraternam laedere possit: ne epistolae Superiorum, Instructiones et alia ejusmodi typis mandentur absque expressa licentia eorum quorum interest; et tandem ne *Litterae aedificantes* cuiquam externo communicentur sine praevio Provincialis consensu » [1].

Quibus observatis monitis Patris Martin, Provincia Galiciana collectionem sibi adornare coepit, cujus momentum est plane egregium: nam cum, reliqua Societate exstincta, Provincia haec in Alba Russia vivere perrexerit, res ex illo tempore valde memorabiles magno numero ibi inveniuntur.

In publicum eadem Provincia praeterea edit, ab anno

1881. - *Missye Katolickie, Czasopismo Miessiecznе Ilustrowane, Krakow-Warszawa 1881.* Quae qui uno quasi conspectu universa comprehenderit, fatebitur sane, Assistentiam Germaniae, rite exorsam opus, suis *Litteris aedificantibus* copiose jam instructam esse.

Nec sane minus id de *Assistentia Galliae* pronuntiandum erit, quae jampridem eumdem institutum laborem, sexcentis haud obstantibus difficultatibus, pluries disjecta atque dispersa, constanter tamen prosecuta est.

A Provincia Franciae exorsi, nominare statim possumus, anno jam

1841. - *Lettres des nouvelles Missions de la Chine, Tome I. 1841-1846* (lithographice), quae continuata deinde series est. Tum vero, haud ita multo post, inchoatae sunt series illae notissimae; nempe, anno

1852. - *Lettres de Laval, 1852 ss.* (lithographice). Quae series haud usquam interrupta continuatur usque ad annum 1879, ita de Missionibus praecipue tractans, ut tamen ex Europa quoque narra-

[1] *Nasze Wiadomosci*, I, p. 5.

tiones magni momenti multae inserantur. Quum, anno 1880, expulsi e Gallia Nostri essent, Lavallensemque Scholasticatum ad insulam Jersey transtulissent, nusquam defessi juvenes mox, denuo assumpto labore, conscribere inceperunt, anno

1882. *Lettres des scholastiques de Jersey, Avril 1882 ss. Imprimerie St. Augustin, Bruges;* quae etiamnunc continuantur. Exordio quidem: « Statutum, inquiunt, nuperrime est, his *Lettres de Jersey* denuo assumendum opus esse, quod illis *Lettres de Laval* antea praestabatur. Duo fere anni sunt, cum prior illa interrumpi opera debuit; quod spatium fieri sane non potest ut a nobis expleatur ». Tum vero, laudato pulcherrimo verbo Patris du Lac: « Utinam, aiunt, scripta haec omnibus quidem, imprimis vero carissimis Missionariis nostris hanc menti cogitationem subjiciant, esse nobis intrepidam usque Matrem, quae, animo nusquam despondens, prostratum tentorium semper parata sit tollendo transferre et aliis atque aliis in locis constituere, prout insistentis sub pedibus deciderit solum »; tum finem praefando ita faciunt: « His ex Jersey epistolis gratum illud atque validum mutuae caritatis vinculum magis stringetur; ut, quo adversarii magis ab invicem separare nos et ad solitudinem quasi redigere conabuntur, eo magis strenue nos antiquos mores mente atque animo vindicare debeamus; quam ipsam rem hae epistolae promovebunt »[1]. Ac reapse suo fini haud defuisse epistolas, legenti satis apparet. A Provincia Franciae proxima nunc est Provincia Lugdunensis. Cujus incipiunt jam anno

1850. - *Lettres sur la Mission de Madagascar 1850-1854* (lithographice); tum demum, anno

1859. - *Lettres de Fourvière* (lithographice), quibus de Missione, compluribus distinctis seriebus, pertractatur. Cum Scholasticatu enim epistolae quoque sedem plus semel mutare debuerunt. Invenies sane, anno

1876. - *Lettres d'Aix 1876 ss.*, quae eadem ratione usque ad decreta mensis Martii continuantur. Editae deinceps sunt, ab anno

1881. - *Lettres de Mold, Lettres du Scolasticat de la Province de Lyon, Tome I, Bruxelles 1881;* quae continuatae sunt usque ad Junium 1897. Eo enim tempore Scholasticatus e loco Mold denuo Lugdunum translatus est, ut iterum edi coeperint, anno

[1] Cf. in *Lettres de Jersey*. I, *Introduction*.

1897. - *Lettres de Fourvière*, continuatae usque ad Julium 1901; cujus operis editio altera erat, externis destinata, atque inscripta hoc nomine:

*Relations d'Orient. Syrie, Egypte, Arménie.* Quo deinde tempore Cantuariam profecti sunt Patres, *litteris* tum *privatis* tum *publicis* idem factum est nomen, ut in publicum ederentur, anno

1902. - *Relations d'Orient: Syrie, Egypte, Arménie. Bruxelles 1902.* Quae Nostris destinata exemplaria erant, *Supplementum* iis, sua paginarum indicatione distinctum, addebatur. Quamquam autumno 1906, Scholastici Cantuaria profecti sunt Ore, epistolarum tamen nominis mutatio facta tantum est mense Majo anni

1908. - *Lettres d'Ore, Relations d'Orient et Supplément, Bruxelles 1908*, quae solis Nostris destinatae sunt; dum, quae pro externis eduntur, omisso *Supplemento*, inscribuntur: *Relations d'Orient.*

Antea quam, anno 1852, orta est Provincia Tolosana, suas, quod diximus, Provincia Lugdunensis *Litteras aedificantes* jam habebat; atque etiam postea quam, divisa Provincia, Scholastici Lugdunenses, anno 1855, e loco Vals profecti sunt:

1855. - *Lettres de Vals* communes utriusque Provinciae esse perrexerunt. Cum vero Lugdunenses separatae exstitissent *Lettres de Fourvière*, ab eo anno

1859. - *Lettres de Vals*, usque ad Aprilem 1880, solius Tolosanae Provinciae propriae erant. Decretis autem Martii mensis expulso Scholasticatui refugium factum est in Hispaniae loco Uclès, ubi, comparatis rebus omnibus, edi denuo coeperunt, anno

1882. - *Lettres du Scolasticat d'Uclès, Uclès 1882-1898.* At ubi primum deinde tutos se in patria degere posse Nostri putarunt, anno 1897, translatus iterum Scholasticatus est ad locum Vals; unde denuo prodierunt, anno

1899. - *Lettres de Vals. Nouvelle série. Tome I, Vals 1902 ss.* Ast patriae majorem aequo fidem illi habuerant; nam, anno 1901, in exsilium ire denuo coacti, in Neerlandiae locum Gemert migrarunt; ubi, ut litterarum Valsensium tomum explerent, ejusdem nominis addiderunt fasciculos; ideoque non edebantur nisi anno

1903. - *Lettres de Gemert. Nouvelle série, Tome I, Gemert 1903 ss.* Hic, per annos fere 9 exspectantes Nostri ut Valsensem litterarum inscriptionem denuo assumere liceret, nihil boni sperare adhuc potuerunt.

Assistentiae Gallicae omnium recentissima est Provincia Campaniae; quae ad annum usque 1843, quo sui juris facta Provincia est, partem habuit earum litterarum, quas e Provincia Franciae prodiisse diximus: Nempe anno

1841. - *Lettres des Nouvelles Missions de la Chine* (lithographice) *1841 ss.;* tum, anno

1852. - *Lettres de Laval* (lithographice) *1852 ss.* Simili quoque ratione suam obtinuit partem in iis, quas nondum nominavimus, exortis anno

1843. - *Lettres des nouvelles Missions du Canada, Tome I, 1843-1849*, quae etiamnunc continuatur series. Deinde vero pervulgari coeperunt, anno

1898. - *Chine et Ceylan, Lettres des Missionnaires de la Compagnie de Jésus (Province de Champagne), Abbeville 1898 ss.* Cujus collectionis fasciculo primo nuntiabatur, incertis temporibus edendas epistolas istas, tanquam grati animi testimonium, Missionariorum cognatis, amicis, benefactoribus esse destinatas. Altero autem fasciculo haec addebantur: « Ad vos mihi sermo est de vestris cognatis, amicis, magistris, popularibus, qui, relicta Gallia, in longinquas regiones profecti sunt, Jesu Christi regnum propagaturi. Sobrius mihi ad vos sermo erit de illorum laboribus, aerumnis, gaudiis. Iis porro, qui beneficiis suis Missionarios adjuverunt, gratias agens, simul ostendere volo quae eleemosynarum ipsorum utilitas exsistat. Propositum denique mihi hoc est: Ut Missionum amorem promoveam, atque in iis, qui magno sunt animo, illum, quo fervent apostoli, zelum accendam; ut etiam preces impetrem, plurimas dico preces, quibus incrementum det Deus iis, quae Missionarii plantarunt atque rigarunt. Si per vos licuerit, bis vel ter quotannis me vobis obvium exhibebo, incertis quippe temporibus, cum, quas transmittam vobis, transmarinas narrationes satis aptas habuero » [1].

Quod Missionis periodicum, anno 1902, ita auctum est, ut in ipsa inscriptione mentio etiam insulae Madagascar fieret, atque jam exhiberetur legentibus, inde a Junio mense anni

1902. - *Chine, Ceylan, Madagascar. Lettres des Missionnaires de la Compagnie de Jésus (Province de Champagne), 1902 ss.* Am-

[1] *Chine et Ceylan*, n. 2, *Avant-propos.* (1898).

pliata etiam libelli species est, frequentioribusque imaginibus distincta.

Tametsi prae ceteris vehementius Hispaniae Provinciae persecutionibus exagitatae saeculo proxime superiori fuerunt, suas tamen *Litteras aedificantes* etiam *Assistentia Hispaniae* habuit. Cum enim, anno 1868, ex universa regione illa expulsi Nostri fuissent, in ipso exsilio Gallicae regionis Landes exstiterunt, anno

1870. - *Cartas de Poyanne, Poyanne 1870 ss.* Paulo vero post, in Missionibus prodierunt, anno

1871. - *Cartas de los Padres de la Compañia de Jesús de la Mission de Mindanao, Manila 1871 ss.* Amissa autem regione Mindanao, mutata inscriptione, edebantur, ab anno

1903. - *Cartas edificantes de los Misioneros de la Compañia de Jesús en Filipinas, Barcelona 1903 ss.* Interea vero in ipsa patria *Litterae aedificantes* per aliquantulum temporis spatium jam non erant; nam cum, anno 1880, Scholasticatus e Galliae loco Poyanne ad Hispaniae locum Oña translatus fuisset, edi primum desierant illae, quas diximus, *Cartas de Poyanne.* Prodierunt tamen, anno

1886. - *Cartas de Oña, Continuación de las de Poyanne, Marzo 1886 ss.* Quae tunc quidem solae in Hispania *Litterae aedificantes* exsistebant, postea vero eum in modum conformandae erant, ut suis nunc Hispania *Litteris aedificantibus* Provincias ceteras omnes, sin minus exsuperet, at certe aequet. Prodierunt enim, anno

1900. - *Cartas edificantes de la Assistencia de España, Bilbao 1900 ss.* ... Qua inscriptione vides ita ab aliis Provinciis Hispaniam discrepare, ut hujus *Litterae aedificantes* non a singulis Provinciis, verum ab ipsa Assistentia collectae edantur. Qua sane ratione non solum totius operis aequabilitati melius provisum, verum etiam, cum, quae a singulis Provinciis Domibusve conferenda sunt, ordinatius praestentur, cautum simul est ut majori constantia atque securitate res universa procedat. Cui egregiae collectioni praemittendam, Adm. R. Pater Ludovicus Martin suam scripsit *Instructionem de litteris aedificantibus*, de qua nos saepius jam diximus. Ac revera operae pretium illud omnino erat; hac enim una collectione comprehenduntur Provinciae Aragonensis, Castellana, Toletana, Lusitana, Mexicana; tum vero etiam Americae Meridionalis Missiones Columbiana, Aequatoriana, Peruana,

Chilena-Paraguaya, praeclara Missio Philippina, Missiones quoque Goana, Macaensis, Zambesiana. Quarum *Litterarum aedificantium* ordinatus cursus speratur exemplo reliquis futurus.

Ad *Assistentiam Angliae* porro transgressi, hoc statim pronuntiare possumus, *Litterarum aedificantium* ab ea editas esse series, quarum momentum sit plane gravissimum. Rei initium in ipsa Provincia Angliae fieri, pronum id omnino erat. Quae epistola encyclica exordientem seriem primam nuntiando commendabat, data est Annuntiationis B. M. V. festa die anni 1862: « Impedimento, aiunt, rerum adjuncta fuerunt, ne litterae annuae, qua id forma in Societate statutum est, nostras Domos circumirent; ac multos quidem magnum ejus rei desiderium tenuit, dum, quae ad aedificationem plurima facere poterant rerumque circumstantiae, quarum notitia ad majus Dei obsequium communisque omnium Matris amorem incitaret, latebant multos ejus Societatis Fratres, in cujus ipso sinu originem ista omnia habuerunt ». Prodierunt igitur, anno

1863. - *Letters and Notices, vol. I, Roehampton 1863.* Qua serie dum, per annos fere 40, commentarii colligebantur scribendae historiae Societatis utilissimi, simul aedificationis atque gaudii suggesta Nostris sunt argumenta quamplurima. Prodiit deinde, mense Majo anni

1898. - *The Zambesi Mission Record, Roehampton 1898;* cujus periodici singulis annis eduntur fasciculi 4.

Provincia Hiberniae quoque suos Missionum commentarios edere coeperat, ipso S. Patris N. festo die, anno

1894. - *Our Australian Missions 1894.* Qui, modici primum quidem fasciculi annui paginarum fere 30, postea tamen augmenta sua fecerunt. Mox Provinciae hujus accesserunt etiam *Litterae aedificantes;* nempe prodierunt, anno

1898. - *Memorials of the Irish Province S. J. Dublin 1898 ss.* Quarum his verbis concepta dedicatio erat: « Sancto Ignatio, Societatis Jesu fundatori, cujus, in hac terra olim degentis, ac multo etiam magis in caelos elevati curis diligentissimis minima nostra Hibernica Missio tot beneficia accepta refert, laborum nostrorum hi commentarii, primum nunc typis impressi, humili obsequio dedicantur ».

Quae ultimo loco commemorandae veniunt *Litterae aedificantes*, forte melius atque aptius quam aliae omnes, sin minus statim ab

initio, at hoc certe tempore, conscribuntur. In America quippe prodierunt, anno

1872. - *Woodstock Letters, a Record of Current Events and Historical notes connected with the Colleges and Missions of the Society of Jesus in North and South America, No. 1, January 1872.* Has litteras inter se conferenti, quae videlicet prioribus cum iis quae posterioribus annis editae sunt, apparet earum omnimodum progressum fuisse. Fertur, R. Patri Rodulfo Meyer, Assistenti Angliae, in Instructione A. R. P. Ludovici Martin, de *Litteris aedificantibus*, adornanda adjuvanti, oculis obversatos praecipue esse hos commentarios Woodstockienses. Neque adeo mirandum, cum periodici vigesimus quintus annus expletus ageretur (1897), Patrem Generalem litteris Moderatori gratulatum esse: « De litteris istis Woostockiensibus, inquit, jam saepius ad me relatum est, in id vires suas contendisse Reverentiam Vestram, ut crebra inter Nostros litterarum communicatione quam maximus caritatis spiritus et in Provincia et extra Provinciam foveretur. Nec parum me delectat, quod tanto studio tantaque diligentia fasciculis istis documenta plurima collegerit Reverentia Vestra, quae ad historiam Provinciae conficiendam percommoda postea erunt. Enimvero paucos ante menses quum legissem quae de Nostrorum in Missione Alaskensi laborantium zelo atque angustiis litteris istis referebantur, excerpta protinus nonnulla Emis Cardinalibus legenda obtuli, quo palam ipsis constaret et animorum zelum et spiritum sacrificii primaevum vigere adhuc in Societate et florescere ». *Litterarum* autem harum *aedificantium* finem hunc esse dicit ut « rerum a Nostris ad gloriam divinam gestarum pia conservetur memoria; et ut aedificatio et caritas mutua in Provincia quam maxime foveantur ».

Tum, argumentum illud persecutus: « De caritate vero, inquit, inter discipulos suos fovenda saepe locutus est Benignissimus Dominus Noster, quos in mundi conversionem cum destinaret id est adfatus: *Ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat:* quem fructum exponit S. Augustinus alium non esse quam dilectionem. *Maneat dilectio, ipsa enim est fructus noster.* Porro ad dilectionem inter eos procurandam, qui diversis regionibus positi mutuo aspectu et familiari consuetudine frui nequeunt, magnopere juvat frequens litterarum commercium, quo ejusdem

religiosae familiae Fratres melius se nosse, intimius et amare discant. Neque enim fieri potest ut non amemus eos per quos tanta Deus agere dignatur, quorum etiam exempla stimulo nobis sunt ut in gloria Dei provehenda nulli labori nullique curae parcamus ».

Deinde vero addit: « De fructu caritatis atque aedificationis per litteras Woodstockienses hucusque relato Reverentiae Vestrae gratulor et in spem magnam adducor fore ut uberiores adhuc conjunctionis amorisque fructus ad divinam gloriam recolantur » [1].

Quas gratulationes A. R. P. N. Ludovici Martin nos equidem putamus tribui iis omnibus posse, quicumque libris commentariisque conscribendis suum animarum zelum conantur exercere, sive scientifica sunt illa periodica sive *Litterae aedificantes.*

Quod nihilo etiam minus dicendum erit de periodicis illis, hoc ipso fine, ut Nostri aedificentur, compositis: quo nomine censere imprimis volumus commentarios pii Coetus, cui nomen est Apostolatus Orationis, in honorem S. Cordis Jesu conscriptos. Apostolatus nempe Orationis (de quo ipso postea iterum dicturi sumus) 3 Decembri 1844, Valsii in Scholasticatu Societatis erectus est a Patre Gautrelet. Qui coetus, mox diffusus, opera Patris de Ramière suum quasi Nuntium accepit, anno

1852. - *Petite Correspondance* (lithographice); a quo tamen opere desistendum deinde fuit, cum Pater de Ramière in Angliam proficisci coactus est. Is vero cum paulo post mandatum accepisset a Patre Gautrelet, ut omissum opus instauraret, suum praeclarum illum librum scripsit *L'Apostolat de la Prière*, de quo haec Illmus Pie: « Legi modo, inquit, egregium librum tuum. Ac sane pugnantium militum aciei necesse omnino est, ut pium precantium fidelium foedus adjungatur. Quod quidem tu, singulari doctrinae praestantia scribens, ostendisti ». Mox igitur liber ille, in complures linguas conversus, cum Apostolatum Orationis in omnium passim notitiam adduxisset, Pater de Ramière de proprio sui operis Nuntio edendo consilium iniit, atque juvante Deo condidit, anno

1861. - *Le Messager du Cœur de Jésus, Bulletin mensuel de l'Apostolat de la Prière, Toulouse 1861.* Cui Nuntio propositum hoc erat: « Ut inter Christianos homines tria quaedam, quae reapse tamen res sunt una tantum, propagaret: ingenuam devotionem erga Sacrum Cor Jesu, animorum in eodem Corde unionem, impi-

[1] Epistola edita in *Woodstock Letters*, 1897, p. 1 ss.

gram Ecclesiae rebus ac momentis exhibitam devotionem ». Quaerenti porro, utrum triplicem illum finem revera assecutus fuerit *Nuntius* hic, respondendum omnino est, obtinuisse atque eo quidem eventu, ut omnium exspectationem facile superaverit. Cujus rei testes non modo sunt illi, qui ad hunc usque diem (1910) editi sunt, ipsius Gallici Nuntii tomi 84, verum ea etiam, quam per universum terrarum orbem nactus est, imitatio. Dum enim, anno 1861, in Societate unus ejusmodi Nuntius erat, Gallorum ille lingua conscriptus, jam exsistunt hodiedum Nuntii 25, e quibus nonnulli, suo legentium numero, Nuntium Gallicum longe exsuperant. Quae periodica ideo sane non descripturi sumus singula, quod omnium idem finis est, neque unus ab alio nisi lingua edendique specie differunt. Satis igitur erit eos ex ordine recensuisse singulos, pauca quaedam referendo. Quae res quo commodius procedat, possintque facilius deinceps ab eo, qui inquirere voluerit, reperiri singula, Assistentiarum ordinem iterum obtinentes, indicabimus haec: qua lingua scriptus Nuntius sit; quo anno conditus; quae Nuntii inscriptio; quae libri forma; ubi degat moderator; denique quis emptorum sit numerus:

**In Assistentia Italiae:**

1. Albanensis, 1891, *Eleya i Zemers Jesus Krisctit*, Scutari, in-16, p. 32: 600.
2. Lusitana, 1896, *Mensageiro do Corocao de Jesus*, Itu, (Bras.), in-16, p. 64: 5850.
3. Italica, 1901, *L'Apostolato della preghiera*, Napoli, in-8, p. 80: 1250.

**In Assistentia Germaniae:**

4. Germanica, 1865. *Sendbote des göttlichen Herzens Jesu*, Innsbruck, in-8, p. 32: 47000.
5. Hungarica, 1867, *Jesus Szenteges Szivenek Kirnoke*, Kalocsa, in-8, p. 32: 4500.
6. Hollandica, 1869, *Maandrozen ter eere van Jesus' H. Hart*, Katwijk (pr. Leidam), in-8, p. 32:800.
7. Flandrica, 1869, *Bode van het H. Hart van Jesus*, Alken (in Belgio), in-8, p. 32: 7500.
8. Polonica, 1872, *Poslaniec Serca Jezusowego*, Krakau, in-16, p. 32: 142000.

9. Croatica, 1892, *Glasnik Presvetaga Srca Isusova*, Zagreb, in-12, p. 20: 26000.
10. Slovaco, 1897, *Posol Boskeho Srdca Jezivosko*, Tyrnau, in-8, p. 40: 10850.
11. Marathi, 1903, *Niropya*, Poona (in India), in-8, p. 10: 200.
12. Anglica, 1909, *The Messenger of the S. Heart for India*, Bombay, in-8, p. 16.

**In Assistentia Galliae:**

13. Gallica, 1861, *Le Messager du Cœur de Jésus*, Tournai, in-8, p. 32: 10000.
14. Sinica, 1887, *Chen Simpao*, Zi-ka-wei, in-12, p. 12: 3355.
15. Tamul, 1887. *Sesounaderudeva tirau irudelat' Inden*, Trichinopoly, in-32, p. 32: 3400.
16. Gallica, 1909, *Le Messager du Cœur de Jésus*, Tananarive, in-8, p. 32: 3400.

**In Assistentia Hispaniae:**

17. Hispanica, 1866, *Mensagero del Corazon de Jesús*, Bilbao, in-14, p. 100: 13500.
18. » 1867, *Mensagero del Corazon de Jesús*, Bogotà, in-14, p. 40: 2600.
19. » 1875, *Mensagero del Corazon de Jesús*, Mexico, in-8, p. 64: 5300.

**In Assistentia Angliae:**

20. Anglica, 1866, *The Messenger of the Sacred Heart*, New York, in-18, p. 80: 103000.
21. » 1868, *The Messenger of the Sacred Heart*, Wimbledon, in-8, p. 36: 52000.
22. » 1887, *The Australian Messenger of the Sacred Heart*, Melbourne, in-8, p. 40: 32700.
23. » 1887, *The Irish Messenger of the Sacred Heart*, Dublin, in-8, p. 48: 97500.
24. » 1891, *The Canadian Messenger of the Sacred Heart*, Montréal, in-8, p. 48: 28200.
25. » 1892, *Messager canadien du Cœur de Jésus*, Montréal, in-8, p. 48: 17000.

Anni nunc 50 sunt, cum primus ille in Gallia Nuntius prodiit, et ecce, per universam Societatem nostram periodica hujusmodi jam conscribuntur 25; ad ea si addideris, quae ab aliis sive regularibus sive saecularibus procurantur, habebis cuncta simul 39. Inter quae Polonicus Nuntius reliquos omnes suo numero emptorum 142.000 longe excellit. In universum tamen liquet Anglicae Assistentiae Nuntios emptorum numero praestare, atque hoc quoque licet advertere, in septentrionalibus regionibus multo plures quam in meridionalibus emptores libellorum hujusmodi piorum inveniri. Est tamen iterum eorum, qui Bilbaense periodicum emant, conspicuus, eorum vero qui Neerlandicum, sat exilis numerus; quamquam mirum hoc illi non videbitur, qui attenderit satis exiguum in hac regione esse numerum Catholicorum, tum vero praecipue quanta ibi sit scriptorum ejusmodi piorum abundantia. Novit quidem solus ipse Deus, quam ingentem utilitatem ista legentium pluries centena millia ex his Nuntiis sibi capiant; nos vero hoc nobis perspicuum habemus, profecto esse cur periodicorum horum Moderatores sibi novos accedere animos sentiant.

Saeculo denique proxime superiori exeunte atque ineunte saeculo hoc, novi generis prodierunt commentarii, dico *Periodica Congregationum*. Anno quippe 1895, Vindobonae, ubi denuo reviviscere fides et Christiana vivendi ratio eo ipso tempore ita coeperant, ut futurae prosperitatis spes eximia conciperetur, ad maturitatem deductum consilium erat, quo Marianae Congregationis sodales, intimiorem vitae inter se consuetudinem ineundo, conjuncti, vires sibi validiores sumerent. Qui enim unitus exercitus non fuerit, vires nullas habebit, quibus ingruentium hostium impetum propulset. Exercitum autem revera esse nostras Marianas Congregationes, pronuntiavit insignis ille Societatis Praepositus Generalis, Pater Claudius Aquaviva, qui Congregationes velitibus comparat, parti nimirum universi exercitus valde utili, in ea concertatione quam cum inimicis Christi Ecclesia habet. Jamvero velites oportet, ut inter se, ita cum statariis conjunctos esse. Sodalitates porro sunt magnatum, honestae conditionis virorum, operariorum, juvenum, studiosorum; feminarum etiam cujuscumque conditionis atque aetatis: quae omnes unam B. Mariae Virg. Congregationem constituunt. Istius igitur unitatis atque conjunctionis promovendae gratia, Patres nostri Vindobonae condiderunt periodicum *Sodalen-*

*Correspondenz für Marianische Congregationen*. Cum enim ex opificum Congregatione sodalis aliquis periodici typis edendi curam, e mercatorum autem Sodalitate alter onus rei pecuniariae gerendae in se suscepissent, ac praeterea, se labori cooperaturos, complures Congregationum Moderatores polliciti essent, ita ut penes Nostros esset scribendi onus, 25 Martio 1895, die nempe Virgini Dei Parenti Annuntiatae sacra, primus fasciculus in publicum editus est.

Periodici argumentum hoc futurum erat: Brevia, Ecclesiasticae Pontificum, Episcoporum, Praelatorum ordinationes; historiae Congregationum, de Congregationum statu festisque diebus nuntii; necrologiae atque ad mutuam aedificationem facientes, de sodalibus vita functis, conscriptae narrationes; Marianae historiae; quaestionum denique et responsionum caput, quo epistolarum quasi commercium haberi posset inter Moderatores periodici ejusdemque emptores. Prooemio a Patre Abel scripto, prosperrima operis hujus fortuna fuit. Anno 1900 diminuta aliquanto est fasciculi forma, auctus tamen numerus paginarum; simul etiam cum ipsa inscriptione *Unter der Fahne Mariens* mutata est inscriptionis imago, ita tamen ut prior inscriptio illa alteri huic apposita fuerit. Anno 1910, inscriptio facta est; *Die Fahne Mariens*. Cujus plane salutaris periodici mirum non est in aliis regionibus (Anglia, Bohemia, Brasilia, Columbia, Croatia, Galicia, Gallia, Hispania, Hungaria, Italia, Neerlandia, Status Uniti) imitationes jam inveniri [1]. Vindobonae conditum etiam est Congregationum praesidibus destinatum periodicum, cui nomen: *Praesides-Correspondenz*. Atque utinam contingat in omnibus ubique Marialibus periodicis intimum illud atque legitimum valere scribendi genus, quo haec Vindobonensis *Sodalen-Correspondenz* reapse insignitur; nam quod in Germania passim laetius jam efflorescunt Congregationes, dubium non est quin id *Congressibus Marialibus* quidem et *Congregationum Congressibus*, sed magnam etiam partem huic periodico *Sodalen-Correspondenz* sit tribuendum [2].

Quibus rebus ita dictis, hoc capite satis disseruisse nobis vide-

[1] Tortosae in Hispania jam 1881 ortum erat periodicum: *El Congregante de San Luis*. De quo maxime facienda mentio vel ideo fuit, quod ipsum primum fuit hujus generis periodicum.

[2] *Sodalen-Correspondenz N. 1: « Was wollen wir? » Ein herzliches Wort an die Mit-Sodalen.*

mur de periodicis Societatis. Nec sane diffitemur nos, praeterea multo esse plura, quae tum propter impensum illis laborem, tum propter eam, qua labor iste sustinetur, patientiam, tum imprimis propter aedificationis quem producunt fructum, digna sint quae cum honore nominentur; immo largimur esse vero simillimum, nonnulla ex iis, quae recensuimus, periodicis minoris a quibusdam haberi quam alia, quae commemorare omisimus. At fixum ratumque simul etiam est, nos, hoc opere conscribendo, certis quibusdam limitibus ita circumscribi omnino oportuisse, ut tantummodo genera aliquot periodicorum indicaremus. Quare abstinendum hoc loco fuit a recensendis sive iis minoribus periodicis, quae jamdudum esse desierunt, sive diariis, sive aliis commentariis innumeris, qui parum divulgantur; secus enim non imago Societatis sive conspectus exhiberetur, sed exponeretur ejusdem, quae dicitur, bibliographia. At profecto taceri hoc loco non possunt periodica, cujusmodi sunt « America », quod intra trium annorum spatium ad conditionem florentissimam evectum est; vel Gallorum illud « Riposte », vel in Indiis Orientalibus Neerlandice conscriptum « Java-Post »; e quibus « America »; haud illud quidem solum, verum inter alia tamen longe praecellentius singulis hebdomadibus editur. Finem vero scribendi non faceret, qui vellet, quaecumque sunt tertii atque quarti ordinis folia, commemorando persequi. Quibus igitur de rebus, qui plura videre cupierit, adibit nostros Scriptores bibliographicos, Carayon, de Backer, Sommervogel, Brou, Rivière, Bliard, aliosque multos, de quibus modo dicturi sumus. Idem porro monitos Nostros volumus in eo etiam, quod secuturum est caput, de Societatis Scriptoribus doctisque viris.

## CAPUT VIII

### Societatis Jesu Scriptores doctique viri [1]

A periodicis ad Scriptores doctosque viros Societatis procedentibus nobis transitus ultro patet; fructus enim studiorum laborumque, quos partem jam succrescentes adspeximus, eos quasi ad maturitatem uberrimam adductos modo contemplabimur. At vero propositum nobis nequaquam hoc esse potest, ut demonstremus Societatem ab antiqua illa Patrum nostrorum laude in scribendis libris non defecisse; minus etiam hoc spectare possumus, ut de Scriptoribus nostris librisque omnibus, qui primo a restituta Societate saeculo fuerunt, plene renuntiemus. Etenim fieri nullo modo potest hoc unum, nec proinde id tentare nobis licet; alterum vero illud est factu difficillimum; in conferendis quippe inter se Scriptoribus iis, qui ante et qui post restitutam Societatem fuerunt, plura numero computanda rerum adjuncta essent, quam ut hoc loco id a nobis praestari posset. Quod si tamen rem tentare quis omnino vellet, aptissimam ille apud Patres de Backer, Sommervogel, Uriarte, Browne, Brou, Bliard aliosque complures scribendi materiam ita reperiret, ut restitutae Societatis laudem feliciter vindicare posset. Verum, quum contentionem ejusmodi instituere nos nullo pacto velimus, hoc tantum procurabimus, ut aliquem quasi conspectum exhibeamus, quo, quae praecipuae res fuerint, solae indicentur, eosque solos referamus Scriptores, quorum praeclariorem laudem nomen opusque habuerit. Quoniam igitur bibliographiam, quae

[1] Quoniam norma stabilis erat tenenda, haec prae ceteris multum consideranti visa est aptior. Scriptor quilibet non ad eam accensebitur Assistentiam, in qua diutius versatus est, sed potius ad eam, ad quam juxta Catalogos revera pertinebat. Dicendum porro Assistentiarum conditionem saeculo elapso non fuisse eamdem omnium, ideoque hic inveniri non posse numerum scriptorum insigniorum pro unaquaque eumdem. Ii qui *solum* alicui periodico scribendo incumbebant, non nominantur. Neque in hoc capite quaerendi sunt scriptores qui minus eminuerunt; quamquam res est difficillima, ut discernendo lineam quis ducat inter eos qui magis et qui minus eminuerint. Denique libenter confitemur, usos nos esse materia, diversis ex Assistentiis suggesta, pro qua gratias agimus quam maximas.

dicitur, conscribere in animo nequaquam est, sequitur ut non ex ordine diversarum specie scientiarum artiumque recenseantur nomina Scriptorum; sed ita Assistentiarum singularum libros Scriptoresque referemus, ut suam quaeque partem uno quasi obtutu conspicere statim possit. Uniuscujusque autem Scriptoris librique nominandi haec norma erit, ut quos e communi hominum existimatione commemorari certo oportuerit, hoc illos conspectu omissum non iri putemus.

Restitutae Societatis prima aetas erat paucique sodales, cum a Congregatione XXI (1829) postulatum est, « ut historia Societatis ad omnium solatium et aedificationem continuaretur, item et Bibliotheca Scriptorum Societatis ». Quod desiderium vehementer probans, Congregatio rogavit Patrem Generalem Joannem Roothaan, ut quamprimum commode fieri posset, huic operi intenderet. Interea vero commendavit Pater Roothaan PP. Provincialibus, ut documenta in sua quisque Provincia colligerent et historiam Collegiorum et Domorum, praecipue a restituta Societate, confici et Romam cum annuis litteris mitti curarent [1].

E quibus verbis conspicuum jam est, quantopere iis, qui praecipuas in Societate partes agerent, cordi esset ut historiae nostrae conscribendae continuandaeque bibliographiae consulerent. Ad historiam quidem quod attinet, nostris tantum diebus expleri potuit istud Congregationis XXI votum [2], dum bibliographiae opus jam ab illo tempore susceptum est; in utraque vero re Congregationi, quid ipsa vellet diserte significanti, tribuendum sane est, quod Societatis Scriptores labori suo ab eo tempore seduli jam incubuerunt.

Perpetuo autem institisse Societatem, ut Scriptorum diligentia foveretur, res ipsae gestae testantur. Exstat quippe *Ordinatio* illa A. R. P. Petri Beckx, qua se optare significavit: « Ut promoveretur eorum studium, qui feliciter quidpiam elaboravissent, quod et nostrae vocationi convenire et reipublicae Christianae utile futurum ab idoneis Censoribus judicaretur » [3]. Quod diserte etiam effertur decreto, a Congregatione XXIV lato, de Collegiis Scriptorum, id est eorum « qui conjunctim alicui operi scribendo et edendo allabo-

[1] *Decr. Congr. Gen. XXI, decr. 21,* in *Instit.* Tom. II, p. 481.

[2] Quod votum denuo factum est a *Congr. Gen. XXIV, decr. 21,* in *Instit.* Tom. II, p. 521.

[3] *Instit.* Tom. III, p. 314. Cf. *Congr. Gen. XXI, decr. 26,* in *Instit.* Tom. II, p. 482.

rant ad defendendam Ecclesiam impugnandosque errores in dies exsurgentes »[1].

Nec tamen putandum ullo modo est, a Societate Sodales omnes, discrimine nullo, ad scribendum incitari. Immo vero Congregatio Generalis illa XXI judicavit, circumstantias, quae tunc erant, « non tam postulare, ut Nostri ad scribendum excitarentur, quam ut quorumdam pruritus scribendi et sua scripta edendi fraeno coerceretur »[2]. Cujus rei ut Superioribus aequa norma exhiberetur, qua animi tum angustias evitare possent, tum nimiam remissionem, sua quaedam praecepta A. R. P. Roothaan ad Provincias, anno 1844, jam misit. Praesertim vero A. R. P. Beckx, annis 1856 et 1862, edidit sapientissimam illam *Ordinationem de iis quae servanda sunt in evulgandis Nostrorum libris vel quibuscumque lucubrationibus*, cui Congregatio XXIII decreto suo voluit aequalem inesse auctoritatem atque ceteris Generalium Ordinationibus[3]. Qua Ordinatione sapienter traditis praeceptis, quibus Societatis non Scriptores tantum, verum etiam Superiores uterentur et Revisores, sermonem denique concludens, Pater Beckx:

« Faxit autem divina bonitas, inquit, ut res tanti momenti eum sortiatur fructum, quem postrema Congregatio sibi pollicita est, et quem nos summopere cupimus et optamus ad majorem Dei gloriam »[4].

Quae Patris Beckx voluntas atque oratio, Deo O. M. accepta, fructus suos tulit uberrimos. Quamquam enim e Nostris multi Ecclesiam Christi et Societatem antea jam scribendis lucubrationibus illustrarant, abhinc tamen factum est, ut sicut Missionum, Collegiorum, periodicorum, ita Scriptorum quoque numero Societas usque progrederetur. Deus quippe Dominus, Ordinis nostri pro Ecclesia defendenda disseminandaque fide susceptis laboribus abunde benedicens, viros in ea excitavit quamplurimos, qui utrique operae scriptis suis cum laude incumberent. Cujus rei perspicuam demonstrationem hanc fore putamus, si, quaecumque in singulis Assistentiis optime scripta fuerunt, conspectu brevissimo ante oculos objecerimus.

Res fere ipsa clamat, in *Assistentia Italiae*, doctos viros Scri-

[1] *Decr. 19*, in *Instit.* Tom. III, p. 519-520.
[2] *Decr. 26*, in *Instit.* Tom. II, p. 482.
[3] *Decr. 43*, in *Instit.* Tom. II, p. 510-511,
[4] *Instit.* Tom. III, p. 317.

ptoresque, qui fuerunt, plerosque in Collegio Romano Lectores fuisse. Quorum inter primos fuit Pater Joannes Perrone, Pedemontanus (ob. 1876), qui, annorum undeviginti adolescens Theologiae laurea decoratus, Theologiam deinde professus est Herbani, ad alumnos Collegii Germanici et in Collegio Romano. Eruditas « Lectiones de dogmatum Theologia quas tradere consueverat, plurimo reipublicae Christianae emolumento publicas fecit. In omnibus fere sacris ephebeis usurpari sunt coeptae, laudibus elatae, eoque vivo, quadragies, etsi quid amplius, prelo librario sunt commissae ». Opera conscripsit ille quadraginta quatuor. « Quae vero *De Infallibilitate Romani Pontificis*, *De Immaculato Virginis Conceptu*, *De Divinitate Christi* inscribebantur, atque illud imprimis, cui titulum fecit *De Matrimonio Christiano*, reliquis praestare censentur » [1]. Dici sane tuto potest, a Patre Perrone, Theologiam, quae collapsa esset, denuo excitatam esse, illumque suo manuali libro per sat longum tempus fuisse Theologicae scholae quasi universalem magistrum.

Pater Carolus Passaglia, Tuscus (ob. 1887), Patris Perrone primum discipulus, postea in praelegendo collega fuit. Theologiam in Collegio Romano, ab anno 1845 ad annum 1858, aliquanto temporis spatio intermisso, ita professus est, ut nomen sibi per universam Europam celebre fecerit. Ex operibus ejus 19 illis, quae recensentur in *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, laudem procul dubio ampliorem consecutus est celeberrimus *De Immaculato Deiparae Virginis Conceptu Commentarius;* quo, immensa fere eruditionis supellectili, saeculorum omnium traditionem de Immaculata B. Virginis Conceptione collegit. Ipse, anno 1858 Societatem infeliciter egressus, ante mortem tamen doctrinae vitaeque errores retractavit.

Maximum etiam P. Clementis Schrader, Hanoverani (ob. 1875), nomen fuit, qui erat Pii PP. IX ad Concilium Vaticanum theologus. Sua ipsius theologica opera reliquit 11, ac praeterea Patri Passaglia in adornando commentario *De Immaculato Deiparae Virginis Conceptu* et in conscribendo tractatu *De Ecclesia Christi* praesto fuit. Germanice porro lucubrati commentarii ejus, de erroribus illis, quos Pius IX *Syllabo* colligi jusserat, ab ipso Pontifice, dato Brevi,

[1] P. S. Casagrandi S. J., *De Claris Sodalibus Prov. Taurinensis S. J.* Augustae Taurinorum 1906, p. 315 ss.

summis laudibus exornati fuerunt. Theologiam praelegit Lovanii, Vindobonae, denique Pictavii, ubi diem obiit.

Hos, de quibus diximus adhuc, nescio an ingenii viribus profundaque scientia theologica non antecesserit Pater Dominicus Palmieri, Placentinus (ob. 1909). Qui, ab anno 1862 usque ad 1879, in Collegio Romano Philosophiam primum, deinde Theologiam praelegit, dicendi claritate, cogitandi subtilitate, judicii acumine, vasta eruditione plane conspicuus. Ex operibus autem ejus numero plurimis, praecipuam Scriptori gloriam pepererunt tractatus dogmatici duo: *De Romano Pontifice* et *De Matrimonio;* tum etiam illud *Opus theologicum morale*, quod, Ballerini posthumum, Palmieri emendavit, complevit, edidit. Ac reapse admirationem res maxime habet, qua ille ingenii promptitudine ingentem operis istius materiem disserendique methodum sibi fecerit proprias. At qui doctrina sua omnium in orbe doctorum virorum laudem sibi conciliaverat, haud minus ille patientiae virtute aedificationi universis fuit, a docendi munere amotus. Cum diem supremum obiit, Palmieri S. Poenitentiariae theologum agebat eratque trium Congregationum et Commissionum Consultor [1].

Philosophi atque theologi clarum nomen adeptus sibi est Pater Sanctus Schiffini (ob. 1906). Cujus ab exterarum quoque nationum viris in pretio habentur praelectiones philosophicae, dum theologici tractatus ejus *De Gratia* et *De Virtutibus* optima fama gaudent.

Commemorandus omnino est Pater Raphael Cercia (ob. 1886), in Collegio Romano olim Theologiae Lector. Qui scripsit: *De Romano Pontifice; De Gratia; De SS. Trinitatis Mysterio; Manuale Cattolico; Parole della Bibbia.*

Ac memoria etiam habenda Patris Michaelis de Maria (ob. 1913), Cervinariae prope Neapolim nati, olim Studiorum in Universitate Gregoriana Collegii Romani Praefecti, qui tum in Philosophia, tum in Theologia eminens, eximia opera scripsit.

Laudandus quoque Cardinalis Camillus Mazzella, primum in Collegio Woodstockiensi, postea in Collegio Romano Lector. Edidit multa opera theologica, praesertim *De Religione et Ecclesia*, *De Virtutibus infusis*, *De Deo creante*, etc., quae in magno pretio habentur. Obiit anno 1900.

[1] V. A. Cordeiro S. J., *Dominicus Palmieri, e Societate Jesu;* cf. *Necrologia* in *Lett. edific.*, 1909, Roma 1909, p. 349 ss.

Inter Italos recensendus est Pater Aemilius M. de Augustinis (ob. 1899), qui, quamquam diu Woodstockiensis Lector erat, etiam plus quam quindecim annos in Collegio Romano docuit, theologicae scientiae valde peritus. Cujus praecipua opera sunt: *De re Sacramentaria; De Deo uno; De Incarnatione.*

Jam, ad eos, qui de *Theologia morali* scripserunt, progressi, ceteris praecellentem videmus Patrem Antonium Ballerini, in loco Medicina, prope a Bononia, natum (ob. 1881); qui in Collegio Romano Theologiam moralem praelegit et docendi facultate per universam Europam inclaruit. Ejus autem opera extant fere 20, inter quae imprimis *Compendium Theologiae moralis* Patris Petri Gury et illud, de quo jam diximus, *Opus theologicum morale* auctoritatem adepta sunt egregiam. Est quidem hoc, ut amplissimo doctrinae ambitu dispositum, ita subtiliter discussum atque ingenti eruditione conscriptum opus, quo futurum sit, ut ad posteros late propagetur Scriptoris memoria. Hunc excepit, eodem etiamnunc in Collegio docens, clarissimus Pater Januarius Bucceroni, Neapolitanus: cujus *Theologia moralis* et *Casus Conscientiae*, prompti ingenii opera, ad theologicam institutionem conducunt plurimum. Praeter alia multa etiam *Compendium Privilegiorum Societatis Jesu* Patrem Bucceroni habet auctorem.

Insuper hic nominandus est Pater Aloysius Sabetti, Italus (ob. 1898). Qui in Woodstockiensi Collegio per multos annos Theologiae moralis Lector fuit. Egregium et optime retractatum edidit *Compendium theologiae moralis* Patris Petri Gury, et alia.

Virum, juris peritissimum atque ingenio sagacissimo praestantem, mox a restituta Societate invenimus Patrem Aloysium Taparelli, Taurinensem (ob. 1862). Is, posteaquam Collegii Romani Rector primus fuit, per annos 15 Panormi Philosophiam praelegit, atque anno 1840 opus illud suum celeberrimum edidit *Saggio teoretico di diritto naturale*, quod typis dein excusum pluries fuit. Post annum 1848, unus e praecipuis conditoribus atque Scriptoribus factus est periodici *La Civiltà Cattolica;* cui usque ad ultimos vitae annos collaborando, de sociali oeconomia lucubrationes plurimas scripsit. Illius quidem scriptis omnibus plane apparet, egregio ingenio eum praeditum fuisse [1].

[1] Casagrandi, l. c., p. 303 ss. *La Civiltà Cattolica*, ser. V, Tom. IV, p. 92 ss., 385 ss., 545 ss.

Claruit etiam Pater Camillus Tarquini, qui natus in loco Marta, prope a Montefalisco, a Pio PP. IX ad Cardinalatum evectus est (ob. 1874). Is, dum Jus Canonicum in Collegio Romano praelegebat, non solum *Juris Ecclesiastici publici Institutiones*, verum etiam sat magno numero libros lucubrationesque de Tusciae lingua atque antiquitatibus edidit; ejus *elogium* scripsit Pater A. Angelini [1].

Laude quoque plurima dignus est Pater Sebastianus Sanguineti, Genuensis (ob. 1893). E cujus operibus haec sola nominamus: *De Sede Romana b. Petri; La Compagnia di Gesù e la sua esistenza legale; Juris Ecclesiastici privati institutiones.* Memoria etiam renovanda hoc loco est Patris Antonii Cercià (ob. 1865), hujusque operis *Lezioni di diritto canonico.*

Pater Benedictus Ojetti, in Universitate Gregoriana Collegii Romani etiamnum Lector, multa opera composuit; e quibus potissimum est *Synopsis rerum moralium*, cujus jam tres extant editiones.

Inter *Exegetas* principem locum tenet Pater Franciscus Xaverius Patrizi, Romanus (ob. 1881). Is per annos plurimos Lovanii et in Collegio Romano Sacram Scripturam praelegit, nomenque adeptus est in universo orbe clarissimum. Ex operibus ejus amplius 20 usu plurimo adhibita haec sunt: *De Interpretatione Sacrarum Scripturarum* et *De quatuor Evangeliis;* cujus etiam hodiedum, pluribus in rebus, auctoritas est validissima [2].

Inter *asceticae Theologiae* Scriptores nominandus occurrit primus Pater Antonius Ciccolini, Maceratensis (ob. 1880), qui libro suo egregio, *Raccolta di Meditazioni e Documenti*, plurimorum manibus versato, magnam legentibus, etiam extra Italiam, utilitatem attulit.

Multa autem Ciccolini accepta refert scriptis Patris Josephi Mariae Vigitello, Itali (ob. 1859); hic enim non solum concionando per Italiae civitates vicosque audientibus acceptissimus erat, verum etiam utilissimos libros edidit duos: *Sapienza del Cristiano*, ac praecipue, doctrina et amoenitate praestans opus, *Meditazioni ed Istruzioni.*

Nec vero omittendus hoc loco est Pater Josephus Maria Man-

[1] Sanseverino 1890.

[2] C. Sommervogel S. J., *Bibl. des Ecriv. de la Comp. de Jésus*, i. v.

fredini, Ferrariensis (ob. 1872). Is, Patris Roothaan olim a secretis, utrumque libellum suum, *Esercizi Spirituali* et *Il mese degli Esercizi* ex illius potissimum notis cum intima animi pietate concinnavit. Collegit etiam documenta, quibus vita scriberetur R. Patris Roothaan, uberrima eaque partem digessit.

Insignis porro asceticae Theologiae doctrina fuit Pater Geminianus Mislei, Mutinensis (ob. 1867); ejus etiam noti sunt egregii libri: *Grandezze di Gesù Cristo, Gesù Cristo e il Cristiano;* imprimis vero opus quod inscripsit *La Madre di Dio;* aliique, quibus exegeticam cum ascetica Theologia aptissime conjungit.

Addendus sane est Pater Camillus Arborius Mella (ob. 1894), qui primus inter Italos dedit omnia S. Theresiae opera, in italicum ex hispanico sermone conversa.

Inter *Philosophos* eminet Pater Matthaeus Liberatore, Salernitanus (ob. 1892), cujus non solum ingenii ubertas, verum etiam disserendi acumen admirationem movet. Ex operibus ejus 40, prelum saepius, undecies inquam, subierunt *Institutiones Philosophicae* et *Composto umano.* Qui praeterea per annos 40, maxima cum diligentia, suam operam exhibuit conscribendo periodico *La Civiltà Cattolica* [1].

Celebre etiam nomen fuit Patris Joannis Mariae Cornoldi, Veneti (ob. 1892). Quanto autem illius ingenium vigore quantaque ubertate praestaret, opera testantur amplius 50; qui in periodicum *La Civiltà Cattolica* per annos complures operam contulit, aliquanto etiam temporis spatio Moderator praefuit. Plurimam autem operam impendit Philosophiae quam variis in locis, Mutinae, Feldkirchii, Patavii, Veronae, Fagnani praelegit. In majorem quidem notitiam venit liber ejus *Filosofia scolastica specolativa di San Tommaso,* qui in Latinum etiam sermonem conversus fuit [2].

Philosophiae scientia plurimum quoque excelluit Pater Salvator Tongiorgi, Romanus (ob. 1865): qui, in Collegio Romano Lector, multorum illas usu cognitas *Institutiones philosophicas* edidit.

Demum inter Italos Philosophos eminet Pater Franciscus Salis Seevis (ob. 1898), qui fuit inter praecipuos ephemeridis *La Civiltà Cattolica* Scriptores. Praeter innumera sane docta opuscula scripsit

[1] Cf. Sommervogel S. J., l. c. *La Civiltà Cattolica.* ser. XV, Tom. IV, p. 352 ss.

Bianchini, *Commemorazione del P. Giov. Cornoldi S. J.* Venezia 1894.

duo illa laudatissima opera : *Della conoscenza sensitiva* et *Le azioni e gl'istinti degli animali.*

Ad Philosophiam moralem pertinent ea quae Pater Antonius Pavissich (ob. 1913) scripsit de quaestione, quae dicitur, sociali. Tantum nominamus : *La questione sociale; Fatti e criteri sociali; Il codice della vita*, et alia multa in periodico *La Civiltà Cattolica.*

Adde etiam Patrem Henricum Rosa, qui non solum de S. Anselmo luculenter scripsit, sed praesertim in periodico *La Civiltà Cattolica* tum Philosophiam tum Theologiam Christianam contra hodiernos modernistas strenue defendit. Insuper celeberrimam *Historiam Cardinalis Hergenröther* Italice reddidit.

Quo loco nominari etiam poterit Pater Josephus Romano, Siculus (ob. 1878). Hic, Philosophus quidem non ignobilis, nescio tamen an Archaeologiae scientia non plus excelluerit, plurimarum ille academiarum socius atque Panormitani coetus a secretis.

*Archaeologiam* dixi ; qua scientia dubium non est quin ceteris omnibus facile praecelluerit Pater Raphael Garrucci, Neapolitanus (ob. 1885). Opera ejus in Bibliographia recensentur 118, inter quae praecipuum venit, sex quippe voluminibus integri folii forma, *Storia dell'arte cristiana.* Quibus scriptis omnibus testimonium prostat, virum hunc ingenti eruditione miraque dexteritate polluisse, qua, quae archaeologice investigasset, apta omnino ratione inter se componeret. Ejus porro nomen illa *cruce illusoria*, quae dicitur, perpetuo clarescet; sed auctoritas quoque libri, cui titulus *Sylloge inscriptionum*, simul cum « Addendis », nunquam evanescet; minus etiam oblivioni unquam dabitur ejus postremum percelebre opus : *Le monete dell'Italia.* Verbo, dici omnino potest, a Patre Garrucci studiis archaeologicis primum diligentius excolendis viam factam esse [1].

Qua laude etiam floret Pater Josephus Marchi, in loco Tolmezzo, prope ab Udine natus (ob. 1860). Ejus quippe hoc praecipuum decus est, quod ipso magistro usus fuit omnium ille clarissimus Archaeologus Joannes Baptista de Rossi ; Lateranensi quoque museo condendo praefuit, ampliavit Kircherianum. Ingenii autem subtilitate maxima praeditum eum fuisse, legenti opera ejus liquido constare potest. Libro, quem porro de Catacumbis scripsit, *Monu-*

[1] Montescaglioso, *Commemorazione del P. R. Garrucci.* Napoli 1885. Cf. The Month, 1876, p. 47 ss.

*menti delle arti cristiane primitive nella metropoli del cristianesimo*, novi Archaeologiae studii fundamenta jecit. Neque etiam in arte inscriptionum nomen adeptus est nullum, ut constat elogio, quod Cardinalis Mai sepulchro, ad Sanctae Anastasiae, incisum composuit [1].

Iisdem vestigiis insistit Pater Josephus Bonavenia, qui Archaeologiam in Universitate Gregoriana docet et opera multa vulgavit.

Nomen in Archaeologia et artis Historia jam adeptus est Pater Felix Grossi Gondi, Romanus, qui plura et eximia opera composuit. Nominanda praecipue sunt: *I comites del epoca Romana; Il tempio di Castore e Polluce sull'acropoli di Tuscolo e la scoperta di una iscrizione; Antichità Tusculane; Il Tusculano nell'età classica; Sulle soglie dell'arte* et alia multa. Opere quod ultimo loco nominavimus introductionem omnino practicam in Historiam artis scholis superioribus donavit.

Inscriptionum arte notus est Pater Franciscus Tongiorgi, Romanus (ob. 1890), per plures annos Archaeologiae Lector in Collegio Romano et postea in Universitate Gregoriana; tum etiam, Monumentorum Urbis atque Bibliothecae Vaticanae Conservator, multa composuit; sed solas ejus *Inscriptiones* edidit Pater De Angelis. Hisce Pater Tongiorgi scribendi elegantiam ostendit conspicuam.

Sodalium vero Societatis Jesu omnium, qui saeculo XIX fuerunt, nescio an scientia clarissimus non fuerit Pater Angelus Secchi, Regii Lepidi in Aemilia natus (ob. 1878). Qui posteaquam in Collegio Nobilium, in Collegio Romano et Georgiopoli in America docuit Mathesim, Speculae deinde Astronomicae in Collegio Romano moderator fuit. Ac sane inter praecipuos aetatis istius astronomos ille erat; qui praeterquam quod in doctis periodicis Italiae, Galliae, Angliae, Germaniae lucubrationes edidit plus quam 300, majora etiam opera conscripsit duo praeclarissima: *Les Etoiles* et *Le Soleil;* qui est librorum, de hoc argumento conscriptorum, princeps. Ipse quoque scientiae astro-physicae et stellarum analysi spectrali ortum dedisse fertur. Invenit porro instrumentum illud, ingeniosissime compositum, qui *apparatus meteorographicus* dicitur, suoque ipse motu observationes meteorologicas describit; qua re non solum in Expositione, quam dicunt, universali Parisina, anno 1867,

[1] *La Civiltà Cattolica* (1860), ser. IV, Tom. V, p. 618 ss.

maximam omnium admirationem movit, verum etiam praemium princeps francorum 100.000 consecutus est. Anno autem 1870 nullam artem non moverunt Pedemontani, ut Patrem Secchi, a Supremo Pontifice atque ab Ordine abstractum, sibi conciliarent; adeo ut etiam omnium in Italia specularum astronomicarum rectoratum atque senatoriam dignitatem ei obtulerint. At suam ille fidem tum Pio IX, qui beneficiis eum ornarat, tum Ordini suo, probris expetito, inviolatam servavit. Cui nihilo tamen minus concessum est ut, erepto nobis Collegio Romano, in carissima sua Specula ad mortem usque permaneret. Tanta enim Patris Secchi gloria erat ut vel ipsi Societatis inimici contumacissimi revereri illum cogerentur [1].

Ac videtur hic esse locus, quo, quae Nostrorum in Assistentia Italiae sunt *Observatoria*, recenseamus. Restituta Societate, in *Observatorium Collegii Romani* redivimus anno 1824; cui moderator primum praefuit Pater Dumouchel. Ei porro successit Pater Franciscus de Vico (ob. 1848), qui, celebrem ipse in Europa famam adeptus, speculae quoque nostrae antiquam illam gloriam vindicavit. Cujus bibliographia, in opere Patris Sommervogel, excurrit per 11 numeros lucubrationum, quas variis linguis confecit. Anno autem 1848, aufugere coactus, obiit. Societate porro in Italiam reduce, Pater Angelus Secchi praefectus observatorio, eoque munere ad obitum usque (1878) functus est. A gubernio demum nostra erepta nobis specula facta est turris speculatoria regia.

Antea Romae, in monte Janiculo, erectum extabat observatorium minus, quod ad Universitatem Gregorianam pertinebat; eidem praefectus erat Pater Adulphus Müller, Astronomiae in Universitate Lector [2].

Extabat quoque in loco *Gozo*, insulae Melitae, *Observatorium meteorologicum*, cujus, a Patre Denza Barnabita et Patre Philippo Barello S. J. instructi, scientificus inceptus labor est anno 1882. Hujus speculae observationes ad annum usque 1903 referebantur

[1] P. Angelo Secchi. *Al P. Angelo Secchi nel XXV dalla morte il comitato Romano.* Roma 26 Febbr. 1878-1903, pp. 86, 82. — Moigno, *Le R. P. Secchi, sa vie, son observatoire, ses écrits*, etc. Paris 1879. — Pohle, *P. Angelo Secchi, Ein Lebens-und Culturbild*, Köln 1883. Cf. etiam accuratum commentarium Patris Caroli Bricarelli. Cf. *Revue des Questions scientif.*, Bruxelles 1878, Tom. IV, p. 353 ss.

[2] *Revue des Questions scientifiques*, Tom. LIX (1906), p. 576 ss.

Nuntio Stonyhurstensi, deinceps vero exceptae fuerunt folio principe Melitino et Nuntio Observatorii Taurinensis. Moderator ultimus praeerat Pater Franciscus Salesius Longhitano [1].

Fama celeberrima utebatur Pater Joannes Baptista Pianciani, Spoletinus (ob. 1862), qui in Collegio Romano Mathesim docuit et Physicam. Is, in sua disciplina inter praecipuos numeratus, opera reliquit amplius 50, e quibus apparuit quanta fuerit ingenii ejus sagacitas atque amplitudo. Romae egregie celebratus, defunctus Patrem Secchi laudatorem habuit.

Numeratur etiam inter Italos, qui in Scientiis naturalibus excelluere, Pater Aloysius Sodiro (ob. 1909), qui diu floruit in Provincia Toletana [2].

Huic addendus est Pater Franciscus Xav. Provenzali, in Physicis plane illustris, ut ejus testantur opera.

Insignes aluit in restituta Societate Collegium Romanum mathematicarum rerum cultores. Meminisse sufficiat P. Andream Carafa (ob. 1845), P. Stanislaum Mancini (ob. 1908) et P. Jacobum Foglini (ob. 1907), cujus res gestas Pater Bellino Carrara conscripsit [3].

*Historiae et Critices* procul dubio princeps nominandus est Cardinalis Angelus Mai, Bergomensis (ob. 1854). Qui, Parmae anno 1799 Societatem ingressus, eam postea reliquit, atque Ambrosianae Bibliothecae Mediolanensi anno 1813 praefectus, in tantam paulatim celebritatem venit ut Pius VII eum Bibliothecae Vaticanae custodem constituerit. Ejus, « palimpsestorum inventoris et restauratoris » dicti, majorem laudem consecuta sunt haec opera: *Classicorum auctorum collectio; Scriptorum veterum nova collectio; Spicilegium Romanum; Nova Patrum bibliotheca.* Patrum multo plurium quam 20, a se inventa, opera inedita evulgavit; de quo viro haec jure scripta sunt: « Absque controversia est Cardinalis Mai unus e praecipuis nostri saeculi viris eruditis, polyhistor in sensu proprio veterum; sane princeps in palaeographia et diplomatica, sagax ac versatus in arte critica et hermeneutica, merito Montfauconio et Mabillonio comparandus » [4]. Anno 1838 eum Gregorius XVI ad cardinalitiam dignitatem evexit.

[1] *Ibid.*, p. 572 ss.
[2] *Ibid.*, p. 574 s.
[3] *Lett. edif. della Prov. Venet. 1910.*
[4] HERGENROETHER, *Kirchenlexikon*, 8², 483-483.

Commemorandus deinde atque laudandus est Pater Josephus Brunengo, Pedemontanus (ob. 1891). Is per annos 36, diligentia, doctrina, aestimatione conspicuus, collaboravit periodico *La Civiltà Cattolica*, quo lucubrationes ejus pleraeque, dempto Scriptoris nomine, in luce editae sunt. Prae ceteris nota sunt opera ejus haec: *Le origini della sovranità temporale dei Papi; I destini di Roma; L'Impero di Babilone e di Ninive; Osservazioni sopra la storia universale di Cesare Cantù* [1].

Inter viros Historiae peritos bona hodiedum fama est Patris Fidelis Savio, Pedemontani, qui Historiam Ecclesiasticam in Universitate Gregoriana egregie praelegit. Ejus, praeterquam quod lucubrationes plurimas in periodicis sive Italiae sive exterarum regionum scripsit, haec sunt imprimis celebrata opera: *Gli antichi Vescovi d'Italia dalle origini al 1800, descritti per regioni*, et *La questione di Papa Liberio;* alia multa.

His praecipue annis innotuit Pater Hilarius Rinieri, lucubrationibus quas de Napoleone et Congressu Vindobonensi scripsit; aliis quoque operibus historicis clarus.

Inter eos historiae Scriptores, qui superstites sunt, haud sane ideo tertium nominamus Patrem Petrum Tacchi Venturi, Septempedanum, quasi, quem teneat ordinem, innuere velimus. Quam enim ille scripsit partem primam sui operis *Storia della Compagnia di Gesù in Italia*, tum ad scribendi formam tum ad ipsum argumentum quod attinet, jure ac merito dictum est opus praestantissimum. Coronatum est ab insigni Academica Tusca, quae denominatur *La Crusca*, primo praemio inter 56 competitores, certamine quadriennali. Adde etiam *Opere storiche del Padre Matteo Ricci S. J., Tom. I*, alia.

Magna quoque in hac disciplina laus est Patris Josephi Boero, nati Insulae Conae (ob. 1884), qui de Societate optime meritus est scriptis nostrorum Sanctorum et virorum illustrium vitis. Ejus opera numero sunt 84, historica fide plerumque dignissima, quippe quae fideliter ex ipsis archiviis deprompta fuerint [2].

Haud exiguum meritum habet Pater Camillus Beccari. Cujus

[1] P. Casagrandi S. J., *De claris Sodalibus S. J.*, l. c., p. 183 ss., ubi bibliographiam quoque descriptam invenies. Cf. *La Civiltà Cattolica*, ser. XIV, Tom. X, p. 619 ss.

[2] P. Casagrandi S. J., *De Claris Sodalibus*, p. 123 ss.

nomen, tanquam editoris operis ingentis illius: *Scriptores rerum Aethiopicarum* posterorum memoria jure celebrabitur.

Erat porro non solum egregius annalium scriptor, sed etiam praeclarus litterator, Pater Alexius Narbone, Siculus (ob. 1860), qui Societatis *Annales Siculos* ab anno 1805 ad annum 1857, et alia opera complura scripsit, praesertim autem *Storia della letteratura Siciliana*. Annales scite editae sunt et continuatae a Patre Cajetano Filiti, Siculo (ob. 1911), ipso quoque de historia Societatis bene merito.

In *litterario* porro genere principem procul dubio locum obtinet Pater Antonius Bresciani, Alanus (ob. 1862). Cujus liber ille celeberrimus, *Ebreo di Verona* aliaeque narrationes plurimae, in varias linguas conversae, per universum orbem innotuerunt. Sermone ejus amoenissimo ut fruerentur, homines avide passim arripuerunt opus illud *Prose scelte*, quod, per volumina 4 dispositum, anno jam 1856 tertia vice editum fuerat. Opera autem ejus omnia, voluminibus 17, Romae et Taurini vulgata sunt. Narrationum quidem pars magna in periodico *La Civiltà Cattolica* primum prodierunt, quod sane hac ipsa etiam de causa eo tempore numerabat sua illa emptorum plurima millia. Periodici quidem hujus Pater Bresciani unus e fundatoribus fuit [1].

Longo autem ante eum tempore, litterarum laude floruerat Pater Stephanus Antonius Morcelli (ob. 1824). Qui, jam ante suppressam Societatem in Collegio Romano Lector, « perfectissimo, ut scriptum invenimus, ac plane classico utebatur stilo Latino, in primis epigraphico, in quo vix habuit ea aetate parem ». Scripsit inter alia opera haec: *De stilo inscriptionum Latinarum; Africae Christiana; Calendarium Ecclesiae Constantinopolitanae.*

Una cum Patre Morcelli memorandus sane est Morcelli alter, Patrem Antonium Angelini (ob. 1892) dico, cujus plura elegantissimarum inscriptionum habemus volumina. Fuit ipse multos annos eloquentiae Professor tum in Collegio Romano, tum postea in Universitate Gregoriana.

Cum Patre Angelini honorifica quadam mentione sane defraudari nequit Pater Henricus Valle (ob. 1894), qui inter cetera plures recentiorum lectionum in *Proprio Societatis* egregie composuit.

[1] L. Fornaciari, *Discorso intorno ad alcune opere del P. A. Bresciani S. J.* Torino 1869.

Omnino addi debet Pater Petrus Ragazzini (ob. 1877), latine scribendi peritissimus, qui volumen secundum *Historiae Societatis Jesu*, a Patre Cordara lucubratae, complendo edidit.

Ut virorum elenchus, qui litterarum humaniorum laude in Italia floruerunt, compleatur, nominandi sunt Patres Raphael Ballerini (ob. 1907), Joannes Josephus Franco (ob. 1908), Franciscus Berardinelli (ob. 1893).

Commemorare deinde oportet Patrem Laurentium Ignatium Thiulen, Suecum (ob. 1833). Qui a Patre Emmanuele Itturiaga ad Catholicam religionem adductus, in Italia deinceps vitam degit atque Societatem ingressus est. Scripsit autem praecipue: *Nuovo vocabolario filosofico-democratico; Sul giuramento civico; Fasti della Rivoluzione Francese; Lettere provinciali filosofiche; Sugli antichi Sodiachi dell'Egitto;* alia.

Linguae scientia eximie peritus erat Pater Josephus Paria, Pedemontanus (ob. 1881), cujus de arte grammatica lucubrationes auctoritate valde pollebant, plurimique Pater Bresciani faciebat librum *Grammatica Italiana*. De eo sane haec scripsit Pater Angelini: « Italìa illi grata memoria perpetuo devincietur, quod tanto ipse labore tantoque ingenio praeditus arcanas philologiae leges tam diligenter investigaverit. Timendum enim non est ne rem altius extollat qui dixerit, huic acceptum referri, quod grammaticam Italicam habemus omnium ditissimam atque plenissimam, in qua, qui studio incumbere voluerit, prompta semper inveniet quaecumque sermo ille noster elegantissimus delicatiora novit; quo sibi labore singularem laudem adeptus est virorum trium, philologiae scientia insignium, Marci Antonii Parenti, Aloysii Fornaciari et Bartholomaei Veratti» [1].

Viris litterarum peritis adnumerandus etiam est Sinicarum rerum scientia notissimus ille Pater Angelus Andreas Zottoli, Salernitanus (ob. 1902). Qui, persecutione anni 1848 ad Missionem Kiang-nan deductus, per annos ibi 54 labori incubuit. Linguam autem Sinicam tam perfecte addiscere potuit ut non modo *Catechismum*, *Grammaticam* aliosque libros eo sermone conscriberet, verum etiam ederet *Sinicae litteraturae cursum*, voluminibus 5, quo omnium tum Sinarum tum Europae doctorum virorum existi-

[1] *La Voce della Verità*, Roma, Anno VI, n. 236. Cf. CASAGRANDI, l. c., p. 87 ss.

mationem summam adeptus est. Praeterea, cum supremum diem obibat, ad exitum fere perduxerat *Dictionarium universale linguae Sinicae*, partibus 10 vel 12 absolvendum. Ac sperant quidem omnes fore ut neque laboris neque pecuniarum impensae impedimento sint, ne res suscepta perficiatur. Suo sane diligentiae sedulique laboris exemplo ita praeibat omnes Pater Zottoli, ut nobilissimum viri docti simul atque Missionarii scopum attendendo nunquam praetermiserit [1].

Inter italos rerum orientalium Scriptores praecipuum locum obtinet Pater Caesar Antonius De Cara (ob. 1905), unus ex optimis ephemeridis *La Civiltà Cattolica* scriptoribus, qui magis extra Italiam doctis lucubrationibus innotuere. Natus est Regii in Calabria.

Nominandus denique, de quo antea jam diximus, Pater Josephus Bayma [2], Pedemontanus (ob. 1892), a rebus physicis, mathematicis, philosophicis, litterariis magnam laudem consecutus.

Sed jam de *Oratoribus* scribere exordientes, obvium mox a restituta Societate habemus Patrem Tiberium Sagrini, Imolae natum (ob. 1865). Cujus, tanquam concionatoris, per universam Italiam celebratum nomen erat. De eo quippe Taurinensis quidam rhetoricae praeceptor eximius, discipulos suos allocutus: « Accepistis modo, inquit, quae optimi cujusque oratoris sint partes. Reliquum est, ut Sagrinium, eas omnes in templo Sanctorum Martyrum cumulate explentem, conveniatis auditum ». Cujus opus *Prediche morali* Taurini editum est partibus quatuor.

Concionandi arte notus etiam fuit Pater Vincentius Stocchi, Tuscus (ob. 1881). Qui audientibus ita acceptus erat, ut laudem ejus aliquis carminum fasciculo deprompserit. Cujus, quae Romae edita sunt, opera, *Prediche e Discorsi*, etiam legentibus hodiedum valde placent. Reliquit etiam egregias *Instructiones ad populum*. Erat concionator eloquens, vibrantis sermonis atque in dicendo elegans.

Inter oratores numerari quoque potest Pater Carolus Maria Curci, Neapolitanus (ob. 1891). Qui periodico *La Civiltà Cattolica*, a se primum condito, diligenter operam praestans, atque con-

[1] Cf. Vitam ejus in *Lettere edificanti della Provincia Napolitana S. J. Napoli 1903*, p. 129-142.

[2] Vide supra, in capite, cui inscripsimus: « Collegia ».

cionando etiam clarus, plane eximiis ingenii dotibus insignis evasit. Ac sane, ut est egregium opus ejus *Lezioni esegetiche e morali*, ita etiam eloquentiae vi praecipua pollent, quae contra Gioberti scripsit, et multa alia pro periodico illo elucubrata. Societatem anno 1877 egressus, in eamdem iterum, ante mortem, retractatis prius opinionibus suis, admissus est.

Sua indole, virtute operibusque maxime claruit Pater Secundus Franco, Taurinensis (ob. 1893). Cujus, praeter eos, qui Mutinae editi sunt, tomos 22, numerantur etiam alia scripta 16. Dicendi autem vi, perspicuitate, amoenitate conspicuus, audientibus atque legentibus ita acceptus erat, ut etiam extra Italiam assidue legerentur ejus opera, quae longe majorem partem *Conciones* sunt, *Conferentiae, Lectiones, Exercitia Spiritualia*. Plurimi eum faciens, Adm. Rev. Pater Roothaan procuravit ut ad opus Missionum in Italia promoveretur; quem demortuum magna prosecuti sunt laude dicentes: « Tanto viro nullum par elogium ». Multum Pater Franco contulit ut in meliorem Jesu Cordis notitiam populus Italiae adduceretur [1].

Denique recens defunctum commemoramus natum oratorem Patrem Cajetanum Zocchi, cujus notissima sunt opera: *Il sopranaturale; Ragioni sopranaturali; Panegirici* et *Quaresimale;* estque etiam, tanquam Scriptoris, optima fama ejus. Qui, Venetiis primum condito *Difesa*, periodico quoque *La Civiltà Cattolica* laborem postea impendit, lucubrationibus plurimis, de re praesertim politica et litteraria scriptis.

In Italia multae omnino a Patribus nostris Conciones per quadragesimam atque Missiones habitae fuerunt, quae ad instaurandam mentem Christianam plurimum contulerint. Nominandi autem praecipue sunt Missionarii et Concionatores: Pater Franciscus Finetti (ob. 1842); Pater Ferdinandus Minini (ob. 1870); tum, quos jam diximus, Pater Tiberinus Sagrini, Pater Secundus Franco, Pater Hercules Grossi (ob. 1856); Pater Titus Facchini (ob. 1852); Pater Raphael Ballerini (ob. 1907); Pater Ferdinandus Canger (ob. 1899); Pater Aloysius Previti (ob. 1892) et Pater Aloysius Pessato (ob. 1905); Pater Cajetanus Zocchi, Pater Stocchi, Pater Leonardi et R. P. Octavius Turchi. Animarum frugibus uberes imprimis fuerunt anni 1890-1891, de quibus scribens annalium

[1] P. Casagrandi, l. c., p. 225 ss.; ubi bibliographia etiam exhibetur.

Scriptor: « Providentia, inquit, in tanta mediorum penuria, operariorumque evangelicorum paucitate, Missionariorum tamen nostrorum laboribus benedicere eosque copiosa messe consolari dignata est ». Atque ipse etiam, gaudio repletus grataque animi memoria res gestas recolens, Cardinalis Panormitanus, die 22 Aprilis 1892, ad Rev. P. Provincialem scribens: « Significando igitur, inquit, illis (missionariis) quam plene mihi satisfactum fuerit, quamque contentus sim animo, quod adeo insignem operam praestiterint successusque obtinuerint prosperrimos, simul etiam, obligationis officio adstrictus, ad Reverendissimam Dominationem Vestram gratias defero quam maxime intimas pro ea, quam illi operam exhibuerunt, iis quidem superatis difficultatibus, quas ego ex aequo aestimare potui. At vero felix ille eventus, dum meo pastoris animo gaudium affert, id etiam efficiet ut laboribus, quos exhauserunt, illi laetentur » [1].

Quibus rebus omnibus hoc plane constat, fuisse in Assistentia Italiae egregios magno numero viros atque ingenio praecellentes, qui suas animi dotes, Ecclesiae defendendae gloriaeque divinae promovendae impenderint integerrime.

Jam, ad *Assistentiam Germaniae* facto gressu, haud ad minora veniemus. Praeterquam enim quod, in Assistentia hac, suum fere cuique Provinciae periodicum est, scientiis excolendis deditum (*Stimmen aus Maria-Laach*, *Studiën*, *Zeitschrift für Katholische Theologie*, *Przeglad powszechny*, *Analecta Bollandiana*), obvios etiam habemus Scriptores doctosque viros quam plures, qui, notissimis atque clarissimis scriptis libris, in omni fere scientiarum genere eminuerunt. Cujus rei causae sunt plurimae. Dum enim in una Provincia pax ipsa atque temporum tranquillitas scientiis excolendis egregie favebat, similem eventum adjuncta contraria alibi, ut in Provincia Germaniae, habuerunt. Hic enim, quod « ab instructione juventutis hucusque penitus a reipublicae moderatoribus excludebantur » [2], atque ex ipsa patria terra pulsi fuerunt, in causa fuit, cur studendi labor ampliora in dies augmenta capere posset. In Austria porro, Oenipontanus Theologiae ordo meliorem scientiarum studii occasionem praebet, dum in aliis Assistentiae hujus Provinciis, Belgica, Neerlandica, Galiciana, per

[1] *Le Missioni dei Gesuiti in Sicilia negli anni 1891-1892.* Malta 1893.
[2] A. R. P. Beckx, *in allocutione ad Procuratores habita anno 1862.*

satis diuturnam persecutionis quietem, studiorum labor tranquillius potuit promoveri .

Inter Theologos igitur primum nominabimus Patrem Josephum Deharbe, Argentoratensem (ob. 1871). Ejus fama celebrata est *Catechismo*, qui saepe multisque formis prodiens, ac novis editionibus retractatus, etiam hodiedum magna auctoritate pollet. Ingentem quoque utilitatem ille attulit operibus suis *Populäres Lehrbuch der Religion* et *Religionsgeschichte.*

Profundioris scientiae libros scripsit Pater Josephus Kleutgen, Westphaliensis (ob. 1883), qui, a Leone XIII *princeps philosophorum* dictus, dubium non est quin *restaurator Theologiae scholasticae per Germaniam* fuerit. Praecipua opera illius, soliditate doctrinae, dicendi perspicuitate stylique ingenua nobilitate insignia, haec sunt: *Die Theologie der Vorzeit; Die Philosophie der Vorzeit; Institutiones theologicae:* quae multa legentium manu etiamnum tractantur. Romae ille degens Congregationis Indicis Consultor erat [1].

Commemorare deinde decet P. Joannem E. Wieser (ob. 1885). Oenipontanus hic Lector simul cum aliis e Nostris, periodicum condidit *Zeitschrift für Katholische Theologie.* Scripsit praeterea *Unfehlbarkeit des Papstes; Die Döllinger Dreikirchenidee; Mensch und Thier; Ueber die Bedeutung der Herz-Jesu-Andacht* aliasque lucubrationes.

Patri Kleutgen profecto par dicendus Cardinalis Joannes Baptista Franzelin, Tirolensis (ob. 1886). Qui vix non semper extra Provinciam Austriae, cujus socius erat, vitam degit theologicis scientiis deditus. Ex ordine enim, in Romano Collegio, Lector fuit linguarum Orientalium, S. Scripturae, Theologiae dogmaticae. Inter opera ejus praecipue eminent: *Tractatus de SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio; Tractatus de divina Traditione et Scriptura; Tractatus de Verbo Incarnato:* qui libri sunt doctrinae soliditate, eruditione, subtili scientiae diligentia plane eximii. Quum singularis doctrinae praestantia eximioque cultu virtutis conspicuus ille esset, posteaquam a Pio IX ad Cardinalatum evectus est, simplicissimum vivendi modum ne minimum quidem immutavit [2].

[1] *Stimmen aus Maria-Laach*, Tom. XXV, p. 105 ss.

[2] *De Vita J. B. Franzelin e Soc. Jesu, S. R. E. Presb. Card. Commentarius*, New York, 1890.

Alterum Cathechismi laude insignem virum nominamus Patrem Gulielmum Wilmers, Westphaliensem (ob. 1899), qui librum politissima arte perfectum, partibus quatuor scripsit: *Lehrbuch der Religion*, eique addidit *Geschichte der Religion*. Tractatus praeterea theologicos tres latino sermone egregie conscripsit; e quibus tertius ille, *De Fide divina*, auctore defuncto, a Patre Lehmkuhl editus fuit.

Scientiae profunda subtilitate conspicuus Theologus porro fuit Pater Ludovicus De San, Groninganus (ob. 1904). Qui, per annos multos in nostro Lovaniensi Collegio Lector Theologiae dogmaticae, merito habetur aetatis hujus unus e praecipuis theologis. Longam ille operum seriem edidit, quae, subtiliter scripta, virum arguunt ingenio praeditum acutissimo. Nominare juvat *Tractatum de Paenitentia; De Traditione et Scriptura; De Ecclesia et Romano Pontifice*. Qui etiam in Philosophia eminuit.

Theologica doctrina clarus quoque est Pater Ferdinandus Stentrup, Monasteriensis (ob. 1898), qui Theologiam dogmaticam Oeniponti diu praelegit tractatusque edidit nobilissimos; praecipuae sunt *Praelectiones dogmaticae de Verbo Incarnato*, tomis 4. Periodici etiam, ab ipso cum aliis conditi, *Zeitschrift für Katholische Theologie*, primus Moderator docteque scriptis lucubrationibus socius per multos annos fuit.

Patris Bernardi Tepe, Oldenburgensis (ob. 1905), opera haec sunt: *Institutiones Theologicae* et *Institutiones Theologiae moralis generalis*.

Profundioris scientiae Theologus est P. Victor Frins (ob. 1912); cujus opera, *Sancti Thomae Aquinatis doctrina de cooperatione Dei* et *De Actibus humanis*, Scriptorem ostendunt ingenio praeditum subtilissimo.

Impigro semper labori incubuit Pater Petrus van Santen, olim in Indiis Orientalibus per multos annos Missionarius; qui lucubrationes apologeticas et polemicas scripsit plurimas, multa Neerlandice et Latine reddidit atque historiae ecclesiasticae operam impendit utilissimam.

Periculum non est ne in majus rem extollat, qui dixerit praestantis ingenii virum fuisse Patrem Marianum Morawski, Polonum (ob. 1903). Cujus cum esset celeberrimum in Polonia nomen, Theologiae Lector nominatus est in Universitate Jagelloniana Craco-

viensi. Ipse praecipuus fuit periodici *Przeglad powszechny* conditor. Qui opera sua philosophica et theologica patrio sermone scripsit, magno deinceps legentium numero plurimisque editionibus honestata. Eminet imprimis liber, cui nomen fecit *Gespräche am Genfer See*, quo, in plerasque Europae linguas converso, plane apparet, quam ille ingenio promptus simul ac pellucidus fuerit.

Inter Theologos adnumerare quoque poterimus Patrem Ludovicum von Hammerstein (ob. 1905). Quae enim polemica opera scripsit diversissima, ea plerumque ad Theologiam spectant: *Gottesbeweis; Das Christentum; Der Katholizismus; Begründung des Glaubens*, alia.

Ex iis, qui magnum nomen inter vivos habent, primum referimus Patrem Hugonem Hurter. Laborandi enim vi atque efficacia ingeniique acumine egregie praeditus, pollens quoque ille eruditione vastissima, plurium operum auctor est, quae praestant maxima et ab omnibus passim exquisita utilitate. Praecipua sunt: *Opuscula SS. Patrum; Theologiae dogmaticae Compendium* atque imprimis opus illud ingens, cui nomen ab eo factum *Nomenclator Literarius.* Quibus libris optime meritus est Pater Hurter ab omnibus praecipue Theologiae studiosis, dum millenos praeterea discipulos, Theologiam in Universitate Oenipontana eximie docens, officio sibi devinxit.

Cum laude notus etiam est Pater Antonius Straub, Bavarus; qui *De Romano Pontifice* et *De ecclesia Christi* scripsit, plurimosque articulos, Lector Oenipontanus cum erat, in periodico *Zeitschrift* lucubravit.

Pater Christianus Pesch, Theologiam docens in Collegio Valkenburgensi per longum tempus, in tomos 9 dispertitas scripsit *Praelectiones dogmaticas*, amplum opus; cujus etiam *Compendium* nuper edidit, tomis 4. Extat quoque liber ejus egregius *De inspiratione;* Germanice praeterea edidit theologicos commentarios plurimos, inter quos eminent *Theologische Zeitfragen.* Qui est ingenio fecundus simul ac multiplici doctrina instructus Scriptor.

In Lovaniensi Collegio per annos plurimos habitas praelectiones Pater Gustavus Lahousse edidit egregiis tractatibus *De Sacramentis in genere; De Virtutibus theologicis; De Gratia divina; De Deo creante et elevante.*

Qui Theologiae olim in Collegio Trajectensi ad Mosam eximius



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Lector fuit, *Pater Franciscus Smit*, ad usum auditorum, tanquam manuscripta edidit *Tractatus theologicos*. Dirigit cum laude periodicum Sacratissimi Cordis: *Maandrozen*. Ejusdem scriptoris alia quoque opera extant, e quibus illud unum nominamus cui titulus: *Wat Jesus leed.*

Pater Joannes De Groot, Amstelodamensis, ad religionis doctrinam proponendam aptissimum librum scripsit, *Godsdienstleer*, qui multo docentium atque discentium usu in Neerlandia frequentatur. In periodico quoque *Studiën* theologicos commentarios scite lucubratos edidit sat magno numero.

Nec vero minus *Sacrae Scripturae* studio in Assistentia Germaniae tributum fuisse, passim in confesso habetur. Inter viros igitur nostros, qui hac laude floruerunt, vel quos etiam nunc eadem praestare constat, e praecipuis juverit jam paucos nominare. Primus autem esto Pater Rudolphus Cornely, Germanus (ob. 1908). Qui maxima cum laude condidit illum fama celebratum *Cursum Scripturae Sacrae*, hujusque *Introductionem generalem et specialem* scripsit, tomis 3, atque *Commentarios in Epistolas ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas;* cujus egregia cum esset ingenii nativa feracitas atque acumen, multum ille auctoritate inter doctos viros valuit.

Nominare etiam decet Patrem Victorem Delattre, Belgam; qui, per aliquod temporis spatium in Universitate Gregoriana Collegii Romani Lector, non solum de Sacris Litteris, sed etiam de Assyriologia lucubrationes plurimas edidit.

Nec minus commemoremus oportet Patrem Josephum Corluy, Belgam (ob. 1896). Inter egregios libros ejus exegeticos notissimum est *Spicilegium dogmatico-biblicum.*

Vere ingens fuit opus Patris Josephi Knabenbauer, Germani (ob. 1911), ab ipso in *Cursu Scripturae Sacrae* praestitum; quo inter primos aetatis hujus exegetas procul dubio nominandus est. Ac sane, qua ille ingenii praestantia, mentis sagacitate, eruditione amplissima insignitus erat, par omnino fuit scribendae ingenti seriei commentariorum, qui doctrinae soliditate simul ac profunditate praecellunt. Neque etiam minimam laudem ejus hanc esse grata quisque mente fatebitur, quod, in ancipite sacrae scientiae hodierno statu, doctrinae plane tutae via semper incesserit.

Magnum quoque factum est nomen Patris Francisci von Hum-

melauer, Austriaci, scriptis praecipue lucubrationibus commentariisque in complures Veteris Testamenti libros; quibus ipse, una cum Patre Knabenbauer, plurimam operam impendit *Cursui Scripturae Sacrae.*

Cujus laboris partem quoque habuit Pater Gerardus Gietmann, Germanus (ob. 1912), lucubratis quippe commentariis in *Canticum* et in *Ecclesiasten.* Is porro cum, quae erat ingenii ejus nativa vis mentisque acumen, etiam alia egregia opera scripserit, *Dante Alighieri* et *Kunstlehre,* inter exegetas simul atque inter viros litterarum peritos et artium doctrina insignes jure censebitur.

Pater Martinus Hagen, Tirolensis, eumdem *Cursum Scripturae Sacrae* auxit, egregia scientia conscribens illud *Lexicon Biblicum,* quo, qui Cursu essent usuri, carere omnino non possent. Cui operi addidit etiam, diligentissimo labore exactam, tabulam geographicam Palaestinae, una cum nominum indice geographico: magni profecto pretii adjumenta iis, qui integri Cursus tomis singulis studendo operam vellent impendere.

In quo *Lexico Biblico* lucubrationes scripsit etiam plurimas notus ille praeses Pontificii Instituti Biblici de Urbe, Pater Leopoldus Fonck, Germanus. Qui de S. Scripturae studio optime praeterea meruit, scriptis libris *Biblische Flora, Parabeln des Herrn, Wunder des Herrn;* imprimis vero Pontificio Instituto Biblico instruendo atque moderando.

*Cursui Scripturae Sacrae,* de quo diximus, Pater Franciscus Zorell addidit *Lexicon Graecum ad usum eorum qui Bibliis student,* omnino eximium opus.

Insignia quoque, in studio Sacrarum Litterarum, merita sunt Patris Augustini Arndt, Berolinensis, Galicianae Provinciae sodalis, nova quippe editione, partibus 4, procurata libri celeberrimi, cui nomen *Die Heilige Schrift* (*Allioli*); scripto etiam libro: *Die vier heilige Evangelien,* aliisque lucubratis periodicorum commentariis plurimis, quibus plane appareat quam illius sit prompta doctrina laborisque patiens ingenium.

Quale nomen adeptus etiam est Pater Joannes van Kasteren, Neerlandicus, qui inter populares suos notus est, in ipsorum sermonem converso *Evangelio secundum Lucam* et *secundum Joannem,* ac plurimas etiam sive separatim sive in periodicis edendo lucubrationes exegeticas et biblicas.

Pater Joannes Nisius, Germanus, Exegeseos olim in Universitate Oenipontana Lector, laboris nunc in periodico *Zeitschrift* socius, Sacrorum Librorum commentarios edidit solida doctrina conspicuos; cujus hoc praecipue tempore celebratum est nomen, articulis plurimis in *Kirchliches Handlexikon* lucubratis.

Notum porro inter doctos viros nomen est Patris Caroli Huyghe, Belgae, in Lovaniensi Collegio S. Scripturae Lectoris, scripto, inter alia opera, *Commentario in Epistolam ad Hebraeos*, plurimum passim probato.

Ne multos, nominandus denique Pater Mathias Flunk, Austriacus; qui scripsit *Explanationem in locos selectos librorum Sapientialium; Eschatologie Alt-Israels*, lucubrationes plurimas in periodico *Zeitschrift;* in opere etiam biblico Ferlet, articulum *Sechstagewerk.*

In *Theologia morali* porro nomina Nostrorum non pauca sunt probatissimae famae. Cujus disciplinae nominabimus prius Lovaniensem Lectorem illum eximium, Patrem Eduardum Génicot, Belgam, virum ut prompta doctrina, ita mentis acie praestantem, qui, praematura morte abreptus (ob. 1900), librum scripserat egregium, jam saepius prelo excusum: *Theologia moralis* atque alterum: *Casus conscientiae.*

Deinde vero commemorandus, hujus scientiae in sua Assistentia princeps, Pater Augustinus Lehmkuhl, Germanus. Ejus quippe per orbem universum est celebre nomen, scriptis libris his: *Theologia moralis*, typis jam pluries edita; *Compendium theologiae moralis; Casus Theologiae moralis*, aliis. Adde *Das Bürgerliche Gesetzbuch*, varii generis opera plurima, recentiorem *librorum asceticorum editionem.* De ejus autem eximiis ingenii dotibus non est cur laudando repetamus quae norunt omnes.

Quem deinde excipit Pater Hieronymus Noldin, Tirolensis, Scriptor praeclari libri, cui nomen: *Theologia moralis.* Ipse praeterea per plurimos annos, suas in periodico Oenipontano, *Zeitschrift*, egregias lucubrationes, atque alia separata opuscula scripsit plurima.

Nec minoris famae nomina in *Jure Canonico* ostendere possumus. Primas quidem tenet Adm. Rev. Pater Noster Franciscus Xaverius Wernz, cujus insigne opus, *Jus Decretalium*, laudando jam commemoravimus, capite secundo.

Egregia porro auctoritate pollent, quae opera scripsit Pater Nicolaus Nilles, Luxemburgensis (ob. 1907): *De rationibus festorum Sacratissimi Cordis*, etc.; praecipue vero: *Kalendarium utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis*, cujus operis maxime celebris fama fuit; tum *Symbola ad illustrandam historiam Ecclesiae orientalis*, alia. Erat Patris Nilles notitia linguarum insignis, atque eruditio amplissima; cujus rei testimonium etiam alia opera plurima ferunt [1].

Invicta porro laboris patientia ingeniumque validissimum merito celebratur Patris Arthuri Vermeersch, Belgae, in Lovaniensi Collegio Lectoris, quippe cujus, intra temporis spatium satis exiguum, plane egregia opera magno numero prodierint: *Praelectiones canonicae, de religiosis institutis et personis; Quaestiones de justitia; De prohibitione et censura librorum; Manuel social;* alia, quae vel numerare longum est; *ascetica* quoque *opera* magno numero.

Egregia porro laus est Lectoris Juris Canonici olim, in Collegio Valkenburgensi, Patris Josephi Laurentius, Germani, qui manualem librum de jure canonico probatissimum scripsit: *Institutiones Juris Canonici*, cujus, intra brevissimum temporis spatium, editio altera procuranda fuit.

Ad ipsum Jus Canonicum deduci quoque possunt opera Patris Josephi Hilgers, Germani, qui praeterquam quod minoris molis lucubrationes scripsit plurimas, edidit praecipue opus illud, ampla argumenti dispositione conspicuum, *Der Index der verbotenen Bücher*, ejusque supplementum: *Die Bücherverbote in Papstbriefen:* utrique libro laus habenda est maxima.

Porro Pater Franciscus Beringer, Moguntinus (ob. 1909), Congregationis Indulgentiarum Consultor, librum illum scripsit, omnium notitia celebratum: *Die Ablässe*, cujus ante ipsum ejus obitum editio prodierat tertiadecima. Magnam praeterea laboris partem assumpserat in procurandis novis editionibus *Sylvestri Mauri* et *Cosmae Alamanni.*

Notus ille Instructor tertiae Probationis, Pater Augustinus Oswald, Westphaliensis (ob. 1908), probatissimum edidit *Commentarium in decem partes Constitutionum Societatis Jesu.*

[1] Cf. *Nachrichten der oesterr.-ungar. Provinz*, 1907, p. 96-109.

Patris Hadriani van Gestel, Neerlandici (ob. 1900), quamquam permultos annos Theologiam dogmaticam praelegerat et moralem, lucubrationes tamen pleraeque, sive in periodico *Studiën* sive alibi editae fuerunt, ad juridicam disciplinam potius deducendae sunt. Cujus praecipuum opus, juvenibus studiosis Universitatum in Neerlandia imprimis destinatum, inscribitur: *De Justitia et lege civili.*

Ut aliis temporibus locisque aliis omnibus, ita in Assistentia Germaniae quoque, post restitutam Societatem, lucubrationes Nostrorum plurimae in re *ascetica* prodierunt. Ex Scriptoribus igitur illis nonnisi praecipuos quosdam commemorare licet. Ac primo statim loco nominamus, e defunctis, Patrem Franciscum Hattler, Tirolensem (ob. 1907). Ei autem, post Albanum Stolz, cujus nimirum vestigiis inhaerere volebat, in scribendis lucubrationibus piis, quae hominibus de vulgo destinabantur, parem vix invenies. Ipse per annos 42 vel moderando praefuit vel scribendo magnam partem adlaboravit periodico *Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu*, quo ille opere ingentem popularium suorum utilitatem procuravit, jure Apostolus Cordis Jesu dictus. Ab anno inde 1882, quasi in recessu vixit in loco Zensenhof, prope ab Oeniponto. Lucubrationes autem ejus, quae numero sunt omnino plurimae, has praecipuas nominamus: *Wanderbuch; Das Haus des Herzens Jesu; Christkatholisches Hausbrod; Groszes Herz-Jesu-Buch; Missionsbilder aus Tyrol.* Plurima autem legentium manu tractari libros istos, testes sunt editiones eorum iteratis vicibus usque repetitae.

Duobus post eum annis defunctus est Pater Rudolphus Pierik, Neerlandicus (ob. 1909), qui in sua ipse quoque regione Apostolus Jesu Cordis dici potuit. Ac sane numerari vix valent, quae ille ascetica opuscula conscripsit; e quibus nominare solum volumus illud gravioris momenti opus, cui nomen fecit *De lijdende Jesus*, tomis 2. Immensam porro utilitatem attulit conscribendo, per longum tempus, periodico *Maandrozen.*

Asceticis scriptis notissimus etiam est Pater Jodocus Hillegeer, Belga (ob. 1883), qui Flandrici populi pietatem, longa lucubrationum serie, confovit.

Biennio antea (1881) jam obierat Pater Tussanus Dufau, Belga. Praecipua ejus laus est in eo, quod scripsit, amplissimo opere, *De Virtutibus SS. Cordis Jesu.*

Eximia quoque laus est P. Caroli Verbeke, Belgae (ob. 1889).

Exstat enim illius posthumum opus, ad Nostrorum usus editum, complectens, tomis 5, magnum numerum meditationum, concionum, instructionum, quibus ille se prodit concionandi arte, vitaeque Christianae atque religiosae doctrina peritissimum.

Ad Religiosorum quoque usus potissimum scripsit Pater Antonius Denis, Belga (ob. 1892); cujus praecipuum opus est ampla quaedam *Exercitiorum Sancti Ignatii expositio.*

Inter Belgas longam vitae partem degit Pater Adulphus de Doss, Germanus (ob. 1886). Praeclara exstant opera ejus duo, *Gedanken und Rathschläge* et *Die Weise Jungfrau*, quorum illud praecipue in multas linguas conversum, plurima legentium manu tractatur.

Ad Scriptores asceticos deputandus quoque erit Pater Josephus Schneider, Germanus (ob. 1884), cujus precum devotionisque libelli per universum orbem usurpantur, imprimis vero illud *Manuale Clericorum* et *Manuale Sacerdotum*. Edidit quoque, ipse S. Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum Consultor, *Decreta authentica* et *Rescripta authentica* Congregationis istius; quibus operibus inter eos etiam, qui de Jure Canonico scripserunt, cum laude adnumerandus est.

In Polonia notissimus rei asceticae Scriptor est Pater Henricus Jackowski (ob. 1905); qui praeter ea, quae de *Exercitiis Spiritualibus* S. Ignatii scripsit, opera edidit fere 30, magnamque iisdem utilitatem attulit. Praesertim vero ad strenue agendum populares suos exstimulando peritissimus ille erat.

Pater Joannes Baptista Lohman (ob. 1911), Germanus, de *Passione Domini*, de *Sacrificio Eucharistico*, de *S. Spiritu*, aliisque argumentis egregie scripsit. Commemoranda praeterea est ejus, quam edidit, *Vita Christi, Evangelistarum ipsis verbis contexta;* quae multo legentium usu innotuit.

Inter optimos Neerlandiae Scriptores asceticos recensendus est Pater Henricus Mulder (ob. 1894); cujus praecellens opus est, quod ex Hispanico convertit: *Oefening der Christelijke Volmaaktheid*, Patris Alphonsi Rodriguez; quae, omnium textuum collatione diligentissime facta, procul dubio habenda est omnium, quae libri illius celeberrimi exstant, interpretationum una optima.

Praestantissima sane rei asceticae laude floret Pater Mauritius Meschler, Helvetius (ob. 1912). Doctrinae enim soliditate, dicendi

genere perquam amoeno, ac nativa quadam, argumento sententiisque expressa, animos quasi demulcendi arte, per universum orbem nomen adeptus est celeberrimum. Cujus haec sola nominamus opera: *Leben unseres Herrn Jesu Christi; Die Gabe des Pfingstfestes; Betrachtungen der Exercitien; Exercitienbüchlein; Leben des H. Aloysius von Gonzaga.* Quibus aliisque operibus utilissimis, inter praecipuos asceticos Scriptores omnium temporum ille adnumerandus, atque legentium gratae mentis laude cumulandus erit semper.

In Belgio vitam degit, agendo scribendoque meritis usque cumulatam, notissimus ille Pater Adulphus Petit, Belga. Cujus *Sacerdos rite instructus*, saepius iterato prelo recusus, atque alia opera, novis semper editionibus prodeuntia, plane testantur quam ille ad solidam confovendam pietatem accommode libros suos scripserit.

Inter asceticos Scriptores adnumerare etiam possumus Patrem Rutgerum Bouman, Neerlandicum, qui praeter alia opera, uti sunt *Vita B. Antonii Baldinucci; Vita B. Bernardini Realini; De Verloren Parel;* praecipue Neerlandicam interpretationem librorum *De Imitatione Christi* ita scripsit ut liber, octava editione nuper prodiens, typis expressa exemplaria jam numeret centies et sexagies millia. Apologeticorum etiam fasciculorum seriem edit, cui nomen *Geloof en Wetenschap.*

In re *Philosophica* porro Scriptores librosque esse numero plurimos, nemo mirabitur; quo tamen major nobis limites non egrediendi necessitas incumbit.

Principem nominamus, ut qui scientiae huic viam maxime fecerit, Patrem Tilmannum Pesch, Germanum (ob. 1899); nisi quod memoriam prius salutatam volumus Patris Francisci Rothenflue (ob. 1869), grata quidem mente ac multorum nomine recolentes, quae ille Nostris in Helvetia olim praecepta tradebat. Patris igitur Tilmanni Pesch praecipuum opus est Latine conscripta *Philosophia*, tomis 3; cui adde alterum, amplissima doctrina insignem librum: *Die grossen Welträthsel*, quem laicis etiam excultis destinatum ille voluit. Polemici quoque Scriptoris laudem egregiam consecutus est opere, quem inscripsit: *Briefe aus Hamburg.* Pro Catholica scientia inter primores pugnans Pater Pesch, ejus rei nomen etiam atque laudem passim ubique consecutus est [1].

[1] *Mittheilungen aus der deutschen Provinz*, 1899, p. 721 ss.

Cui statim conjungere commemorando possumus Patrem Alphonsum Lehmen, Germanum (ob. 1910). Hic librum valde probatum, tomis 4, scripsit: *Lehrbuch der Philosophie;* cujus libri prospero successu frui ipsi Scriptori adhuc vivo licuit, procurata editione illius tertia.

Ampla simul atque solida doctrina conspicuas *Institutiones Juris naturalis seu Philosophiae moralis* scripsit Pater Theodorus Meyer, Germanus.

Optimum quoque est Patris Josephi Hontheim, Germani, opus, cui nomen *Institutiones Theodiceae sive Theologiae naturalis.* Ejusdem Scriptoris exstant, in periodicis plurimis editae, egregiae de re theologica et de Divinis Litteris lucubrationes.

Neerlandica lingua, de *Psychologia*, partibus 3, eleganter scripsit Pater Isidorus Vogels; cujus operis successus fuit prosperrimus. Qui praeterea rei philosophicae et litterariae lucubrationes multas in periodico *Studiën* edens, ingenii acuti judiciique sapientis laudem suis scriptis merito consecutus est. Is nescio tamen an magis etiam divinam gloriam non procuraverit, scientiamque promoverit condito inter Neerlandicos coetu, cui nomen *Vereeniging tot bet bevorderen van de beoefening der Wetenschap onder de Katholieken in Nederland.* Quae res quanto labore, meditatione, studio persuadendi illi steterit vel ex ipsa coetus hujus constitutione apparere poterit [1]. Suos ipse coetus Annales ab initio fere edidit.

De Psychologia etiam scripsit Pater Julius Bessmer, Germanus; ejus autem praecipua opera haec sunt: *Störungen im Seelenleben; Grundlagen der Seelenstörungen*, quae viris scientiae hujus peritis valde probatae fuerunt. Graves etiam lucubrationes edidit ad modernismum refellendum.

Patris Bernardi Boedder, Germani, qui Philosophiae inter Anglos Lector diu fuit, haec opera cum laude commemoranda veniunt: *Phychologia rationalis; Theologia naturalis;* atque anglice scripti libri: *Manuals of Catholic Philosophy; Natural Theology.*

Exstant insuper probatissimi libri Patris Josephi Donat, Austriaci, quibus nomen: *Summa philosophiae Christianae; Voraussetzungslose Forschung.*

[1] Multum hic coetus similis est celeberrimo illi, inter Germanos jamdudum exsistenti coetui, cui nomen *Görres-Gesellschaft.*

Philosophica denique sagacitate praecellit Pater Augustus Castelein, Belga; cujus *Liber manualis Philosophiae* et *Philosophia moralis* in magno pretio jure habentur. Theologicae quoque rei laborem impigrum idem impendit.

Ad Philosophiam praeterea deducendus est, qui labor humanae vitae consociationi, studendo scribendoque, impenditur. Quo in genere primus omnium nominandus est notissimus ille Pater Victor Cathrein, Germanus. Ejus quippe liber, *Socialismus*, in linguas 9 e Germanica conversus est, dum *Philosophiae moralis* editiones fuerunt multae. Omnium tamen operum ejus celeberrimum est, Germanice conscriptus liber, *Moralphilosophie*, qui, doctrinae soliditate ac disserendi dicendique perspicuitate insignis, egregia apud omnes auctoritate pollet.

In eodem fere scriptionis genere versatur Pater Henricus Pesch, Germanus. Ejus valde exquisitus est liber *Die soziale Befähigung der Kirche;* magis etiam *Lehrbuch der Nationalökonomie*, cujus et magna laus est nec minor utilitas.

Primum inter Neerlandicos, de quaestione quae dicitur sociali, manualem librum scripsit Pater Paulus Bruin (ob. 1905); cujus operis magna fuit in hac regione auctoritas. Majus meritum habuit operam conferens in Periodicum *Studiën*.

In excolendis porro *Scientiis Naturalibus*, quamquam egregia semper fuerunt merita Societatis, restitutus tamen Ordo noster ampliorem laudem consecutus est, quemadmodum ex sola Assistentia Italiae satis constare jam potuit. Atqui etiam multum iisdem laborem ab Assistentia Germaniae impensum fuisse, nunc ostendendum.

Primum igitur nominamus Patrem Ignatium Carbonelle, Belgam (ob. 1889), qui anno 1875 coetum illum condidit celeberrimum, cui nomen *Société scientifique de Bruxelles*. Cujus coetus tessera ac scopus his verbis apte referuntur: « Nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest » (Conc. Vat.). Ejusdem porro sectiones sunt: mathematica, scientiae technicae, scientiae physicae, scientiae naturales, scientiae oeconomicae. Commentarios coetus edit duos: *Annales*, qui solis sociis destinantur; et *Revue des Questions scientifiques*. Nec minore laude dignae sunt Patris Carbonelle multae quoque numero lucubrationes, in periodico ab eo conscriptae; quae virum arguunt, ut ingenio singulari, ita eximia

ad mathematicas scientias aptitudine praeditum [1]. Ceteris tamen praecellens opus illius est, cui nomen: *Les confins de la science et de la philosophie.*

Mathematicae laude claruit etiam Pater Josephus Epping, Westphaliensis (ob. 1894). Qui, in instituto polytechnico Quitensi, a Garcia Moreno condito, Lector, Mathematicae atque Astronomiae fere unice impendit studendi laborem. Post annum deinde 1875 in Neerlandia vitam degens, primum quidem notissimum illum librum scripsit: *Der Kreislauf im Kosmos;* tum, una cum Patre Strassmayer, de *Astronomia Babyloniorum* lucubrationes edidit in periodicis *Stimmen aus Maria-Laach* et *Zeitschrift für Assyriologie;* praecipue vero commemorandum grandius opus illud: *Astronomisches aus Babylon.* Quae scripta maximo in pretio habita sunt omnia.

Doctos porro Patris Epping labores praeclaro mentis acumine continuavit Pater Franciscus Xaverius Kugler, Germanus. E cujus operibus haec praecipue censemus nominanda: *Babylonische Mondrechnung; Babylon und Christentum; Sternkunde und Sterndienst in Babel; Im Bannkreis Babels; Entwicklung der Babylonischen Planetenkunde.* Quamquam omnia quidem Patris Kugler opera placuerunt, optime tamen exceptus atque a viris astronomiae peritis summa laude ornatus est liber ille ultimo loco dictus, cujus doctrinae dispositio est amplissima partesque ejus futurae sunt quatuor. Multas praeterea lucubrationes Pater Kugler edidit in periodicis *Stimmen, Anthropos,* aliis.

In re autem Astronomica hodiedum eminet Pater Joannes Hagen, Vaticanae Speculae Moderator. Opera ejus praecipua nominabimus duo: Primum est *Synopsis der höheren Mathematik,* cujus in periodicis celebrata fama est tanquam susceptae rei ingentis, operis revera grandis atque monumenti ad instar exstructi. Atqui majorem tamen laudem nactum est opus ejus alterum, cui nomen: *Atlas Stellarum variabilium,* quodque ex universa astronomica scientia inter praecipuos libros jure computaveris.

Cui doctissimo viro statim nominando subjungimus Patrem Joannem Stein, Neerlandicum, qui Patris Hagen in Specula Va-

[1] *Revue des Questions scientifiques,* 1890. Cf. Poncelet S. J., *La Compagnie de Jésus en Belgique,* p. 178 ss.

ticana laborum socius fuit, scriptisque suis egregium mentis acumen prodit atque ingenium ad scientiam mathematicam eximie dispositum. Ejus autem scripta praecipue haec sunt recensenda: *Die Breitenvariationen in Leiden; Calixte III et la comète de Halley; Les preuves mécaniques de la rotation de la terre; Théorie der veränderlichen Sterne.*

Magna quoque in rebus astronomicis laus est Patris Adulphi Müller, Germani, Romae in Universitate Gregoriana Lectoris; in magno enim pretio habentur, quae ille de *Copernico*, *Keppler*, *Galilei* scripsit, tum etiam ejus institutiones astronomicae, quibus nomen est *Lehrbuch der Astronomie*, quaeque multorum usu versantur.

Est porro hic locus, quo aliqua *Assistentiae Germaniae observatoria* referamus. Munificentiae Cardinalis Haynald, archiepiscopi Kalocsensis, Collegium Societatis in ea civitate acceptum refert observatorium, cujus, anno 1879 inaugurati, primus moderator fuit Pater Carolus Braun. Hic autem ipse ab iis, quae invenit, instrumentis fama gaudet celeberrima; nota enim sunt *nephoscopium* illius et *trigonometrum;* ac majori etiam laude nominatur, quod ab eo compositum est *micrometrum*, stellis, dum praetereunt, observandis, ejusdemque *spectroheliographum*. Qui porro ei laboranti adsistebat, Pater Joannes Schreiber (ob. 1903), non solum de historia Astronomiae praeclare scripsit, sed etiam de maculis solaribus inquisivit, ac praeterea *describendis tempestatibus indicem* aptissimum invenit. Nec tantum meteorologicae observationes, sed aliae etiam complures ab Instituto Kalocsensi edebantur. De *solis*, quae dicuntur, *prominentiis* ac *maculis* egregie scripsit Pater Julius Fenyi, qui anno 1885 Speculae praepositus est Moderator. Hic, in periodicis compluribus, lucubrationes plures quam 100, variis linguis, magna cum laude edidit. Plurimum praecipue momentum habent, quae de solis prominentiarum atque terrae virtutis magneticae inter se relationibus commentatus est [1].

Quod anno 1896 conditum est *Observatorium Valkenburgense*, stellis variabilibus observandis imprimis destinabatur. Qua de re in suo libro, *Descriptio stellarum variabilium*, praefando scripsit Pater Hagen. Observationibus in eo loco operam dabant Pater Jo-

[1] *Revue des Quest. scientif.*, Tom. LIX (1906), p. 508 ss.

sephus Hisgen (1897-1902); Pater Michael Esch (1898-1902); Pater Alfredus Baur (ab anno 1902) [1].

Quibus paulo etiam antiquius est *Observatorium Calcuttense*, quod anno quippe 1875, Pater Lafont, Collegii Rector, petente Panormitani observatorii Moderatore, Tacchini, condidit. Consilium quidem hoc erat, ut cum Patre Secchi aliisque sociis coetus illius, cui nomen *Itali spectrorum speculatores* laborarent. Observatorii autem Calcuttensis instrumenta sunt idonea valde; quibus, Moderatore Patre de Clippeleir, solis eclipses observatae fuerunt jam quatuor [2].

Ad alia porro scientiarum genera progressis nobis nominandus occurrit *Pater Ludovicus Dressel*, Germanus, qui, ante multos jam annos in Instituto Polytechnico Quitensi Lector, de *Geologia* et de *Chemia* Germanice et Hispanice scripsit. Ejus valde celebratus est liber ille, *Elementares Lehrbuch der Physik*, qui, tertium jam editus, in eo genere eximius esse pronuntiatur.

Chemiae scientia notissimus deinde est Pater Joannes Kramers, Neerlandicus, in Neomagensi Collegio Magister; suum ipsius ille librum, quaesitum valde, tomis 3 scripsit: *Handboek der Chemie;* qui, tum in Hollandia tum exteris quoque hominibus acceptissimus, in Gallicum sermonem conversus est. Cujus libri compendiariam etiam editionem idem Pater procuravit, suis praeterea lucubrationibus, quas in variis periodicis edidit, egregiam chemici famam adeptus.

In *Entymologia* porro per universum orbem innotuit nomen Patris Erici Wassmann, Germani. Quam enim de formicis ille scripsit librorum longam seriem, omnes ubique, qui scientiae istius periti sunt, valde admirantur; ita quidem ut nonnulla ejus opera prelum pluries subierint. Vix autem numerari possunt, quas in periodicis compluribus lucubrationes Pater Wassmann edidit. Nominandum denique imprimis est, quod opus doctissime scripsit, *Die moderne Biologie und die Entwicklungstheorie*, cujus hic etiam eventus fuit, ut in praecipuis Germaniae civitatibus doctae dissertationes ea de re habitae fuerint.

In *Biologiae* scientia optimum quoque nomen est Patris Henrici Bolsius, Neerlandici, in Vetusbuscensi Collegio Lectoris; qui

[1] *Ibid.*, p. 559 ss.
[2] *Ibid.*, p. 568 s.

in compluribus periodicis variisque linguis scite commentatus, exteris quoque viris doctis egregie notus est. Is diligentissime inquirendo lucubrandoque haec inter alia scripsit: *Organes segmentaires; Organes ciliés; Sphinter de la vésicule.* Quibus rebus de scientia bene ille meritus, complurium coetuum Russicorum, Italicorum, Belgicorum, Neerlandicorum socius adscitus est.

Virorum autem peritorum, Assistentiae Germaniae, longe maximum numerum in re historica recensendum jam habemus. Ac primo statim loco nominemus oportet opus illud princeps, cui nomen *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus.* Diximus, a Congregatione XXI (1829) commissam Patri Roothaan curam esse ut bibliotheca Scriptorum Societatis continuaretur [1]. Cujus rei in antiqua Societate initium factum jam fuisse, apparet commemorandis nominibus Patrum Petri Ribadeneira (1602, 1608), Andreae Schott (1612), Philippi Alegambe (1643), Nathanaelis Southwell (1675); neque etiam deinceps atque ipso saeculo XVIII, Nostros ab ea opera plane destitisse, omnibus in comperto putamus esse. Verum ex iis lucubrationibus typis mandatum nihil fuit, donec eamdem operam, strenuo continuandam labore, in se denuo susceperunt uterque Pater Augustinus et Aloysius de Backer, qui, ab anno 1853 ad 1861, septem ex ordine series, quibus singulis integrum alphabetum decurrebatur, in publicum ita ediderunt, ut ipsa jam prima serie multo plura recenserentur, quam in bibliotheca Patris Southwell prostarent. Magna statim inter doctos viros excitata rei admiratio atque Julius Petzholdt, cujus erat inter bibliographos saeculi XIX egregia fama, dicere non dubitabat, « inter eas Societatis Jesu apologias, quae vi sua rerumque gravitate atque aequitate magis praestarent, egregium isti operi locum esse tribuendum ». Cujus operis editio altera, multum aucta atque diligenter emendata, adjuvante etiam Patre Carolo Sommervogel, annis 1869-1876 in publicum prodiit. Nihil mirum eam ipsam, quae solis 200 exemplaribus fuisset impressa, brevi tempore exhaustam fuise. Posteaquam deinde, onusti meritis, uterque Pater Augustinus (ob. 1873) et Aloysius de Backer (ob. 1883) vita studiique labore cesserunt, Pater Sommervogel novam procurandam editionem suscepit ipse solus. Vix credibile dictu est, quanta ille dili-

[1] *Decr. Congr. Gen. XXI, decr. 21*, in *Instituto S. J.*, Tom. II, p. 476 ss.

gentia quantaque inquirendi sagacitate susceptam operam urgeret; articulorum enim fere decem millia retractans, anno 1890 opus denuo submittere prelo coeperat. Ac perlustranti sane columnas illas 17.500 plane constare poterit, quam illae perquirendi tenax propositum, quam improbum laborem ab eo exegerint. Ferdinandus quidem van der Haegen, bibliographiae scientia ipse clarissimus, idoneusque rei judex: « Haec, inquit, nova editio supra opus Patrum de Backer longe excedit, quod tamen ipsum omnibus religiosorum Ordinum bibliographiis longe jam erat praestantius » [1]; quod tamen judicium haud scio an dicendo non sit exaggeratum.

Statim post Patrem Sommervogel nominandus est Pater Josephus Browne, Anglus, Galicianae Provinciae sodalis (ob. 1879); is praecipui meriti opus scripsit, cui nomen *Bibliotheca Scriptorum Assistentiae Polonae.*

Viri Historiae periti nomen clarum porro habuit Pater Ferdinandus Damberger, Bavarus (ob. 1859), qui posteaquam Lucernae aliquamdiu magister fuit, deinde, ex Helvetia pulsus, in Italia et Germania insigne opus illud congestisque materiis uberrimum continuavit, cui nomen *Synchronistische Geschichte der Kirche und Welt im Mittelalter* (tomis 15, octava folii parte) [2].

Inter praecipuos Historiae Scriptores numerandus quoque est Pater Antonius Tinnebroek, Neerlandicus (ob. 1855), qui, Bollandiani coetus socius, laborem posuit in adornandis tomis VII et VIII Octobris, ejusdemque mensis, quae dicuntur, *Auctariis.* Praeterea una cum Patre Victore de Buck lucubrationem concinnavit *Examen historicum et canonicum*, quo scripto responderent libro Mariani Verhoeven, professoris Lovaniensis, « De regularium et saecularium clericorum juribus et officiis » [3].

Inter Bollandianos praecipuam laudem nactus est ille, quem modo diximus, Pater Victor de Buck, Belga (ob. 1876). Qui, ab anno 1840 ad obitum usque, *Actis Sanctorum* strenue laborem impendens, multas numero archaeologicas historicasque dissertationes scripsit, inter quas nominandae praecipue sunt: *Examen critique du miracle de Tipase* et *De phialis rubricatis.* Quamquam

[1] *Messager des sciences historiques*, 1890, p. 485. Cf. *La Compagnie de Jésus en Belgique*, p. 176 ss.

[2] Cf. *Litt. Handweiser*, 1864, p. 380 ss.

[3] *Elogium* in *Acta SS.*, in capite Tom. IX, Oct.

canonici quoque juris scientia eminuit, in *Archaeologia* tamen potissimum laus ejus ponitur; cujus disciplinae ipse, tempore isto, unus e praecipuis scriptoribus erat [1].

Bollandianorum coetum porro illustrarunt: Pater Julius Matagne, Belga (ob. 1872), qui linguas maxime calluit; Pater Josephus van Hecke, Belga (ob. 1874); hic, Canonici Juris Friburgi ac Romae primum Lector, praecipua deinde opera reliquit: *Acta S. Joannis Capistrani* et *Acta S. Ignatii Constantinopolitani;* his addendus quoque Pater Josephus van der Moere, Belga (ob. 1875), cujus nota est *Vita S. Theresiae;* magis tamen celebratur ejusdem opus *Prophéties;* denique Pater Benjamin Bossue, Belga (ob. 1882) et Pater Eduardus Carpentier (ob. 1868), qui *Actis Sanctorum* diligentissime operam tribuerunt.

De Historia egregie meritus est Cardinalis Andreas Steinhuber, Austriacus (ob. 1907), scripto pulcherrimo libro, qui materiarum dispositione simul atque ubertate excellit: *Geschichte des Kollegium Germanicum-Hungaricum in Rom* [2].

Pater Michael Pachtler, Germanus (ob. 1889), vir multiplici doctrina ornatus, insigni cum laude eo nominandus est, quod ingentis illius collectionis, *Monumenta Germaniae Paedagogica*, tomos quatuor ipse concinnavit eos, quibus Societatis in Germania Ordinationes studiorum complexus est. Qui cum antea mortuus esset quam perfecisset opus, partem ejusdem quartam edidit Pater Bernardus Duhr.

Inter viros Historiae egregie peritos eminet porro Pater Theodorus Granderath, Germanus (ob. 1901), qui praeter alia opera complura, scripsit historiam illam, omnium laude passim celebratam, cui nomen *Geschichte des Vatikanischen Konzils.* Nec solum magnam ille rerum narrandarum fidem habet, quippe cum ipsius Vaticanae Bibliothecae manuscriptis omnibus uti potuerit, verum etiam totius operis sui dispositione aptoque scribendi genere librum revera egregium confecit.

Eumdem deinde absolvit Pater Conradus Kirch, cujus in tomo praecipue tertio concinnando insignes partes fuerunt. Exstat etiam, a Patre Kirch nuper editum, *Enchiridion fontium Historiae antiquae.*

[1] SOMMERVOGEL, I. 318-328.
[2] *Nachrichten der oest.-ung Prov.* (1908), p. 138 ss.

Patris Gerardi Schneemann, Germani (ob. 1885), qui, quo erat praeclaro praeditus ingenio, in Historia excolenda vastissimum laborem posuit, haec est praecipua gloria, quod, praestantissima illa *Collectione Lacensi*, acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum ita suscepit edenda, ut, ex amplissimis tomis septem, solum ultimum Patri Granderath reliquerit procurandum, morte videlicet interceptus. Cum laude porro notae sunt lucubrationes ejus de *Honorio Papa I*, de *S. Irenaeo*, de *Controversia Thomistico-Molinistica* [1].

Laudandus etiam summopere est Pater Stanislaus Zalenski, Polonus (ob. 1905); hic, ingenii dotibus egregie praeditus, ac labori incumbens diligentissimo, Societati tradere potuit opera duo praeclari valoris: illud quod Gallice inscribitur *Les Jésuites de la Russie blanche*, tomis 2, et *Historia Societatis in Polonia*, tomis 5.

Ex *Collegio Bollandiano* ultimi temporis nominandi porro sunt: Pater Carolus de Smedt, Belga (ob. 1911), qui, cum praeclari hujus Instituti laboribus praeesset, magna his 25 annis pars erat universae operae, quam Scriptores praestiterunt. Ipse quidem unus fuit ex iis qui *Analecta Bollandiana* conscribere inceperunt ac tum in his ipsis tum in quatuor tomis, qui ultimi editi sunt, *Actorum* multam operam posuit suam. Cujus tamen fama jam pridem innotuerat doctis lucubrationibus, quarum has praecipuas nominare possumus: *Introductio ad Historiam Ecclesiasticam; Disquisitiones; Principes de la critique historique.*

Longum est ceterorum, qui Bollandianae operae continuandae impigre incumbunt, Francisci van Ortroy, Pauli Peeters, sive ingenii dotes sive labores omnes persequi. Tantummodo memoriam renovare decet Patris Alberti Poncelet, qui, anno 1912 praematura morte abreptus, litterarum studiis inopinatum finem fecit. In edendis Catalogis Codicum Hagiographicorum praecipuum laborem posuit.

Verbum denique addemus de Patre Hippolyto Delehaye, Belga, cujus pars magna etiam fuit in edendis *Catalogis Codicum Hagiographicorum* et *Actis SS. Tomi LXIII.* Conscripsit praeterea *Propylaeum Novembris*, opus illud doctrina insigne, cui, anno 1910, praemium attributum est, quod dicitur *Prix philologique de Bruxelles:* edidit quoque librum, qui inscribitur: *Le culte des Martyrs.*

[1] *Stimmen aus Maria-Laach* (1886), p. 176-189.

Ad Historiae scientiam plurimum contulit Pater Joannes Nepomucenus Strassmaier, Germanus, cujus notissima sunt opera, quae de *Assyriologia* et de *Cuneiformis* scripsit. Librorum enim longa serie in publicum edidit inscriptiones Babylonicas vix non innumeras, quibus doctorum virorum admirationem vehementer commovit; maximum praecipue momentum habent, quos de *Babyloniorum astronomia* textus edidit.

Nominandus jam occurrit, qui non intra patrios fines tantum, sed ab exteris etiam famam consecutus est viri de Historia bene meriti, Pater Hermanus Allard, Neerlandicus. Hic longaevam aetatem potissimum impendit describendis vitis eorum, qui ab haeresi conversi fuerunt; quae lucubrationes librorum volumina complura explere possunt. Periodici *Studiën* ipse primus scriptor. Quam autem vitae descriptionem edidit clarissimi viri *Antonii van Gils*, eximio laudis praeconio ornata aliquando fuit.

Per Europam universam celebratur nomen Patris Stephani Beissel, Germani, qui de *Arte ac Liturgia* ut plurimum scribens, judicii elegantia, sagacitate, eruditione conspicuus est. Ex operibus autem ejus omnino plurimis haec nominasse juverit: *Die Bauführung des Mittelalters; Die Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien; Geschichte der Verehrung U. L. Frau in Deutschland während des Mittelalters; Geschichte der Verehrung Mariens im XVI und XVII Jahrhundert; Zur Kenntniss und Würdigung der Mittelalterlichen Altäre;* tum quae de *Perikopis* doctissime scripsit. Atque etiam ascetici Scriptoris optimum est Patris Beissel nomen, his praecipue operibus: *Weinachtsfestkreis; Die Heilige Fastenzeit; Verherrlichung unseres Herrn; Pfingstfestkreis.*

Una statim cum Patre Beissel nominandus est Pater Josephus Braun, Germanus, qui dubium non est quin inter eos qui de liturgicis vestibus scripserunt, sit ipse princeps. Cujus est notissimus liber ille *Geschichte der liturgischen Gewänder;* celebratur porro fama ejus aliis praeclaris scriptionibus, ut: *Die Belgischen Jesuitenkirchen* et *Kirchenbauten der Jesuiten in Deutschland.* Nec vero negligendum etiam, plurimum laborem ab eo collatum huc esse ut ad ipsum usum aptiori modo sacrae vestes conficerentur.

Cum laude nominandus deinde vir ille doctissimus, Bibliothecae Vaticanae Praefectus, Pater Franciscus Ehrle, Germanus; ejus sagacitatem atque eruditionem testantur, quae scripsit: *Biblio-*

*theca Theologiae et Philosophiae scholasticae:* I. *Aristotelis opera omnia*, 4 vol., 4°; II. *Summa Philosophiae ex variis libris divi Thomae*, 3 vol., 4°; horum operum illud quidem est nova post Silvestrum Maurum, hoc vero nova post Cosmam Alamannum editio; adde *Historiam bibliothecae Romanorum Pontificum;* ac maxime, quod opus una cum Denifle edidit, *Archiv für Literatur-und Kirchen-Geschichte;* et alia multa.

De universa Societate optime meritus est Pater Bernardus Duhr, praeclaram illius historiam lucubrationibus exsequendo, quae solida doctrina plane praestent; ex quibus has solas nominabimus: *Jesuitenfabeln* et *Geschichte der Gesellschaft Jesu in den Ländern deutscher Zunge*, Tomis I-II.

Ad historicos Societatis et Ecclesiae Catholicae accensendus quoque est Pater Otto Braunsberger, Germanus, qui B. Petri Canisii rebus adhibuit praecipuam operam, editis ejusdem *Epistulis et Actis;* eorum tomi jam exstant 5, quibus scite ac diligentissime elaboratis singularem inter viros doctos famam adeptus est.

Inter eos, qui maximam laudem in Historia Ecclesiastica meruerunt, praecipuum locum obtinet Pater Hartmannus Grisar, qui complura eximii valoris opera scripsit. A viris doctis maxime celebrata sunt: *Geschichte Roms und der Päpste*, quod ut absolvatur, in omnium votis est; deinde egregium opus tribus tomis compositum, quod inscribitur *Luther.*

Neque hoc censu omittendus Pater Ludovicus Delplace, Belga, qui postquam de Belgicis rebus, quae erant tempore Josephi I et Gulielmi I, scripsit, de Societatis suppressione etiam scite disseruit. Cujus nominanda praecipue sunt haec opera: *Le Catholicisme au Japon* et *Synopsis actorum S. Sedis in causa Societatis.*

Nominandus etiam Pater Carolus Wilde Neerlandicus, qui egregiam *De C. Plinii Caecilii secundi et imperatoris Trajani epistulis mutuis disputationem* edidit et *Leerboek der Algemeene Geschiedenis*, partibus quatuor; tum quoque Pater Gulielmus Wilde, Neerlandicus, qui assiduam contulit operam ad periodicum *Studiën* et praeterea scripsit *Oud en Nieuw* et *Uitstapjes*, quae magnam viri sagacitatem testantur.

Pater Aemilius Michael, Germanus, Oenipontanus Lector, vestigiis inhaerens illustrium virorum Janssen et Pastor, historiam scripsit tum ipsis sententiis tum dicendi genere praestantem, cui

nomen fecit *Geschichte des Deutschen Volkes;* eam a saeculo inde XIII exorsus, ad saeculum usque XV deducturus est; a qua nimirum aetate ipse Janssen scribendi initium fecit. Hujus operis edita jam sunt volumina 5.

Qui in Anglorum regione magnam vitae partem degebat, Pater Athanasius Zimmermann, Germanus, de Anglicis rebus scribendi occasionem inde nactus, nomen sibi ubique celeberrimum fecit his, inter alia complura, edendis operibus; *Die Universitäten Englands; Englands « öffentliche Schulen »; Card. Pole; Maria die Katholische.*

Pater Otto Pfülf, Germanus, Historiae Ecclesiasticae diu Lector, de Germanis Catholicis optime meritus est libris egregie scriptis; inter alios: *Hermann von Mallinckrodt; Kardinal von Geissel; Bischof von Ketteler:* quod Historiae atque Apologiae egregium quasi armamentarium est.

In rebus primaevae Ecclesiae Christianae potissimum versatus, Pater Carolus Kneller, Germanus, plenas sagacitatis atque eruditionis scriptiones edidit, quae in periodicis *Stimmen* et *Zeitschrift für Katholische Theologie* pleraeque prodierunt. Doctissime commentatus etiam est de *Via Crucis* et de *Ricardo Corleonis.*

De origine episcopatus bene scripsit Pater Stanislaus von Dunin-Borkowski, Polonus. Ad aliam vero aetatem idem nuper digressus, scientia solida praestantem edidit, quae dicitur, monographiam: *Der junge De Spinoza.*

Pater Josephus van den Gheyn, Belga (ob. 1912), e Bollandiano socio factus Bibliothecae Burgundicae Praefectus, magno numero scripsit opera bibliographica, ad linguas spectantia, historica, quibus passim ubique fama ejus pervulgata est.

Missionum rebus describendis eminet Pater Antonius Huonder, Germanus, notus ille Scriptor periodici, cui nomen *Katholische Missionen.* Nominando indicamus tantummodo haec: *B. Gabriel Perboyre; Deutsche Jesuitenmissionäre aus dem 17 und 18 Jahrhundert; Der einheimische Clerus in den Heidenmissionen.*

De Historia Geographica doctissime scripsit etiam Pater Josephus Fischer, Germanus, in Collegio Feldkirchiensi Magister. Qui editis primum *Die Entdeckungen der Normannen* in America aliisque operibus, librum scripsit, universi orbis fama celebratum, *The « Cosmographiae introductio » of Martin Waldseemüller,* quo geo-

graphicam Americae tabulam omnium antiquissimam in publicum evulgavit.

Ad usum scholarum scribendo operam Historiae impendit Pater Antonius Guggenberger, Feldkirchiensis (ob. 1906), qui, per multos annos in civitate Americae Buffalensi Magister, Anglico sermone suos manuales libros scripsit: *A General History of the Christian Era*, tomis 3; quem librum multa laude prosecuti sunt. Qui praeter alia vitam quoque descripsit *Patris Henrici Behrens.*

Longam atque egregii valoris librorum seriem assiduo impigroque labore conscripsit Pater Gulielmus van Nieuwenhoff, Neerlandicus (ob. 1907): *Vitam S. Ignatii, S. Francisci Xaverii, B. Edmundi Campion, Gasparis Barzaei, Jos. M. Pignatelli*, aliorum. Qui praeterea per multos annos in periodicum *Studiën* plurimam contulit operam; quaecumque autem scripsit, praeclarum ostendunt sententiarum nitorem atque elegantiam dicendi.

Sodalium nostrorum, qui Historiae scribendae laude floruerunt atque florent, seriem absolvemus commemorando Patre Petro Albers, e Provincia Neerlandica, in Trajectensi ad Mosam Collegio Lectore Historiae Ecclesiasticae. Is, praeter recentissimam *Vitam Patris Roothaan*, tomis 2, de Hierarchia episcopali restituta in regione Neerlandica scripsit: *Geschiedenis van het herstel der Hiërarchie in de Nederlanden*, tomis 2; quod opus, de sententia virorum Historiae peritorum, coronatum est praemio historico Nuyens. Scripsit porro Historiae Ecclesiasticae manualem librum: *Handboek der Algmeene Kerkgeschiedenis* cujus facta mox est interpretatio Latina, aliaeque. Ejusdem denique Scriptoris lucubrationes sunt multae numero, in periodico *Studiën* atque alibi editae.

Cum obvia plane res sit ut *sacram eloquentiam* Societas diligenti studio exerceat, eo etiam in genere suas sibi partes egregie vindicare potest Assistentia Germaniae. Anno quippe 1849, ipso Patre Roothaan conscio atque hortatore [1], strenue hujus generis laborem susceperunt Nostri, non illi solum qui in Germania, verum etiam qui in Austria Sodales erant; sed in Polonia quoque finitimisque regionibus Socii Provinciae Galicianae suam sibi hujus operae partem non nullam assumpserunt. Omnium igitur Concio-

[1] Qui Coloniae Agrippinae interfuit coetui, quem Nostri ea de re coegerant. B. Duhr S. J., *Actenstücke zur Gesch. der Jesuitenmissionen in Deutschland, 1848-1872.* Freiburg, i. Br. 1903.

natorum nostrorum maxime per longum tempus homines commovit Pater Petrus Roh, Germanus (ob. 1872), cujus erat praeclara dicendi vis ac nativa eloquentia. Qui, quamquam dicendo utilitatem suis popularibus plurimam attulit, haud tamen ipse ullam concionem suam typis edidit; sed quae ab eo reliqua facta sunt argumenta, ab ipsis iis qui audierant excepta atque edita, ad nos pervenerunt: *Die in Hannover gehaltenen Vorträge des P. Roh; Fünfzehn Predigten gehalten in der Metropolitankirche zu München;* alia. In summam autem gloriam venerunt libelli ejus: *Was ist Christus?* et *Die Grundirrthümer unserer Zeit.*

Ad inclytam illam Missionariorum seriem adnumerandus est Pater Joannes Nepomucenus Stoeger, Austriacus (ob. 1892); multa hic pollens dicendi vi, egregia sua opera haec postmodum conscripsit: *Die Himmelskrone* et *Die Pilgerreise;* cujus reliquae sunt lucubrationes multae, etiam aliquae bibliographicae.

Inter aetatis istius Concionatores eminuit porro Pater Georgius Roder, Germanus (ob. 1887). Ejus concionantis excepta atque scripto consignata verba in vulgus deinde edi potuerunt: *Missionsvorträge der hochw. PP. Roder, Schlosser, Werdenberg;* dum Pater Augustinus Lehmkuhl alterum opus Patris Roder edidit, facto nomine: *Betrachtungen und Erwägungen zum Gebrauch bei Leitung von Priesterexerzitien;* unde magna eorum, qui usi illis adhuc sunt, provenerunt commoda.

Missionarii munere etiam multo illustrior in Polonia fuit Pater Carolus Antoniewicz, Polonus (ob. 1852); cujus ut summa laboris patientia ac diligentia, ita vix non immensa dicentis auctoritas fuit. Opera sua poetica, oratoria, ascetica numero plura quam 90 reliqua nobis fecit.

Inter Concionatores Polonos omnino nominandus est Pater Stanislaus Adamski, qui magnum sibi eloquentiae nomen acquisivit et plurima volumina concionum solidae admodum doctrinae edidit.

Quamquam in America degit, de Assistentia tamen Germaniae est Pater Franciscus Xaverius Weninger, Austriacus (ob. 1888). Qui, anno 1848 ad eam mundi partem appulsus, inter Missionarios nostros factus deinde est celeberrimus. Saepe quidem ad eos, qui in Americam emigrarunt, sermonem eumdem tribus continuo linguis habuit; atque ante obitum annis circiter 10, sacras expeditiones jam habuerat 800, concionando autem verba fecerat tricies millies.

Lucubrationes praeterea edidit numero fere incredibili, ut ejus bibliographia libellos complectatur 41 : Germanice 14, Anglice 16, Latine 3, Gallice 8; adde etiam modos musicos ad ecclesiarum usus compositos haud paucos. Cujus tanta erat Concionatoris et Scriptoris auctoritas, ut opera ejus multa in alias linguas conversa fuerint, in frequentiori quidem usu sunt : *Sonntags-und Festtagspredigten; Missionsbuch; Summa doctrinae christianae* [1].

Reliquit etiam Pater Augustus Perger, Germanus : *Homiletische Predigten*, tomos 2; *Predigten auf die Festtage; Kreuz und Altar;* alia.

Pater Bernardus Rive, Germanus (ob. 1884), qui audientium animos concionando quasi devincire aptissime norat, praeter alia opera, tomos reliquit duos : *Feste unseres Herrn Jesus Christus.*

Concionatoris auctoritate in Austria valebat etiam Pater Georgius Patiss (ob. 1902). Qui Missionibus tradendis habendisque sermonibus huic rei praecipue incubuit ut cultum SS. Jesu Cordis propagaret. Libros autem edidit multos tractatuum, concionum, sermonum omnis generis.

Inter eos, qui etiamnum vivunt, prae aliis notus : Pater Henricus Abel, qui opera edidit aliquot vulgari intelligentiae egregie accommodata, quaeque frequenti proinde legentium manu versantur.

De praeceptis porro eloquentiae optime meritus est Pater Nicolaus Schleiniger (ob. 1888); qui praeter libros illos suos egregios, *Grundzüge der Beredsamkeit; Das Kirchliche Predigtamt; Die Bildung des jungen Predigers*, concionum etiam Anthologias edidit : *Muster des Predigers; Die Heiligenfeste.* Quae opera omnia ut multum olim requirebantur, ita hodiedum etiam sedulo usurpantur a concionatoribus.

In eodem genere operam etiam impendit plurimam Pater Josephus Jungmann, Germanus, Oenipontanus ille Lector (ob. 1888), de quo viro testimonium e vero scriptum invenimus : « Magna accuratione elaboravit *Theorie der geistlichen Beredsamkeit*, opus solidum, diuturni studii et ingenii sagacis fructum »; antea quidem iteratis vicibus, recentius vero editum denuo est a Patre Michaele Gatterer, Sacrae Eloquentiae in Universitate Oenipontana

[1] *Necrology of the Society of Jesus, 29 June;* cf. imprimis vitam in *Woodstock Letters*, 1889, p. 43-68.

olim Lectore; qui praeterea probatos libros nonnullos ipse scripsit: *Katechetik und Methodik*, alios.

Patres porro Henricus Behrens, notissimus ille Instructor Tertiae Probationis (ob. 1895), Georgius de Zeil (ob. 1866), Petrus Hasslacher (ob. 1876), Antonius Burgsthaler (ob. 1876), Laurentius Ketterer (ob. 1875), Petrus Riswick (ob. 1893), aliique, quos antea jam nominavimus, saltem commemorandi hoc loco sunt, quippe qui suas singuli partes egregie habuerint Missionum illarum popularium, quibus, tanta Germaniae universae utilitate, Christianos sensus denuo Societas suscitavit. Qua de re praeclare scribens Pater Roder: « Erat vero iste, inquit, quasi pervadentis Spiritus afflatus, quo in Badena, Wurtembergia, Franconia atque in ipso etiam Palatinatu Rhenano religiosa animorum commotio excitata est ejusmodi, qualem fieri posse ego vix existimassem ». Ac Pater Duhr: « Tunc vero erat ut cum, posteaquam diuturna siccitate tellus exhausta ac sitibunda jacuit, tandem refrigerans imber illabitur, atque avidi saltusque campusque guttulam omnem sorbent; ita sane per omnem Germaniae regionem milleni iterumque milleni homines confluentes, salutis suae cupidi, Missionariorum verbum omne excipiebant, etiam ubi catechesis illud erat omnium simplicissima. Ac multa hominum millia domos, agros, labores, negotia relinquebant, sibi contingere cupientes ut vel uni concioni Missionariorum interesse possent; atque noctes etiam integras in templis insomnes ducebant, ut summo mane expiare admissa possent: quod ipsum multis, nisi posteaquam per dies complures exspectarant, contingere non potuit. Alii iterum erant, qui, ad sacrum poenitentiae tribunal, totum diem jejuni exspectarent, atque sub ipsam vesperam Pane vitae reficerentur. Verbo, solus ipse Deus novit quot sibi, per Missionum illarum tempus, sacrificia offerrentur. Nec vero iste quasi palearum tantummodo ignis erat. Quae enim quis injuste bona acquisivisset, restituebantur, reconciliabantur inimici acerrimi, immorales consuetudines dissociabantur, atque ubi intemperantia passim saevierat, sobrietas successit atque abstinentia » [1].

Etiam in Belgio illis temporibus ubique fere permultae sacrae expeditiones habitae sunt, in quibus cum aliis eminuit Pater Isidorus van de Kerkhove (ob. 1871).

[1] B. Duhr, *Aktenstücke zur Geschichte der Jesuitenmissionen in Deutschland 1848-1872*. Freiburg 1903, *Zur Einführung*.

Ista porro eloquentia, qua videlicet in Germania, Austria, Polonia, aliis regionibus tot numero triumphi tamque conspicui agebantur, ipsa proxime adhaeret *litteris*, de quibus jam dicendum nobis occurrit. Quo etiam in genere Assistentia Germaniae habet, quos ostendat, fama celebratos viros.

Ex iis igitur, qui vita functi jam sunt, primum nominabimus Patrem Josephum Spillmann, Germanum (ob. 1905), qui periodico *Katholische Missionen* operam suam tam constanter impendit. Ejus ingenio atque sedulo labori litterario populus Germanicus accepta refert opera complura, quibus omnibus in genere sive historico sive romantico, quod dicunt, versatur: *Martyres Anglici; Tapfer und treu; Ein Opfer des Beichtgeheimnisses; Der schwarze Schuhmacher; Durch Asien; Rund um Afrika; In der Neuen Welt; Lucius Flavius; Um das Leben einer Königin; Kreuz und Chrysanthemum*, alia. Atque ad multos sane annos perseverans vigebit illius memoria inter Germanos, quos scribendo docuit, delectavit, ad animarum salutem adjuvit.

Pater Joannes Baptista Diel, Germanus (ob. 1876), poetae ingenuam indolem sortitus, praeclare scripsit *Friedrich von Spee S. J.* et *Clemens Brentano*, ex cujus operibus praecipua egregie excerpsit, tomis 2; atque ipse etiam poetica opera reliquit sua: *Gedichte;* commemoranda quoque *Scanderbeg* et *Novellarum*, quae dicuntur, tomus unus.

Egregiis ingenii animique dotibus ad litteras colendas ornatus apparet quoque Pater Gulielmus Kreiten, Germanus (ob. 1901). Qui poeticam ipse callens, aliorum quoque opera dijudicare rectissime noverat; scripsit autem praecipue haec: *Voltaire; Molière's Leben und Werke; Lebrecht Dreves; Annette Freiin von Droste-Hülshoff's gesammelte Werke*, tomi 4. Exstant praeterea alii libri ejus complures, quibus etiam in genere ascetico versatus est.

Commemorandus deinde hoc loco est Pater Guido M. Dreves, Germanus, egressus e Societate (ob. 1909), in hymnologiae scientia cumprimis versatus; qui, mediaevalibus praesertim poematibus studendo incumbens, eorum edidit primum tomos 24, quibus nomen fecerat *Analecta hymnica*. Postea vero, adjutus a Patre Clemento Blume, tomos cum eo vulgavit alios 28: Quibus tomis omnibus 52 praecipuae sane auctoritatis opus complevit. Poemata praeterea scriptionesque varias Pater Dreves edidit.

Inter viros litterarum peritos adnumerandus quoque est Pater Victor van Tricht, Belga (ob. 1896), qui concionibus (*causeries*) vix non innumeris ubique habendis, quas typis etiam edidit plerasque, audientibus tum Belgis tum finitimarum regionum hominibus delectationem simul attulit atque utilitatem.

Inter Sodales nostros de litteris bene meritos commemorari porro poterit Pater Joannes Badeni (ob. 1899), notus ille Scriptor Polonus, qui patriae simul suae atque nostrae Societati egregium addidit decus, multis libris suis elegantissime scriptis. Imprimis vero delectando prosunt aliquae ejus, quae dicuntur, monographiae, lucubrationesque exquisita arte compositae, de quaestione, quam vocant sociali.

Nominandus porro in eodem litterarum genere est Pater Joannes Sörensen, Danus (ob. 1908); is Patri Gietmann auxilio fuit in edendo libro illo *Kunstlehre*, cujus scripsit partem hanc: *Aesthetik der Malerei.*

Singularem vero atque conspicuum inter viros litterarum peritos locum obtinuit Pater Alexander Baumgartner, Helvetius (ob. 1910), qui non de Germanicis tantum, sed de omnium etiam gentium litteris egregie meritus est, conscripto opere illo, cujus in eo genere par vix invenias: *Geschichte der Welt-Litteratur* (I-VI). Celebrantur ejus alii quoque libri complures, e quibus hos solos nominando referimus: *Goethe*, tomis 3; *Longfellow; Vondel; Ausflüge in das Land der Seeën; Island und die Faröer.* Suis praeterea ipsius carminibus satis multis ostendit Pater Baumgartner se indolem etiam poetae sortitum fuisse egregiam.

Quem inter exegetas jam commemoravimus, Pater Gerardus Gietmann, Germanus (ob. 1912), in re litteraria, elegantis Scriptoris celebre nomen habet. Cujus praecipua in isto genere opera haec sunt: *Klassische Dichter und Dichtungen: Dante, Perzival, Faust; Job, Ein Gralbuch*, tomis 3; imprimis vero *Allgemeine Aesthetik*, tomis 5, e quibus unum lucubravit Pater Sörensen. His operibus omnibus apparet quam subtili ingenio, pulchrique aestimandi recto judicio scriptor polleat.

Jam ad eos, qui inter vivos etiamnum degunt, progressi primum nominabimus Patrem Bernardum van Meurs, Neerlandicum. Is inter scriptores, qui in ista regione sive numeris adstricta sive soluta oratione scripserunt, omnium quidem aestimatione, eximium locum

tenet. Scripsit lucubrationes aliquot elegantissimas carminumque volumina: *Kriekende Kriekske; Pepermuntjes; Germania's dichtbloemen;* alia.

Cui statim recensendum conjungimus Patrem Godefridum Jonkbloet, Neerlandicum. Hic, praeterquam quod carminum tomos aliquot nitidissimos ipse conscripsit, versibus etiam Neerlandicis praeclare interpretatus est *Prophetiam Isaiae.* De aliorum quoque scriptis scite disseruit, itinerumque, locorum, morum pulchras edidit descriptiones: *Uit Nederland en Insulinde; Een winter te Davos; Davos voorheen et thans.* Qui posteaquam per annos complures in Indiis Orientalibus ditionis Neerlandicae Missionarius fuit, scribendi laborem exercere etiam nunc feliciter ac strenue pergit.

Pater Clemens Blume, Germanus, qui Christianae antiquitatis peritissimum jampridem se exhibuit, edito libro, cui nomen *Das Apostolische Glaubensbekenntniss,* postea una cum Patre Dreves lucubravit alteram partem operis, quod jam nominavimus, *Analecta hymnica;* scripsit etiam *Repertorium Repertorii;* utroque autem opere plane apparet quam ampla sit hujus scriptoris eruditio. Qui praeterea in periodico *Stimmen* multos articulos edidit, quorum insignis est auctoritas.

Rerum Orientalium subtili scientia eminet Pater Josephus Dahlmann, Germanus. Hic operum, scientia praestantium, longam seriem scripsit: *Das Mahabharata als Epos und Rechtbuch; Nirvana; Buddha; Mahabharata-Studiën;* quibus quasi cumulus additur praeclaro opere *Indische Fahrten,* omnium ubique laudibus celebrato.

Jam ad *Assistentiam Galliae* transeuntibus nobis, hoc statim mirandum occurrit, quam illa, mediis etiam insectationibus atque in exsilium ejecta, egregium tamen virorum doctorum scriptorumque numerum ostendere possit, qui tum Societati tum patriae suae, in omni scientiarum genere, amplissimum decus addiderunt. Quoniam vero de periodicis jam diximus, quibus litterarii Assistentiae hujus labores promoti valde fuerunt, mox ad singulos Scriptores, eos nimirum qui praecipui feruntur, recensendos procedere poterimus.

Ac jam primo statim initio obvium habemus probatum *Sacrae Scripturae* commentatorem Patrem Petrum de Clorivière (ob. 1820) [1]. Is commentarium edidit *in Epistolas S. Petri;* de quo

[1] J. Terrien S. J., *Hist. du R. P. de Clorivière.* Paris, s. a., p. 469 ss.

opere scribens ad eum Adm. R. P. Thaddaeus Brzozowski : « Lego, inquit, praeclarum commentarium, cujus argumentum et pertractatio temporibus nostris valde accommodata eximie mihi placent » (1811). Longe etiam majoris momenti est ejusdem *in Apocalypsim* commentarius, qui tamen typis impressus nunquam est. Scripsit quoque Commentarios *in Canticum Canticorum* et *in Lamentationes Jeremiae.*

Magnam porro in hoc genere utilitatem attulit Pater Henricus Demante (ob. 1896), editis dissertationibus *in libros Job*, *Judith*, *Esther*, alios.

Atque hic profecto locus etiam est commemorandi *Sacra Biblia*, quae Patres Societatis in *Arabicam* linguam converterunt, Berythi edita. Quod impenso labore lucubratum opus Universitati Berythensi insigne decus addidit.

In eadem etiam Universitate scribendo multam operam collocabat Pater Joannes Baptista Belot (ob. 1904), qui ad captum juventutis syriacae accommodans S. Scripturam, egregia sibi merita collegit. Scripsit enim : *Bible des enfants en arabe; Vie de N. S. Jésus-Christ en arabe :* quae opera iteratis vicibus prelum subierunt; tum *Psautier de David en arabe; Vocabularium* etiam *Arabicum* atque in eamdem linguam commentarios; porro *Anthologiam Arabicam; Concordantiam* quoque atque alios plures ejusmodi libros.

Egregiam in eodem scientiae genere nomen adeptus est Pater Ludovicus Cheiko (Berythi), qui ampliorem composuit *Chrestomathiam Arabicam*, tomis 6 et *Lexicologiam Arabicam;* editiones quoque Scriptorum procuravit atque commentarios ; tum lucubrationes magno numero scriptas in periodico Berythensi Arabico. Quibus operibus omnibus apparet magna eum ingenii sagacitate esse praeditum atque eruditione instructum amplissima.

In iisdem studiis versatur Pater Henricus Lammens, Belga, qui diu moderabatur periodico *Bachir*, nunc Lector in Pontificio Instituto Biblico. Scripsit etiam : *Le chantre des Ommiades; Voyage d'un Syrien en Amérique* (arabice); tum de *Manuscriptis Syriacis*, atque lucubrationes plurimas edidit in periodicis *Etudes*, *Mélanges de la faculté orientale*, *Le Correspondant*, aliis. Cujus recentissimum est opus : *Fâtima et les filles de Mahomet.*

Quoad Sacras Litteras opus omnium maximum atque praestantissimum, *Concordantiam* inquam, ediderunt Patres Henricus de

Raze (ob. 1863), Edmundus de Lachaud (ob. 1903) et Joannes Baptista Flandrin (ob. 1903). Pater de Raze vero, morte praereptus, editionem parabat longe ampliorem.

Ejusdem porro *Concordantiae* editionem perfectiorem atque emendatiorem curavit Pater Eugenius Peultier, una cum Patribus Ludovico Etienne et Leone Gantois. Quae quidem editio, per annos complures diligentissimis curis exacta, atque ad *Cursum Sacrae Scripturae* addita, laudi profecto est Assistentiae Galliae.

Viri in Librorum Sacrorum scientia periti nomen habet Pater Josephus Brucker, qui innumeris fere scriptionibus in periodico *Etudes*, cujus ipse Moderator fuit, Biblica argumenta pertractavit. Scripsit etiam: *L'Eglise et la critique biblique; Questions actuelles d'Ecriture Sainte;* complura alia opera, etiam historica.

Pater Lucianus Méchineau, in Romana Universitate Gregoriana Lector, scripsit: *Vita Domini Nostri Jesu Christi e textibus quatuor Evangeliorum*, etc. Lucubrationes biblicas praeterea plurimas edidit in *Dictionnaire de la Bible; Etudes; Revue pratique d'Apologétique* et *La Civiltà Cattolica;* tum etiam: *L'origine apostolique du Nouveau Testament; L'idée de Livre inspiré.*

De re biblica dissertationes eloquentes habuit, typisque edidit Pater Hippolytus Leroy: *Leçons d'Ecriture Sainte: Jésus-Christ, sa vie, son temps*, tomis 15.

Pater Alfredus Durand lucubrationes nonnullas egregias vulgavit: *L'Evangile de l'Enfance;* tum *de S. Joanne;* atque *Chronique d'Ecriture Sainte*, in *Revue pratique d'Apologétique* aliisque doctis commentariis.

Cum laude nominandus quoque Pater Albertus Condamin, qui edidit *Commentarium in Isaiam* et praeterea multos articulos in periodicis variis.

In *Theologia dogmatica* porro eminuerunt, primus quidem Pater Petrus Jeanjacquot (ob. 1891); qui scripsit: *La coopération de la Sainte Vierge à l'œuvre de la rédemption; L'ordre surnaturel; La liberté de conscience.*

Tum praesertim Cardinalis Ludovicus Billot in Collegio Romano olim Theologiae dogmaticae Lector, qui Theologiae quidem speculativae majorem partem edidit et complures, scientia et eruditione plane conspicuos, libros scripsit.

In Theologorum censu nominandus etiam Pater Henricus Ra-

mière (ob. 1884), qui scripsit: *L'Eglise et la civilisation moderne; L'unité de l'enseignement de la philosophie; Les doctrines romaines; De la théologie scolastique.* Lucubrationes ejus complures editae sunt in periodicis *Messager*, de quo antea jam diximus, et *Etudes*. Omnium notissimus ejus est liber *L'Apostolat de la prière.*

Porro Pater Franciscus Xaverius Gautrelet (ob. 1886), scripsit: *La divinité de l'Eglise; Correspondance entre un prêtre catholique et un ministre protestant; L'Apostolat de la prière.* Qui per aliquantum temporis spatium etiam praefuit periodico *Etudes;* tum asceticis quoque lucubrationibus probatam famam adeptus est: *Méthode pour assister les malades; Mois du Sacré-Cœur;* praecipue vero: *Traité de l'état religieux.*

Notissimus etiam est Pater Theodorus Régnon (ob. 1893), his praecipue operibus: *Etudes de théologie positive sur la S. Trinité*, tomis 3; *Métaphysique des causes; Bañez et Molina; Bannésianisme et Molinisme;* quibus ille se praeditum ostendit ingenio sagaci.

De sacra Theologia libros solida doctrina conspicuos mira dicendi luciditate scripsit Pater Joannes Baptista Terrien (ob. 1904): *La grâce et la gloire*, tomis 2; *De Unione hypostatica:* quibus scientiam simul et pietatem nutriendo egregie promovet.

Pater Eugenius Portalié (ob. 1908), theologus fuit ingenio sagacissimus, qui strenue operam tribuit periodico *Etudes*, atque operi *Dictionnaire théologique*, in quo lucubrationem de *Sancto Augustino* scripsit celeberrimam, aliaque multa.

Theologica opera praeclarissima ultimis annis edidit Pater Adhémar d'Alès; quorum praecipua sunt: *La Théologie de Tertullien, La théologie d'Hippolyte* et *L'Edit de Calliste;* quibus praestantiores de his antiquis Scriptoribus lucubrationes nusquam invenies. Insuper in diversis doctis periodicis magna auctoritate de Theologia positiva scripsit. Idem praeterea, una cum aliis, opus illud edendum curat, cujus inter viros doctos omnes est maxima aestimatio: *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.*

Eidem etiam operi incumbit Pater Julius Lebreton, qui *de Logo* sagacissima diligentia disseruit, atque imprimis egregium opus conscripsit: *Les origines du dogme de la Sainte Trinité*, vol. 1.

Tertius in eodem genere Theologiae historicae nominandus est, egregius Scriptor, Pater Ferdinandus Prat. Librum ille eximium edidit: *La théologie de Saint Paul*, tomis 2. Compluribus prae-

terea periodicis doctisque operibus labores suos contribuit: *Etudes; Revue biblique; Dictionnaire de la Bible*, aliis.

Pater Josephus de la Servière magnum sibi nomen fecit, scripto praeclaro illo libro, cui nomen fecit: *La théologie du Cardinal Bellarmin.* Nunc *Historiae Missionis Sinicae* incumbit in Collegio Zi-ka-wei.

De Bellarmino lucubrationes eximias scripsit etiam Pater Xaverius M. Le Bachelet: *Bellarmini de Immaculata B. M. V. Conceptione Votum; Bellarmin et la Bible Sixto-Clementine; Bellarmin avant son Cardinalat.* Ejusdem Scriptoris exstat optimus libellus *De l'apologétique traditionelle et de l'apologétique moderne*, atque alii complures commentarii theologici. Nunc opera Bellarmini inedita publicare incepit.

In *Theologia Morali* prae ceteris celebris est fama Patris Petri Gury (ob. 1866); cujus *Compendium Theologiae Moralis* omnium profecto librorum ejusmodi manualium maxime notum est; brevitate enim, integritate, sana doctrina omnino praestat. Retractatum porro opus illud est: a Patre Seitz in Germania, a Cercià Neapoli, a Patribus Melandri atque Ballerini Romae, a Patre Dumas in Gallia, in America a Patre Aloysio Sabetti, in Hispania a Patre Ferreres, etc. Quo ipso anno mortuus est Pater Gury, prodierunt ejus *Casus Conscientiae*, in ipsa Urbe Roma, ubi Lectorem aliquamdiu egerat.

Magnam laudem meruit Pater Eduardus Fine, Assistens Galliae, suo praeclaro opere, cui nomen *Juris Regularis tum communis tum particularis quo regitur Societas Jesu Declaratio.* Hujus libri, qui facile antecellit quaecumque opera de eodem argumento antehac conscripta fuerunt, solida simul ac profunda doctrina pellucide exponitur, profecta nimirum a definitionibus, quae, subtili mentis acie conspicatae, diligenti deinde cura describuntur.

In *Theologia Ascetica* nominandus imprimis Pater Petrus Chaignon (ob. 1883), cujus exstat liber, multorum usu versatus et e Gallico quoque conversus: *Le Prêtre à l'autel.* Tum vero in meliori etiam notitia est liber: *Nouveau cours de méditations sacerdotales*, qui vicibus vix non innumeris prelum subiit atque in exteras linguas complures conversus fuit.

Porro Pater Jacobus Millet (ob. 1873) egregios libros reliquit

aliquot: *Petits traités de la Religion; De la révolte contre l'autorité divine; Jésus vivant dans le Prêtre;* alios.

Laudandos in librum Exercitiorum commentarios scripserunt Pater Franciscus Renault (ob. 1860) et Pater Armandus de Ponlevoy (ob. 1874), qui praeterea opus reliquit praecipua tum historica tum ascetica auctoritate scriptum: *Vie du Père de Ravignan.*

Quibus tamen omnibus in eodem Exercitiorum genere majora praestitisse dicendus videtur Pater Henricus Watrigant; hic enim non modo bibliothecam locupletissimam ea de re collegit, verum etiam lucubrationes ipse scripsit optimas: *Méditation fondamentale avant Saint Ignace; Bibliographie; De Examine Conscientiae,* etc. Edit insuper seriem scriptorum *De Exercitiis spiritualibus S. Ignatii.*

Cui laboranti egregie sua opera praesto est Pater Paulus Debuchy. Inter alia scripsit: *Pie X et les œuvres des retraites; Introduction à l'étude des Exercices spirituels de Saint Ignace.*

De ascetica Theologia scriptis addenda sunt etiam quaecumque Nostri ad varia pietatis exercitia promovenda praestiterunt. Ac primo quidem loco dicendum *de cultu SS. Cordis Jesu.* Pater Henricus Ramière (ob. 1884), quem, ubi de Apostolatu orationis dicetur, iterum commemorabimus, anno 1862 condidit periodicum *Messager du Sacré Cœur.* Ac sane, opere isto diu atque egregie dirigendo, quamplurimum ille contulit ut cultum SS. Cordis Jesu promoveret, commendaret, illustraret, propagaret per universum orbem Catholicum, scriptis quippe commentariis, quibus omnium ubique animi saepius intime commovebantur. Nec minor laus tribuenda libro ejus notissimo, quem jam nominavimus: *L'Apostolat de la prière.* Eum quidem librum prima editione lucubraverat Pater Franciscus Xaverius Gautrelet; jamvero Pater Ramière eumdem non modo ampliavit sed etiam profundiori doctrina atque eximia dicendi vi ita adornavit ut vere ipsius ille liber jure nunc dicatur. Insuper scripsit Pater Ramière egregium *Compendium Instituti S. J.*, quod auxit et prelo iterum mandavit Pater Julius Besson.

Scriptores praeterea in Assistentia Galliae plurimi sunt, qui in eumdem cultum, a Gallia quidem profectum, promovendam operam suam contulerunt. Inter quos adnumerandi praecipue hi sunt: Pater Victor Alet (ob. 1890), qui scripto libro illo notissimo *Le Sacré-Cœur et la France,* popularium suorum animos valde com-

movit; Pater Aemilius Regnault (ob. 1901), qui, ab anno 1884 ad 1895, periodico *Messager du Sacré-Cœur* conscribendo praefuit, simul Apostolatus orationis Moderator generalis: Cui ille muneri egregie dispositus eo fuerat, quod Lectorem Theologiae agendo dirigendoque periodico *Etudes religieuses* operam antea impendebat. Periodico *Messager* ipse, Historiae subtiliter peritus, multis modis profuit [1].

Duo praeterea Scriptores hoc loco nominandi supersunt: Pater Josephus Boubée, qui periodico *Messager* conscribendo aliquamdiu praefuit, et praeter alia librum praeclare scripsit: *Les promesses du Sacré-Cœur;* nunc periodico *Etudes* strenue collaborat; et Pater Augustus Drive, qui in dirigendo periodico *Messager* successerat Patri Regnault. *Cultus* etiam *Beatae Virginis* propagandi studiosissimus idem est; in quo genere scripsit pulchrum illum librum: *La Sainte Vierge et la Compagnie de Jésus.*

Porro Pater Renatus de la Broise ad devotionem erga Deiparam quamplurimos cohortatus est scripto egregio opere, cui nomen: *Vie de la Sainte Vierge Marie.*

Deducendus huc etiam est, quem jam commemoravimus, Pater Petrus Jeanjacquot (ob. 1891), scripto libro: *Explication sur la coopération de la Sainte-Vierge à la Rédemption;* et Pater Xaverius Franciosi (ob. 1908), qui scripsit *La dévotion au Sacré-Cœur de Jésus; De culto purissimi Cordis Beatae Virginis,* ac praeterea libellum *de Spiritu S. Ignatii.*

De Beata Virgine pucherrime etiam commentati sunt: Pater Hippolytus Pradier, opere: *La Vierge Marie,* tomis 2; maxime vero, quem plus semel jam commemoravimus, Pater Joannes Baptista Terrien (ob. 1904): *La Mère de Dieu et la Mère des hommes,* tomis 4; alia.

In eodem fere genere versatus denique etiam est Pater Godefridus de Grandmaison, libro suo: *La Congrégation,* quo praestantissimum Congregationum opus procul dubio promovit.

Ad *Philosophiam* deinde transeuntibus nobis statim apparet, non de illo maxime argumento multos libros conscriptos esse a nostris Assistentiae Galliae Sodalibus. Neque tamen putandum, in ea nos sententia esse, quasi de Philosophia libros nullos, nullasve periodicorum lucubrationes ibi scribi putemus. Immo vero, qui vel solum

[1] *Messager du Sacré Cœur,* 1901, p. 257 ss.

periodicum *Etudes religieuses* evolverit, sibi plane persuasum facillime habebit, in hoc scientiarum genere famam hujus Assistentiae nequaquam desiderari; sed neque ipsi integri libri desunt.

Omnium igitur primus occurrit nominandus Pater Joannes Ludovicus de Leissèques de Rozaven (ob. 1851), vir ille ingenii dotibus insigniter praeditus cuique Societas nostra ob maxima ejus beneficia devincitur; quo, post Bossuetum, insigniorem in Gallia theologum neminem fuisse, Illmus Dupanloup affirmare non dubitavit. Scripsit: *La vérité défendue et prouvée; Considération sur la doctrine et l'esprit de l'église orthodoxe; De la réunion de l'église russe; L'Eglise catholique justifiée; Examen de l'ouvrage Des doctrines philosophiques de Gerbet; Quelques réflexions sur les réclamations de M. l'abbé Baston contre l'ouvrage de M. de Maistre; Objection fondamentale contre le système de M. de La Mennais, proposée à l'auteur et qu'il a laissée sans réponse*, etc. [1].

Contra Traditionalistas maxime scripsit Pater Maria Angelus Chastel (ob. 1861) has egregias lucubrationes: *De la valeur de la raison humaine; Les rationalistes et les traditionalistes; De l'autorité; L'Eglise et les systèmes de philosophie modernes.*

Pater Marius Boylesve (ob. 1892) scripsit: *Cursus philosophiae*, probatum librum; ac porro populares lucubrationes plurimas, valde utiles: *Petits dialogues de controverse; L'Eglise et le Pape; Problèmes contemporains; Les luttes de l'Eglise; Jésus-Christ et son règne; Dieu et ses œuvres.*

In philosophicis scientiis nobilissimam famam adeptus est Pater Josephus de Bonniot (ob. 1889). Is Moderator praefuit periodico *Etudes religieuses*, in quo commentarios suos gravissimos scripsit permultos. Libros praeterea et lucubrationes edidit: *La Bête;* tum *Malheurs de la philosophie, études critiques de la philosophie contemporaine; Les miracles et les sciences médicales; Histoire merveilleuse des animaux; Miracle et savants; Le miracle et ses contrefaçons; Problème du mal:* Quae scripta omnia, imprimis quod paenultimum diximus, multum lectitata atque eorum aliqua in exteras etiam linguas conversa sunt.

Pater Lucianus Roure, qui in periodico *Etudes religieuses* commentarios multos subtili scientia scripsit, separato praeterea opere edidit: *Doctrines et Problèmes* aliasque lucubrationes multas.

[1] A. Guidée, *Notices hist.*, Tom. I, p. 125 ss.

Locus porro hic est quo, quae huic Assistentiae laudi sunt *Observatoria*, recenseamus. Etsi jam inde ab anno 1848 Nostri in Missione Kiang-nan consilium inierant parvi observatorii cujusdam erigendi, anno tamen tantum 1872 rem perfecit Pater Colombel, qui nonnullas meteorologicas observationes eo tempore instituere coeperat. Anno deinde 1873 exstructum observatorium est, exiguum satis, in pago Zi-ka-wei. Primo ejusdem Moderatori, Patri Colombel, anno 1875 successit Pater Le Lec; anno deinde 1876 res dirigendas suscepit notus ille Pater Marcus Dechevrens, qui, per annos 11 muneri isti incumbens, observatorii famam late propagavit. Jam enim ipso primo anno, susceptorum in observatorio laborum commentarium edidit paginarum 250, dum anno insequenti, in libro « Annuaire de la Société Météorologique de France », lucubrationem scripsit: *Recherches sur les principaux phénomènes observés à Zi-ka-wei.* Qui porro, ad annum usque 1887, memoriales lucubrationes conscripsit omnino 21. Mox etiam Pater Dechevrens ad *typhones Sinici maris* animum advertit; quo factum ut portuum stationes cum observatoriis Zi-ka-wei et Manilae filo telegraphico conjunctae fuerint. Ab anno autem 1879 ad 1885, observatos a se typhones 62 Pater Dechevrens descripsit, edito libro paginarum 377, in forma quartae folii partis, figuris illustrato 43. Deinde vero, etiam ventorum phaenomena observans, huic studio aptissimum Parisiisque praemio decoratum instrumentum invenit, cui nomen fecit *Clino-anemometrum.* Typhonum studium memorialesque lucubrationes continuavit Pater Ludovicus Froc, qui observatorium astronomicum etiam transtulit in locum *Zo-se;* observatorium meteorologicum est in Zi-ka-wei; observatorium magneticum in Loka-pang. Omnes igitur illi observatorii Moderatores, Patres, inquam, Dechevrens, Chevalier, Froc, una cum Patre de Moidrey operam revera ingentem atque negotiantibus navigantibusque utilissimam praestiterunt, innumeris videlicet typhonibus nuntiandis. Praeterea Pater Chevalier lucubrationem edidit: *La navigation à vapeur sur le haut Yang-tse;* tum Sinarum *tabulam geographicam generalem*, ejusdemque vastissimi regni descriptiones partiales; praemio etiam donatus est ab ea, quae dicitur *Académie des sciences;* atque ab altero virorum doctorum coetu, cui nomen *Société de Géographie*, honestatus aureo numismate. Pater Froc diligentissima cura exactum opus scripsit: *L'Atmosphère en*

*Extrême Orient;* ejusdem autem, quos scripsit, commentariis tanquam manuali libro utuntur quicumque mare navibus transmittunt, fuitque ipse insigni honore decoratus ab Imperatore Japoniae, et a Parisiensi coetu *Société de Géographie* donatus praemio, quod a clarissimo viro Jansen nomen habet. Commemorandum praeterea hoc loco est opus in re meteorologica et astronomica praeclarum *Kiautschou*, quod Sodales nostri novum in civitate Zi-ka-wei, auxiliante Imperatore Germaniae, ediderunt. Denique inde ab anno 1902 conscribitur etiam observatorii hujus *Kalendarium annuarium*. Constantes igitur nostri in Sinis Sodales vestigiis institerunt eorum, qui in eodem scientiarum munere fungendo ibidem eos praecesserant, Patrum inquam Ricci, Schall, Verbiest, aliorum [1].

Alterum est Assistentiae Galliae observatorium, quod in civitate Tananarive insulae Madagascar anno 1880 condiderunt. Quae initio solummodo meteorologica statio erat, anno deinde 1889, praecipuo labore Patris Desiderati Roblet, integrum factum est observatorium, instrumentis quippe *astronomicis*, *meteorologicis*, *magneticis*, quantum satis erat, instructum. Pater igitur Roblet, hujusque adjutor, Pater Elias Colin, climatologicis statim institutis studiis, stationum 13 quasi rete disposuerunt cyclonumque, qui dicuntur, processum investigarunt. Verum anno jam 1894 regione illa exire coactus est Pater Colin, quem anno deinde 1895 subsequi reliqui Missionarii omnes debuerunt. In ruinas proinde collapsae res omnes. Anno tantum 1898 contigit Patri Colin ut prioris observatorii pauca quaedam restitueret; pauca, nam nequaquam ea sufficiebant auxilia quibus colonia ei subveniebat. Atqui anno tamen 1899 Patres Colin et Roblet [2] suis laboribus praemium honorificum consecuti sunt francorum 6000, suisque, quae secuta deinceps sunt, studiis successum adepti amplissimum. Quo loco juvat ad Dei laudem referre, aliquos ex iis honoribus, quos docto labore Pater Colin consecutus erat: Anno 1890 praemium obtinuit quod dicitur, Hieronymi Ponti; anno deinde 1895, praemium aureumque numisma Ludovicae Bourbonnaud; anno etiam 1898, praemium 6000 francorum, cui nomen adnexum Herbet-Fournet. Honorificis praeterea titulis his decorari meruit: « officier d'académie, officier de l'Ins-

[1] *Revue des Quest. scientif.*, Tom. LIX (1906), p. 493 ss.

[2] Pater Roblet etiam edidit tabulam geographicam totius insulae Madagascar. praesertim centralis, ingenti labore praeparatam.

truction publique, correspondant de l'Institut ». Neque tamen honoribus istis compensari eidem potuit prioris observatorii clades tristissima [1]. Et quoniam in isto honorum argumento, ad Dei laudem, ut diximus, versamur, etiam haec voluimus addere: Anno 1891 Parisiensis ille coetus « Académie des sciences » praemia Nostris de re astronomica et meteorologica in insula Madagascar bene meritis attribuit. Anno etiam 1889, praemium francorum 1000 tributum uni e Nostris, qui insulae tabulam geographicam descripserat; atque ipso anno 1901 Pater Chevalier pro lucubrationibus suis Meteorologicis et Astronomicis ab eadem academia donatus est praemio francorum 3000. Anno denique 1898, Patri Panthel, pro opere ipsius aliquo biologico, a doctorum virorum coetu, *Institut de France*, attributum est praemium, quod dicitur *prix de Thore*.

Tandem in *insula Jersey* quoque, inde ab anno 1893, parvum observatorium exstat, conditum a Patre Marco Dechevrens, qui valetudinis causa e Sinis reverti debuerat. Meteorologica quidem instrumenta, quibuscumque eam scientiam colentes opus maxime habent, ibi adsunt, una cum universali anemometro (clino-anemometro), quod dicitur ab ipso Dechevrens, telescopioque centimetrorum 5, quod a Gautier nomen habet. Eo igitur in loco Pater Dechevrens studia sua continuavit felicissima, quae instituerat, de superioribus aeris commotionibus, et de atmosphaerae, quod dicunt, aequilibrio. Praeterea Pater Dechevrens invenit *campylographium*, quod dicitur; quo videlicet instrumento, in unum compositi describuntur motus quinque [2].

*Historiae* porro opera, praecipue biographica, nostri in Gallia Socii quamplurima scripserunt. In qua quidem serie primus est atque egregie notus Pater Augustinus Barruel (ob. 1820). Scripsit: *Histoire du clergé pendant la révolution française* et *Mémoires pour servir à l'histoire du Jacobinisme*, cujus ipse *Compendium* edidit; utrumque autem opus prelum saepius subiit. Qui multas praeterea apologeticas lucubrationes composuit, maxime vero in *Journal ecclésiastique;* quarum praecipuae hae sunt: *La conduite du Saint Siège envers la France*, quam nimirum agendi rationem defendendam suscepit: *Lettres sur le divorce; Question nationale sur l'autorité et sur le droit du peuple dans le gouvernement; Du Pape et*

[1] *Ibid.*, p. 522 ss.
[2] *Revue des Questions scientif.*, Tom. LIX (1906), p. 534 ss.

*ses droits religieux*. Pater Barruel, ut erat strenue laborandi amans, ita ingenio quoque praeditus sagacissimo.

Pater Joannes Nicolaus Loriquet (ob. 1845) librum a se scriptum reliquit: *Abrégé de l'Histoire ecclésiastique;* innumera etiam sunt opera ejus ad utilitatem juventutis, vel suppresso nomine, vel litteris A. M. D. G. edita.

Opus porro praestitit utilissimum *Pater Achilleus Guidée* (ob. 1866), qui, *Patrum a Sacro Corde vitas* describendo, restitutae Societatis initia suis commentariis propagavit ad posteros. Magnum sane momentum habent tum *Notes historiques sur quelques membres de la Société du Sacré-Cœur* tum etiam *Vie du Père Varin*.

Commemorandus deinde cum laude est Pater Carolus Daniel (ob. 1898). Is enim una cum aliis periodicum condidit *Etudes religieuses*, in quo lucubrationes ejus inveniuntur plurimae. De historia instruendae juventutis bene meruit scribendo: *Des études classiques dans la société chrétienne* et *Les Jésuites instituteurs de la jeunesse française au dix-septième et au dix-huitième siècle*. Ejus quoque sunt: *Histoire de la bienheureuse Marguerite Marie* et *Les origines de la dévotion au Sacré-Cœur*, et *Vie du Père Alexis Clerc*. In re juridica praeterea haec scripsit: *Le Mariage chrétien* et *Le Code Napoléon*.

Celebre nomen est Patris Joannis Martinov, Russiaci (ob. 1894). Hic, opera Patris de Ravignan ad Catholicam Ecclesiam conversus, Societatemque anno 1845 ingressus, scripsit: *Annus ecclesiasticus Graeco-Slavicus; Specimen Ecclesiae Ruthenicae; Trifolium Serbicum; Cursus vitae et certamen martyrii b. Josaphat Kunevicii; Vita Meletii Smotriscii; De statu Ecclesiae Moscoviticae; Lithuanicarum Societatis Jesu historiarum libri X; Synodus Brestensis; Recensio actorum et decretorum synodi provincialis Fogoracensis*, etc. Fertur ,atque e vero quidem, Pater Martinov vir fuisse doctissimus et laboriosissimus.

Multa bene scripsit etiam Pater Joannes Maria Prat (ob. 1891), qui in historia ecclesiastica vix non sola operam posuit: *Histoire du Concile de Trente; Histoire de l'Eglise gallicane; Histoire de Saint Irénée; Histoire de l'éclectisme alexandrin; Essai historique sur la destruction des ordres religieux en France; Recherches historiques et critiques sur la Compagnie de Jésus en France; Histoire du Père Ribadeneira; Le B. Pierre Le Fèvre; Histoire du B. Jean*

*de Britto; Maldonat et l'Université de Paris au XVI^e siècle; Histoire de Saint Jean de Matha; Le Père Claude Le Jay*; atque alia multa.

Inter Historiae Scriptores notus quoque est Pater Aemilius Regnault (ob. 1901), qui magis suorum ipsius studiorum investigationumque fructus scribendo exhibuit. Praeclara enim quasi imagine descripsit: *La Vénérable Marie Louise de France;* majus etiam Historiae momentum inest descriptioni vitae: *Marie-Josèphe de Saxe;* praecipuum vero opus ejus atque egregium valde est *Vie de Christophe de Beaumont, Archevêque de Paris;* lucubrationem praeterea scripsit: *Crétineau-Joly et ses livres*, et *Vie de M. Gabriel de Belcastel.* Notandum denique eum bis Moderatorem praefuisse periodico *Etudes religieuses*, semel etiam ei demandatam curam conscribendi periodici *Messager du Sacré-Cœur.*

Scribendi peritissimus simul et ingenio validus fuit Pater Henricus Chérot (ob. 1906). Qui praeterquam quod periodico *Etudes* scribendo diutissime adlaboravit, edidit etiam: *Etudes sur la vie et les œuvres du Père Le Moyne; La première jeunesse de Louis XIV; Trois éducations princières au XVII^e siècle; Bourdaloue, sa correspondance et ses correspondants; A propos de la disgrâce du Cardinal de Bouillon;* alia multa.

Omnium existimatione multum valent opera Patris Victoris Mercier (ob. 1905). Qui vitas plerumque describens haec edidit: *Xavérine de Maistre; Mère Thérèse de Jésus; La Vierge Marie; Campagne du « Cassini » dans les mers de Chine, d'après les rapports du commandant de Plas* (1851-1854); *Marin et Jésuite; Vie et voyage de François de Plas, ancien capitaine de vaisseau, prêtre de la Compagnie de Jésus* (1809-1888); *La Vénérable Jeanne de Lestonnac, fondatrice de l'ordre de Notre-Dame; Vie de la Révérende Mère Thérèse de Saint-Joseph; Lamennais d'après sa correspondance et les travaux récents;* scripsit etiam, una cum Patre Daniel: *Vie du Père Léon Ducoudray.* Insuper duo prima volumina operis *Histoire de la Compagnie en France* praeparaverat, sed eis ultimam manum adjicere, morte abreptus, non potuit; quam rem praeclare curavit Pater Fouqueray.

In rebus historicis versatus, quamplurima egregie scripsit, periodico *Etudes* strenue incumbens, Pater Paulus Dudon. Qui, potissimum ad partem priorem saeculi proxime superioris pervestigan-

dam labores suos impendens, temporis imprimis Napoleontici eximiam notitiam habere demonstratur. His vero annis, magis ad describendas res miserandi viri Lamennais diversus, Romae vestigando acta causarum ejus reperit, ac praeterea novas epistolas ejusdem nonnullas edidit. Scripsit deinde librum maxime laudatum: *Lamennais et le Saint-Siège.*

Historiam quoque et Biographiam exercens, Pater Petrus Bliard scripsit: *Les Mémoires de Saint-Simon et le Père Le Tellier, confesseur de Louis XIV; Jureurs et Insermentés; Bibliothèque de la Compagnie de Jésus* (tome X); tum etiam optime perscripsit: *Cardinal Dubois;* novissime edidit *Les Conventionnels Régicides;* alia.

In eodem scribendi genere operam impendens Pater Aemilius Hamon opus scripsit: *Les Canadiens Français de la Nouvelle Angleterre,* solidaque scientia conspicuam monographiam: *Marguerite-Marie Alacoque.* Praeterea in re ascetica operam posuit.

Historiae vestigandae sagaciter peritus est Pater Arthurus Lapôtre, qui praecipuo opere suo, *Le Pape Jean VIII,* ideo laudem adeptus est eximiam, quod res valde intricatas perspicue exposuit; jam antea *De Anastasio Bibliothecario* scripserat.

Laudandus omnino est, vir in scientiae pervestigatione laboris patientissimus, Pater Paulus Pierling, Russiacus. Qui de Ecclesiastica Russiae Historia, ac maxime de ejusdem regionis ad Sanctam Sedem rationibus sagacissime commentatus est. Scripsit: *Papes et Tsars: La Russie et l'Orient; L'Italie et la Russie au XVI^e^ siècle; Saxe et Moscou; La Russie et le Saint-Siège.*

Ad Historiam etiam pertinent opera Patris Josephi Burnichon, cujus ea in re auctoritas est egregia; scripsit, inter alia complura: *L'Etat et ses rivaux dans l'enseignement secondaire; Cinquante ans après; Du couvent au lycée; Vie du Père Gautrelet; Vie du Père Amédée de Damas.* In periodico quoque *Etudes religieuses* conscribendo strenuam ponit operam.

De Joannae ab Arc historia et beatificatione optime meruit Pater Joannes Baptista Ayroles, scripto libro: *La Pucelle devant l'Eglise de son temps, documents nouveaux;* ac magis, tomis 5 composito opere, quod in eo argumento praestantissimum est: *La vraie Jeanne d'Arc.*

Historiam legum, quae de juventutis instructione ordinibusque religiosis latae fuerunt, egregie descripsit Pater Camillus de Ro-

chemonteix, opere: *Les Congrégations non reconnues en France*, tomis 2. Edidit etiam: *Les Jésuites de la Nouvelle France; Histoire du Collège Henri IV* (4 vol.); *Le Père Lavalette;* alia.

In describenda Societatis Historia et in Biographia Nostrorum multam operam Sodales Assistentiae Galliae posuerunt. Biographi quidem, praeter eos, quos jam commemoravimus, nominandi hi sunt:

Pater Carolus Clair. Libri ejus hi maxime commemorandi veniunt: *Vie du R. P. Pierre Olivaint; Vie de Saint Ignace de Loyola; Vie de Saint Louis de Gonzague; Le bienheureux Baldinucci; Notice sur Saint Berthould.* Minores praeterea atque majores lucubrationes complures scripsit de argumento historico-litterario.

Pater Joannes Baptista Couderc: *Vie du Vénérable Cardinal Bellarmin; Vie du Père J. Cayron; Le Vénérable Père Bernard-François Hoyos*, alia. Pater Alexander Brou: *Vie de Saint-François Xavier.* Pater Leonardus Cros: *Saint François Xavier; Saint François Régis.*

Ad cultores Biographiae Societatis adjungi debet Pater Ludovicus Michel, qui edidit et notis illustravit *Vitas S. Ignatii; S. Francisci Xaverii; B. Petri Canisii; S. Aloysii* et *S. Stanislai.*

Biographiam praeclare etiam excoluit Pater Elesbanus de Guilhermy (ob. 1884), qui priores partes edidit utilissimi illius atque revera ingentis operis: *Ménologe de la Compagnie de Jésus*, per Assistentias 5 divisi.

Continuatum illud deinde est a Patre Jacobo Terrien, viro sagacissimo et diligentissimo, qui majorem ejus partem edidit. Scripsit etiam: *Histoire du R. P. de Clorivière* et *Recherches historiques*, de beata scilicet eorum morte, qui in Societate diem obeunt; denique: *Saint Ignace de Loyola.* Qui nunc elaborando praeparat: *Ménologe de la Compagnie de Jésus au XIX^e^ siècle.*

Locus hic est commemorandi Patris Petri Suau, qui tamen alia quoque opera plurima scripsit. Primum edidit: *Rodolphe d'Aquaviva et ses Compagnons* et *Le Père Victor Delpech;* tum, eleganter illum ac solida scientia conscriptum librum: *Histoire de Saint-François Borgia;* magnae etiam auctoritatis ac documentis egregie instructum opus: *Madagascar;* lucubrationes quoque de Hispania tractantes pulcherrimas dedit, et alia multa conscripsit.

De Insula Madagascar jam pridem scripserat Pater Camillus de la Vaissière (ob. 1887).

De Historia Missionum quoniam dicere jam incepimus, addendus statim hoc loco est: Pater Josephus Bertrand (ob. 1883), qui scripsit: *Mémoires historiques sur les Missions des ordres religieux;* tum *Lettres édifiantes et curieuses de la nouvelle mission du Maduré.* De eadem Missione scripserunt quoque: Pater Dionysius Cuchon (ob. 1895); Pater Ludovicus St. Cyr (ob. 1887); Pater Augustus Jean, et alii.

De Missione Canadensi Pater Félix Martin (ob. 1886) duos libros scripsit: *Père Isaac Jogues* et *Père Jean de Brébeuf*, quibus antiquae Missionis fere universae historia enarratur. Jam diximus, in eodem argumento versari Patrem Camillum de Rochemonteix, scripto libro: *Les Jésuites et la Nouvelle France.*

Commentati sunt de Sinensi Missione: Pater Aloysius Pfister (ob. 1891) et Pater Augustinus Colombel.

Pater Christophorus Begin Historiam reliquit, tomis 4 in forma quartae folii partis, typis tamen nondum impressam, Missionis *Cayenne*, dum Pater Paulus Mury librum edidit: *Les Jésuites à Cayenne.* Ad quos omnino pertinet Pater Joannes Baptista Piolet, qui plura volumina de *Missionibus orbis universi* composuit.

Commemorandus denique hoc loco est vir ille de Historia Missionum egregie meritus, Pater Michael Jullien (ob. 1912), qui de partibus orientalibus opera multa conscripsit: *L'Egypte, souvenirs bibliques et chrétiens; Sinaï et Syrie; Ba'albeck: Histoire et description; La nouvelle mission de la Compagnie de Jésus en Syrie.*

Ipsius quoque Societatis historiam in Assistentia Galliae diligenti cura Sodales exercuerunt. Quo loco primum statim nominanda est longa illa series *Documents inédits*, Patris Augusti Carayon (ob. 1874), cui, tam strenue olim laboranti, revera quamplurimum obstricti nunc sumus; cujus praeclara imprimis est *opera*, quam praestitit, *bibliographica.*

Locus hic erat commemorandi celeberrimi viri Patris Caroli Sommervogel. Quoniam vero praeclarum opus ejus, *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, ad Belgicam Provinciam pertinet, eum antea jam nominavimus. Qui porro hoc tempore opus illud continuant, Patres Petrus Bliard, Augustinus Brou et Hernestus Rivière eo etiam praeclariora merita habent, quod gravius est negotium atque prolixius. Quorum ultimus edere incepit *Corrections et Additions à la Bibliothèque de la Compagnie de Jésus.*

Maxima deinde cum laude nominanda sunt scripta Patris Alexandri Brou: *Les Missions de la Compagnie de Jésus au XIX^e^ siècle; Les Jésuites de la Légende*, alia.

Egregium meritum quoque est Patris Ludovici Carrez, opere quod edidit: *Atlas geographicus Societatis Jesu, in quo delineantur quinque ejus modernae Assistentiae, Provinciae tres et viginti singularumque in toto orbe Missiones, necnon et veteres ejusdem Societatis Provinciae 43 cum earum domiciliis quantum fieri licuit. Operis tabulae sunt 45.*

Ad *Oratores* mox transituri, jam nominamus Patrem Xaverium de Ravignan (ob. 1858), qui utroque opere suo, priore quidem *Clément XIII et Clément XIV*, magis etiam altero *De l'existence et de l'institut des Jésuites*, egregium laborem praestitit. Maxime vero inter Oratores Societatis celebre est nomen Patris de Ravignan. Cujus strenua dicendi vis majorem etiam auctoritatem adepta est ab indole ejus fortissima religiosaque vitae sanctitate. Edidit *Conférences*, tomis 4, atque alia opera, quibus ad solidam pietatem animos deducere volebat.

In eadem Parisiensi Dominae Nostrae Ecclesia Cathedrali concionandi nomen sibi fecit celeberrimum Pater Josephus Félix (ob. 1891), qui concionum tum argumento tum genere dicendi pollebat plurimum. Per octodecim sane annos conciones, Quadragesimae tempore, habuit in templo illo Parisino. Longam autem seriem reliquit operum 25.

Celebrata quoque fama est Patris Nicolai de MacCarthy (ob. 1833). Is Missionarii fungendo munere utilitatem attulit plurimam, atque concionum reliquit tomos aliquot, quos hodiedum etiam legere expedit.

Patris Philippi Delvaux, Concionatoris (ob. 1865), tantum nomen erat ut eum vel ipse Pater MacCarthy admiraretur. Quae exstat concio ejus « Sur le martyre » in triclinio praelegi quotannis aliquamdiu solebat.

Neque in minore existimatione erat Pater Alphonsus Corail (ob. 1867); dum Pater Ludovicus Milleriot (ob. 1881) inter populares oratores eminebat.

In Gallia, sicut in aliis regionibus, ac forte etiam magis, Missionum opus aliquando vehementer efferbuit. Cogitando sane recolere hoc loco licet, quae Missiones tempore « Restaurationis », quod

dicitur, habitae sunt, quarumque pars magna Patres nostri erant; tum praeclaras Missiones, quae institutae sunt in meridionali et media Gallia, atque in regione La Louvesc; deinde Missiones quoque Britannicas, quas e norma Venerabilis Patris Juliani Maunoir instituerunt; adde Missiones eorum, qui ad triremes damnati erant, in locis Toulon, Rochefort, Brest, alibi. Quibus in Missionibus praeclara e compluribus commemoranda sunt haec nomina: Pater Joannes Chapelle (ob. 1821); Pater Stephanus Chanon (ob. 1826); Pater Carolus Gloriot (ob. 1844); Pater Claudius Guyon (ob. 1845); Pater Hippolytus Augry (ob. 1855); Pater Franciscus Barther (ob. 1861); Pater Franciscus Ducreux (ob. 1869); Pater Caelestinus Besse (ob. 1889); Pater Victor Bonhomme (ob. 1893); Pater Joannes Franciscus Bougeon (ob. 1894).

Porro in *Re litteraria* eminuit Pater Arsenius Cahour (ob. 1871), qui poetarum in Gallia et oratorum illustrium edendis operibus imprimis incubuit: *Poésies françaises distribuées et annotées; Bibliothèque critique des poètes français; Chefs-d'œuvre d'éloquence française.* De eodem argumento lucubrationes complures scripsit in periodico *Etudes religieuses.*

Praeclariora tamen erant merita Patris Victoris Delaporte (ob. 1910), qui, ut valebat ingenii revera poetici, elegantiae, eruditionis dotibus, inter alia opera praestantissima haec scripsit: *L'Art poétique de Boileau; Récits et légendes; Du merveilleux dans la littérature française sous le règne de Louis XIV; Louis XVII, Le roi martyr; Classiques païens et chrétiens; De la rime française; Etudes et causeries littéraires; A travers les âges.*

Aequa, ut minimum, laus tribuenda Patri Georgio Longhaye, cujus docendi scribendique labor commemorandus est impigerrimus, Qui, praeterquam quod in periodico *Etudes religieuses* egregias lucubrationes scripsit numero plurimas, alia quoque opera permulta edidit; e quibus haec sola referemus: *Théâtre chrétien d'éducation; Léon Besnardeau S. J.; La conféderation de Bar, tragédie; Histoire de la littérature française au XVII^e siècle* (4 vol.), quod opus ab academia Galliae laurea donatum fuit; *Histoire de la littérature au XIX^e siècle* (5 vol.); tum etiam *Retraite annuelle; Terre d'asyle; Théorie des belles-lettres; L'âme et les choses dans la parole*, atque alia.

In *Architectura* eminuit Pater Franciscus Xaverius Pailloux

(ob. 1887). Hic magno cum labore insignique diligentia opus praeclarum edidit: *Monographie du temple de Salomon;* ac spiritisticis etiam lucubrationibus vacans scripsit: *Le magnétisme, spiritisme et la possession.*

Architecturae notitia et eleganti aestimatione excelluit quoque Pater Aemilius Piérart (ob. 1887); quem tamen eadem in re superavit Pater Maglorius Tournesac (ob. 1875). Hic sane postquam, nondum Societatem ingressus, aedes complures jam construxit, eamdem artem etiam deinceps colere perrexit, templa videlicet excitando in civitatibus Bresta, Quimper, Ambiano, Parisiis in via quae dicitur de Sèvres, alibi.

*Archaeologiae* porro laude florebat Pater Arthurus Martin (ob. 1856), cujus in eo genere auctoritatem ipsum gubernium maximi faciebat. Una cum Patre Carolo Cahier, Ecclesiae Cathedralis Bituricensis monographiam, quae dicitur, edidit, forma folii, cum figurarum delineationibus 53; dum magno in pretio etiam hodiedum habetur opus ejus praecipuum: *Mélanges d'archéologie*, tomis 4.

Pari fama et auctoritate gaudet Pater ille, quem modo diximus, Carolus Cahier (ob. 1882); is in periodico *Annales de philosophie chrétienne*, lucubrationes scripsit: *S'il est vrai que le christianisme ait nui au développement des connaissances humaines?* quas iterum edidit in opere: *Nouveaux Mélanges d'archéologie, d'histoire et de littérature*, tomis 4, quarta folii parte; jam enim praecesserat prius illud opus: *Mélanges d'archéologie.* Scripsit porro: *Charactéristiques des Saints*, tomis 2, forma folii; *Souvenirs de l'ancienne église d'Afrique.* Diligentissime praetera incubuit periodico *Etudes religieuses*, in quo multas lucubrationes ejus invenies optimas.

Celeberrimus in rebus Archaeologicis nomen est Patris Camilli de la Croix, Belgae (ob. 1811). Hic, cui, annorum septemdecim puero, Pater Roothaan benedixerat, paucis post annis ingressus est Societatem. Arrepto mox Archaeologiae scientifico labore, antiquae Galliae notitiam, subtiliter investigando, adeptus est plane singularem; ita quidem ut, quae reperisset, mox per universum orbem celebrarentur. Operum autem ejus, quorum vix est numerus, tantum praecipua quaedam recensere licebit: *Découverte des thermes romains de Poitiers; Mémoire archéologique sur les découvertes d'Herbord, dites de Sanxay; Le trésor et les substractions gallo-romaines*

*à Berthouville; Mélanges archéologiques; Etude sommaire du baptistaire St. Jean de Poitiers; Les origines des anciens monuments religieux de Poitiers, etc.; Etudes sur l'ancienne Eglise de St. Philbert de Grandlieu; Etude sur le théâtre gallo-romain des Bouchauds; Une dalle mérovingienne trouvée à Challans*, etc. [1]. Cujus quanto in pretio labores habeantur, ostendunt viri illi e Gallia et e Belgio doctissimi, qui, die 22 Junio 1912, Pictavii, in ipso loco « Hypogei Martyrii », uno videlicet e celeberrimis inventis Patris Camilli de la Croix, aeneam illius thoracem singulari cum sollemnitate inaugurarunt.

Commemorandus etiam hoc loco est Pater Alfredus Hamy, ea quidem maxime de causa, quod opus illud edidit pulcherrimum summaque arte confectum: *Galerie illustrée de la Compagnie de Jésus;* in quo etiam specimina invenies nonnulla, quae alibi frustra requiras. Edidit praeterea: *Entrevue de François I avec Henri VIII à Boulogne-sur-Mer; Les Jésuites à Caen; Domiciles des Jésuites; Au Mississipi*, alia.

Recensendi omnino etiam sunt, quos Nostri in Assistentia Galliae Sodales de *Sinicarum Missionum* terris egregios libros scripserunt; sunt autem hi praecipui:

Pater Henricus Havret: *L'île de Ts'ong-Hing; La stèle chrétienne de Si-Ngnan-Fou*, 3 partes; *T'ien-Tchou (Seigneur du ciel); La Province du Ngan-Hoei.*

Pater Ludovicus Gaillard: *Croix et Swastika en Chine; Plan de Nankin; Nankin port ouvert; Nankin d'alors et d'aujourd'hui.*

Pater Petrus Hoang (Sinensis): *Notions techniques sur la propriété en Chine; Le mariage chinois au point de vue légal; Exposé du commerce public du sel; Mélanges sur l'administration.*

Pater Stephanus Zi (Sinensis): *Pratique des examens littéraires en Chine; Pratique des examens militaires en Chine.*

Pater Corentinus Pétillon: *Allusions littéraires*, 2 séries.

Pater Albertus Tschepe: *Histoire du Royaume de Ou; Histoire du Royaume de T'chou.*

Pater Henricus Boucher: *La boussole du langage mandarin* (2 vol. 8°).

Pater Stanislaus Chevalier: *Atlas du Haut Yang-Tse, de*

[1] Cf. *Etudes*, Tom. CXXXII, 20 Juillet 1912, p. 184 ss. Imprimis vero vide: *Bibliographie des travaux du Père de la Croix*, Poitiers 1911.

*I-Tch'ang-Fou à P'äng-Chan-Hien, dessiné au 25 millième, 65 cartes; La navigation à vapeur sur le Haut Yang-Tse.*

Pater Ludovicus Richard: *Géographie de l'Empire de Chine; Cours supérieur*, 604 pp., 35 cartes, etc.; *Cours inférieur*, 300 pp., 34 cartes, etc.

Praesertim vero Pater Leo Wieger: *Textes historiques de l'Histoire de Chine*, 3 vol., alia multa.

Pater Lawrence, Pater Vagnoni, Pater Aleni: *Selecta doctrinarum fundamentalium collectio;* de Sinis sunt paginae 643, forma quartae folii partis.

*Assistentia Hispaniae*, inde a restituta Societate, per annos priores 50, continuis molestiis atque exsiliis objecta fuit. Vixdum enim domos suas incolere atque disponendo instruere potuerant, ita ut ipsa quoque studia denuo florere inciperent, cum ecce novas dispersiones, exsilia nova. Quae res sane fovendis studiis librisque scribendis prodesse minime omnium poterant. Atqui Patrum in scientiis labores, sic etiam, exstiterunt tamen multi atque egregii.

In *Theologia* quidem primus omnium nominandus Pater Josephus Mendive (ob. 1906). Is erat membrum commissionis illius, quam de studiis ordinandis Faesulas evocarat Pater Anderledy; quae res argumento sane est, eum isto jam tempore in magna existimatione fuisse. Qui, scribendi munere vixdum assumpto, librum refutavit Draper Americani: *Historia de los conflictos entre la religion y la ciencia;* quam Menendez y Pelayo dixit esse « apologiam robustam, sapientem atque doctrina refertam ». Anno deinde 1890 edere coeperat *Theologiae Cursum Completum*, qui inter optimos hujusmodi recentioris aetatis libros jure computatur [1].

Quem Pater Valentinus Casajuana (ob. 1889), Lector ejus, doctissimis operibus edendis jam praecesserat; scripserat enim: *Disquisitiones scholastico-dogmaticae*, scil. *De theologia fundamentali et de Ecclesia*, tomis 4. Qui edidit etiam adnotationes in *Compendium theologiae moralis Patris Gury.*

Bonae notae theologus porro nominandus Pater Joannes Muncunill. Is, editis jam nonnullis Theologiae tractatibus, solidae doctrinae laudem merito consecutus est.

Ad scholasticos theologos adnumerandus quoque est Pater Paulus Villada, edito tractatu *De gratia habituali;* qui praeterea in

[1] *Razon y Fé*, Tom. XV, p. 82 ss.

periodico *Razon y Fé* lucubrationes innumeras egregie scripsit. *De Liberalismo* quoque librum edidit valde probatum, atque, in re morali solide versatus, scripsit *De Confessariis nostris* et *Casus conscientiae.*

De apologetica optime meritus est Pater Hannibal Fernandez de Santanna (ob. 1910); is opera aliquot scripsit eximia, e quibus solum nominabimus: *Curso de religiâo.*

Inter eos, qui de Theologia morali scripserunt, recenseri quoque poterit notissimus ille Hispanorum Missionarius Pater Josephus Mach (ob. 1886). Hic insigne reliquit opus, in exteras etiam linguas conversum: *Tesoro del Sacerdote*, quo inter asceticos scriptores locum tenet nobilissimum.

Omnium vero, qui de Theologia morali in Assistentia Hispaniae scripserunt praestantissimus est Pater Joannes Baptista Ferreres. Hic editionem procuravit, quae inter optimas reputatur, Patris Gury: *Compendium Theologiae moralis, locupletatum.* Auctos etiam edidit ejusdem *Casus conscientiae.* Porro scripsit librum illum, cujus fama tam late percrebuit: *La muerte real y la muerte aparente con relación á los santos sacramentos;* tum *Los Esponsales y el Matrimonio* et *Las Religiosas.* Denique recensendus procul dubio inter eos est, qui maxima cum laude dant operam periodico *Razon y Fé.*

*Scripturae Sacrae* operam navavit utilissimam Pater Joannes Josephus de la Torre, qui *Novum Testamentum* Graece edidit atque convertit Hispanice.

Melius tamen atque inter praecipuos de eadem meritus est Pater Linus Murillo, Lector ad Pontificium Institutum Biblicum de Urbe, qui pulcherrimum librum scripsit: *Jesucristo y la Iglesia Romana*, et in periodicum etiam *Razon y Fé* multis solidisque lucubrationibus operam contulit. Novissime edidit *El progresso en la Revelación cristiana.*

Theologi simul atque ascetici Scriptoris nomine venit Pater Angelus Maria Arcos, edito libro: *Explicación del catecismo breve y sencillo.* Quem scopum, ut docendo nimirum mores emendet, prosecutus etiam est multis articulis, in periodico *Razon y Fé* editis.

Tum Pater Ramon Garcia, scripta *Vida del Hermano Mariano Creus* et *B. Canisii;* praecipue vero nominandum: *Pratica de los Ejercicios espirituales de S. Ignacio de Loyola*, saepius editum opus.

Pater Caecilius Gomez Rodeles descripsit *Vitam Sanctae Caeciliae;* lucubrationes etiam scribit in periodico *Razon y Fé;* maxime vero edidit: *Los Ejercicios espirituales de S. Ignacio*, et alia multa, ut mox dicetur.

Eidem argumento operam navavit Pater Ferrussola, scripto libro: *Commentaria in Librum Exercitiorum S. P. N. Ignatii;* qua declaratione locupletissima multi utuntur.

In *Philosophia* porro egregiam operam praestiterunt nostri Assistentiae Hispaniae Sodales. Primum nominamus Patrem Josephum Fernandez Cuevas (ob. 1864). Is edidit *Cursum completum Philosophiae*, quo manuali libro in Seminariis usi sunt; scripsit quoque *Historiam Philosophiae.*

Pater Josephus Mendive (ob. 1906), quem jam nominavimus, edito primum *Cursu completo Philosophiae*, deinde Philosophiam fere universam hispanice interpretatus est; quod opus tam acceptum fuit ut eo etiam libro textus in Universitatibus aliquot usi fuerint.

Ad *Cursum elementarem* coarctans labores scribendi, P. Franciscus Ginebra, manualem librum composuit pellucidum atque usibus ita accommodatum ut in America meridionali fere universa eum adhibuerint. Scripsit etiam: *Principios de Etica y de derecho natural*, librum ter editum.

Restitutae Societatis philosophus in Hispania omnium praestantissimus est Pater Josephus Urraburu (ob. 1904), qui aliquam diu maxima cum laude in Collegio Romano Lector fuit. Ejus autem *Cursus philosophiae scholasticae* opus ejusmodi est ut, illud legens, memoriam nostrorum, qui saeculis XVI et XVII insigniores fuerunt, vel etiam medii aevi scriptorum quasi sponte repetas. Quem librum, longe nimirum ampliorem quam ut a Philosophiae studiosis pro manuali haberetur, ipse Pater Urraburu contraxit, edito *Compendio philosophiae scholasticae.* In periodico etiam *Razon y Fé* suas egregias lucubrationes edere primum inceperat, quum morte praereptus occubuit [1].

Ad Philosophiam proprie pertinent, quae scripsit Pater Minteguiaga (ob. 1911): *La moral independente; La pensibilidad de las ideas*, et alia multa. Ejusdem argumenti lucubrationes scripsit quoque in *Razon y Fé.*

[1] *Razon y Fé*, Tom. X, p. 219.

Neque etiam *Naturales Scientias* in Assistentia Hispaniae neglexerunt. Egregio quidem edito *Tratado de Física*, Pater Bonifacius Fernandez Valladarez successum obtinuit felicissimum, quippe cujus librum tanquam manualem admiserint ad aliquas scholas superiores.

Cum laude nominandi porro Patres Cosmas Myarte, Franciscus Machado, Josephus Garcia, de re nautica editis documentis bene meriti: *Documentos para la historia de la nautica en Chile; Del anuario hidrographico*, tomo XIV.

Nec minor fama fuit Patris Balthasaris Merino; is *Botanicae* tam felici successu operam dedit, ut librum tomis 3 ediderit, *Flora descriptiva e ilustrada de Galicia;* quo inter praecipuos istius scientiae peritos viros in Hispania nobilem locum obtinuit. De eodem argumento lucubrationes praeterea multas scripsit in periodico *Razon y Fé.*

Pater Eduardus Victoria, Chemiae addictus, in eo genere collaborat eidem periodico, ac librum scripsit: *L'isopropanal trichloré*, atque alia multa.

Assistentiae Hispaniae etiam *observatoria* sunt quinque; quorum primum in loco *Belen* insulae Cubae erectum est anno 1857. Insequenti deinde anno observationes haberi ex ordine coeperant, Moderatore Patre Antonio Cabré (ob. 1883). Cui observatorio hoc imprimis propositum fuit ut alumnorum nostrorum institutio emendaretur; deinceps vero cyclonibus observandis praecipue incubuerunt, quippe quibus Antillae istic vehementer vexari solerent. Moderatores fuerunt exiguo temporis spatio satis multi. Pater Franciscus Butiña (1860-1862); Pater Felix Ciampi (1862-1863); Pater Josephus Reynal (1864-1867); Pater Franciscus Pons (1867-1868); Pater Josephus Maria Velez (1869). Quae commutatio frequens observatorio nocuit plurimum. Anno denique 1870, Pater Benedictus Viñes assumptum moderamen obtinuit per annos 23 (ob. 1893). Hujus viri erat ad exactas, quae dicuntur, scientias praecellens aptitudo, dum labori incumbere norat impigerrime. Statim igitur suscepto cyclonum studio, in Philadelphiensi Expositione, quae dicitur, honorificum ea de re diploma consecutus est. Habanensis autem scientiarum academiae auxilio fretus, itinerum, quae studii causa susceperat, descriptionem edidit: *Apuntes relativos á los huracanes de las Antillas*, Septembri-Octobri 1875-1876. Quo

moderatore etiam contigit, ut observatorium pluribus honoribus ampliaretur; primum quidem admissum est ut pars ipsum esset officii meteorologici varias inter nationes constituti (1876); deinde in Expositione Parisiensi (1878) diplomate et numismate decoratum est; tum etiam, anno 1882, a reipublicae moderatoribus rogatum ut suas institueret observationes, consilio polari nationum subjiciendas; porro observatorii moderatorum operibus, anno 1888, in Expositione Barcinonensi tributum est numisma aureum. Cyclonibus tamen observandis praecipuus semper labor tribuebatur. Qua in re, qui ad navales copias praefecti pertinebant, auxilio Patri Viñes erant; dum coetus ille, cui nomen « Junta General de Commercio » suo sumptu de officio telegraphico rite ordinato providebat; ac vel ipsae funibus telegraphicis curandis institutae societates adjuvando praesto fuerunt. Universae autem utilitates exstiterunt maximae. Denique, quo ipso anno mortuus est, Pater Viñes (1893) opus illud notissimum edidit: *Investigaciones relativas á la circulación y translación ciclonica.*

Defuncto igitur Patri Viñes Moderator successit Pater Laurentius Gangoiti. Is, primum statim adfuturum cyclonem accuratissime praedicens, qua fide usus fuerat Pater Viñes, eamdem sibi quoque fecit. Ac sane ipsi Reipublicae moderatores, anno 1894, summam eo crediderunt francorum 100.000, quam studiis provehendis impenderet. Atque etiam postea quam Americanae ditionis facta regio illa fuit, suis tamen Nostri laboribus libere fungi pergunt, una cum officio publico, « Weather Bureau », documenta sua edentes gravissima [1].

Multo tamen etiam majoris momenti est *Observatorium Manilense*, anno 1865 conditum atque conjunctum Manilensi Collegio nostro. Qui primus ei Moderator praefuit, Pater Fridericus Faura, mox ad eximium splendorem evexit opus. Ei nimirum, annis 14 ea in re positis, rationes sufficienti numero praesto fuerunt ut, qui in mari Sinico atroces saeviebant typhones, eos nunquam non exacta scientia praediceret adfuturos. Ea etiam de causa subsidiis publicis adjutus mox est. Ab anno igitur 1877 ad annum 1882, adventum atque decursum nuntiavit typhonum 53. Qua de causa cum ipsi quoque Sinenses ut telegraphici nuntii sibi ex Manila submitterentur rogassent, ingens inde secuta est utilitas. Ceterum suae

[1] *Revue des Questions scientif.*, Tom. LIX (1906), p. 38 ss.

observatorio conjunctae erant stationes magno numero, unde nuntii significarentur; qui quidem adveniebant ex insula Mindanao, e Mariannis insulis, e Carolinis, Macao, Saigon, aliunde. Invenit quoque Pater Faura *barometrum aneroidum* (1885), cujus per archipelagus universum usus est plurimus.

Qui porro ei successerat, Pater Josephus Algué, anno 1897 nuntiavit inventum a se instrumentum esse, cui *barocyclonometri* nomen dedisset; suumque dein, anno 1900, invenit *nephoscopium*. Ejusdem etiam inventioni tribuendum est *telescopium* illud, a nobis antea jam commemoratum, cujusque usus hic est ut *error personalis*, qui dicitur, apte corrigatur. Tum etiam addendum est, a Manilensi observatorio commentarios et relationes edita adhuc fuisse utilissima: ut mirum non sit, tam multis amplisque honoribus saepius illud ornatum fuisse. Anno sane 1883 praemium obtinuit ab Expositione Amstelodamensi atque in Matritensi etiam, eodem anno. Quo dein tempore saecularia festa Christophori Columbi celebrabantur, invitati e Manilensibus duo sunt, qui Expositione civitatis Chicago partes regni Hispanici agerent; anno etiam 1900, Statuum Foederatorum gubernatores Patrem Algué ad Parisiensem congressum meteorologicum omnium nationum destinaverunt; tum vero anno 1902, quod Galliae allegatus ipsis verbis eam Reipublicae moderatorum voluntatem significaret, Manilense observatorium pars nobilissima fuit Hanojensis Expositionis, quae dicebatur, colonicae. Tandem a moderatoribus Statuum Foederatorum Patri Algué commissa cura est, ut in Expositione civitatis Sancti Ludovici partem insularum Philippinarum ad bonas artes pertinentem ordinaret [1]. A Patribus Algué et Clos editum quoque est opus praecipuae eo in genere auctoritatis: *El Archipelago Filippino; Colleción de datos geographicos, estadisticos, cronologicos y cientificos relativos á Filippinas*, tomis 2. Ediderunt etiam: *Atlas of the Philippine Islands*.

*Observatorium Dertusanum* (vel Ibericum) ad annum tantum 1904 ortum refert. Conditum autem est a Patre Ricardo Cirera, qui officio magnetico in observatorio Manilensi praepositus olim fuerat, factus deinceps Dertusani instituti primus moderator. Observatorii igitur hujus sectiones sunt 5: *magnetica, astrophysica, electica, meteorologica et seismologica*. In ea, quae 30 Augusto

[1] *Ibid.*, p. 155 ss.

anni 1905 solis eclipsis fuit, Dertusanum egregia officia praestitit. Per quam etiam occasionem Pater Algué Palmensi expeditioni praefuit, dum Pater Aloysius Cortie Stonyhurstensis observationes in loco Vinaroz moderabatur. Alphonsi autem regis XIII mandato gratiae actae sunt Patri Cirera pro scientificis laboribus, quos hic, una cum Patribus Joanne Stein et Joanne Kramers Neerlandicis aliisque, eo tempore assumpserat. Cujus observatorii, quod ipse Rex anno 1912 benigne visitavit, utinam laetiores usque progressus exsistant [1].

Est Dertusano paulo antiquius *Observatorium Cartuja*, prope a Granata situm, quod nempe anno 1902 conditum fuit, moderante Patre Joanne Granero. Cujus priores commentarii editi fuerunt anno 1903. Altitudine autem metrorum 775 supra mare situm egregium habens, sectiones complectitur 3: *Astrologicam, Meteorologicam, Geodynamicam.* Qui partibus Astronomicae et Meteorologicae praesunt, commentarios conscribunt menstruos. In singulos autem dies phaenomena solis observant, photographice ea exprimendo; spectra, maculas, prominentias dispiciendo atque vestigando. Nec dubium est quin relationes ejusmodi aliquando doctorum argumentorum sedes exsistant eximia [2].

Denique, inde ab anno 1884, *Observatorium* meteorologicum conditum exstat in loco *Saltillo*, Provinciae Mexicanae Coabuila; ubi Moderatores praecipui fuerunt Pater Henricus Cappelletti et Pater Petrus Spina. *Tractatum* ille edidit *De cosmographia* unum, alterum *De aurora;* hic vero scripsit *mathematica opera* nonnulla et *De Mexicano caeli statu commentarios* [3].

Inter *Historiae* peritos primum nominandus est Pater Faustinus Arevalo (ob. 1824); qui optima editione procuravit: *Opera omnia S. Isidori Hispalensis; Aurelii Prudentii carmina; Dracontii poetae christiani saeculi IV carmina* (Migne); *C. Vectii Aquilini Juvenci presb. Historiae Evangelicae; Coelii Sedulii Opera omnia.* « Hisce editionibus, inquit Hurter, magnam sibi famam comparavit apud eruditos, quorum una consentiensque vox est, Arevalum in his auctoribus illustrandis priores interpretes fere inutiles reddidisse, posterioribusque, si qui venturi sint, spei parum reliquisse

[1] *Ibid.*, p. 546 ss.
[2] *Ibid.*, p. 562 ss.
[3] *Ibid.*, p. 577 s.

novi aliquid conficiendi ». Idem etiam *Hymnodia Hispanica* scripsit, dissertationesque, quarum pretium est maximum. A Cardinali di Pietro, dum nimirum aberat Pius VII, Theologus Pontificius nominatus est; quo tamen munere amplissimo, post restitutam Societatem, abdicato, 25 Septembri 1815, Cardinali di Pietro atque ipso Pontifice vehementer dolentibus, in Hispaniam se contulit.

Ingentis porro laboris opus, quodque Hispaniae honori sit quam maxime, commemorandum hoc loco habemus: *Monumenta historica Societatis Jesu.* Susceptam rem inter primos promovit Pater Joannes Josephus de la Torre, qui non solum prelo submittens *Cartas de S. Ignacio*, insignem laborem hunc inchoavit, verum edidit etiam *Constitutiones Societatis Jesu* et Castellane et Latine. Secuti sunt deinceps alii Patres, qui eadem collectione edendis epistolis, commentariis, aliis scriptis Ignatii, Lainii, Salmeronis, Francisci Borgiae, aliorum, tum ipsius Societatis historiam praeclare promoverunt, tum etiam immortale inter Nostros, quos officio sibi adeo devinxerint, decus nomini ipsi suo universaeque Assistentiae suae addiderunt.

Nomina praecipua eorum Patrum animi demissione et ingenio illustrium haec sunt: Caecilius Gomez Rodeles, Marianus Lecina, Fridericus Cervós, Vincentius Agustí. Neque post Patrem de la Torre reticendus est Pater Josephus Maria Vélez, qui et *Epistolas Beati Fabri* edidit et initiis editionis *Mon. Hist. Soc. Jes.* non sine magno studiorum emolumento adfuit.

Pater Antonius Zarandona (ob. 1882), scribendo opus egregium *Historia de extinción y restablecimiento de la Compañia de Jesús*, de rebus nostris eo tempore, saeculis inquam XVIII et XIX, tristissime simul ac laetissime gestis, meritus est. Illud edidit Pater Ricardus Cappa, qui ipse scripsit permagnum opus: *Estudios criticos acerca la dominación Española en America; La inquisición Española*, et alia.

Pater Josephus Eugenius Uriarte (ob. 1909) nomen bibliographi celeberrimum habuit. Cujus opera, eruditione eum amplissima atque laboris diligentia polluisse plane ostendunt. Haec nominare juverit: *Catálogo razonado de obras anónimas y seudónimas de autores de la Compañia de Jesús, pertenecientes á la antiqua assistencia de España*, tomis 3; et *Biblioteca de Jesuitas españoles que escribieron sobre la Inmaculada Concepción de nuestra Señora*

*antes de la definición dogmatica de este mysterio; Vida del Padre B. de Hoyos.*

Historia scribenda eminuit etiam Pater Raphael Perez. Edidit enim: *La Santa Casa de Loyola, Estudio historico ilustrado; Ortus et vita A. R. P. N. Ludovici Martin, brevis conspectus historicus; La Compañia de Jesús en Colombia y Centro-America despues su Restauración*, tomis 2. Scripsit praeterea: *Los Angelos custodios etc.; Exposición popular de Magnificat.*

*De Patre Josepho Pignatelli* tomis 3 optime scripsit Pater Jacobus Nonell.

Fama his praecipue annis innotuit nomen Patris Antonii Astrain, qui de Historia Societatis omnino egregium librum scripsit: *Historia de la Compañia de Jesús en la Assistencia de España:* Tomo I, *San Ignacio de Loyola;* Tomo II, *Lainez y Borja;* Tomo III, *Mercurian-Aquaviva, primera parte;* quo ille opere laudem a viris omnibus historiae peritis consecutus est amplissimam.

Ad hos cum laude accensetur Pater Paulus Pastélls, qui bene meruit de *Historia Patris Astrain*, et ipse scripsit *Historiam insularum Philippinarum*, aliaque multa; plurima quoque parat.

In re *litteraria* porro primus omnium nominandus est fama notissimus ille Pater Ludovicus Coloma, qui suis romanensibus, quae dicuntur, fabulis et novellis ut utilitatem per universum orbem attulit plurimam, ita Jesuitarum in Hispania nomen egregie illustravit. In plerasque autem Europae linguas conversa, opera ejus a multis hominum centenis millibus legendo tractantur. Qua re de litteris Hispanicis egregie meritus, ante paucos hos annos ritu sollemnissimo admissus est socius inclyti coetus, cui nomen « Academia Spañuola ».

Notissimum etiam in Hispania nomen est Patris Fidelis Fita, viri in epigraphia polyglottica et in antiquitatibus Hispaniae illustrandis celeberrimi. Plurimum autem operibus ejus usus est Baro Hübner, in conscribendo libro illo, cui nomen *Inscriptiones Hispaniae christianae.* De arte quoque scripsit in periodico *Razon y Fé*, atque ejusdem coetus, « Academia Spañuola », socius admissus est.

In re Paedagogica insignis est auctoritas Patris Ruiz. Qui praeter lucubrationes, in periodico *Razon y Fé* a se editas, separata opera scripsit magno numero: *La ley de asociaciones de 30 Junio 1887; La leyenda del Estado enseñante; Los peligros de la fé*

*en actuales tempios; La enseñanza popular de la religión según la enciclica « Acerbo nimis » de N. S. P. Pio X; El P. Luis Fiter;* alia. Apologeticae etiam navans operam, de *Modernismo* conciones habuit, de periculis fidei aliisque argumentis hujusmodi.

Sua quoque laus tribuenda Patri Julio Alarcón y Melendez, qui tum soluta tum numeris adstricta oratione scripsit multa. Operam etiam navat utrique periodico *Razon y Fé* et *Mensajero*, separatumque edidit librum: *Intenciones.*

*Assistentia Angliae*, cum maximam partem Missiones complexa fuerit vel certe Missionibus aequiparandas regiones, negari non potest, eam quasi campum sortitam esse, in quo virorum doctorum scriptorumque copia progigni plerumque non soleat. Atqui nihilo tamen minus, ratione quidem habita adjunctorum, scientificum laborem Nostri ibi praestiterunt quam maximum.

Commemoranda igitur primum *Theologia* est. Pater Sylvester Hunter in *English Manuals of Catholic Theology*, scripsit: *Outlines of Dogmatic Theology*, vol. I-II, ac lucubrationes etiam edidit in periodico *The Month* [1].

Theologis etiam adnumerandus est Pater Edmundus O'Reilly (ob. 1878), qui suo tempore apud omnes valebat multum. Scripsit etiam librum egregium: *The Relations of the Church to Society*, et alia.

Pater Thomas Slater edidit: *De Justitia et Jure tractatus in usum scholarum* et *A Manual of Moral Theology*. Qui etiam operam tribuit periodico *The Month.*

Ad Theologiam pertinent etiam opera P. Jacobi MacSwiney (ob. 1905), qui librum doctrina conspicuum scripsit: *Translation of the Psalms and Canticles with Commentary;* mortem autem obiens, similem lucubrationem reliquit de *Isaia* propheta.

Probatissimae quoque famae notam habet *Catechismus major*, tomis pluribus conscriptus a Patre Francisco de Zulueta; qui liber, plurimorum manibus versatus, ut solida scientia compositus ita usui aptissimus est.

Ac *Philosophiae* porro librorum collectionem ediderunt Stonyhurstenses Patres Josephus et Joannes Rickaby et Michael Maher.

Quorum primus ille, Pater Josephus Rickaby, qui laboris patientia et ingenii amplitudine multum polleat, scripsit, inter alia

[1] *Letters and Notices*, 1895-1896, p. 490-503.

complura: *Moral Philosophy or Ethics and Natural Law: Aquinas Ethics.* Multas Oxonii et Cantabrigiae quasi continuo habitas conciones edidit tomis pluribus, ac per annos plurimos strenue simul atque ingeniose operam dedit periodico *The Month.*

Pater Joannes Rickaby ad collectionem illam *Manuals of Catholic Philosophy* hos libros addidit: *The First Principles of Knowledge; General Metaphysics.* Alia etiam opera plurima, atque in periodico *The Month* lucubrationes egregias.

Pro scholis scribit quoque Pater Thomas Finlay: *History of Philosophy by Stöckl; School Manuals*, et alia; praesertim vero articulos in periodico *Studies*, et alibi.

Pater Michael Maher eidem collectioni librum maximae auctoritatis addidit: *Psychology* [1], ac periodico *The Month* assidue collaboravit, multasque alias lucubrationes edidit.

Progressi porro nominamus Patrem Gulielmum Henricum Anderdon (ob. 1890), qui non modo eloquentia concionantis, verum magis etiam eximia vitae sanctitate inter populares suos promovit virtutis cultum. Conciones autem suas partem edidit: *Five Minutes Sermons;* ac multa porro scripsit in periodicis *Weekly Register*, *Messenger of the Sacred Heart*, *Merry England*, alibi [2].

Clarum sua aetate nomen fuit Patris Henrici Coleridge (ob. 1893). Qui primum S. Scripturae Lector, tum deinde Moderator periodici *The Month*, postea periodici *The Messenger*, vacuum tamen temporis spatium invenire noverat, quod separatis operibus edendis impenderet. Cujus omnia scripta ostendunt praeditum eum fuisse ingenio sagacissimo. Praecipue quidem reliquit *The Theology of the Parables;* ac magis etiam, quod est opus ipsius princeps: *The Life of Our Life.* Deinde grande et eximium opus ejus est *The Life of Our Lord*, « in septem distributum partes, quarum quaelibet iterum pluribus constat tomis. Prolixe enim ad fidelium instructionem et aedificationem prosequitur praeambula Incarnationis, ipsam Jesu Christi infantiam, vitam absconditam et publicam, Passionem et Resurrectionem Jesu Christi » [3].

Celeberrimum quoque nomen erat P. Thomae Harper (ob. 1893),

[1] Cui libro ab Universitate Londinensi addita nota est « specialis excellentiae », atque ipse qui scripserat evectus ad gradum « Doctor of Literature ».

[2] *Letters and Notices.* 1890, p. 391-402.

[3] HURTER, *Nomenclator. Letters and Notices*, 1893, p. 214-218.

qui opera multa scripsit Apologetica et Theologica; e quibus haec sola nominamus: *Peace through the Truth*, tomis 2; *Metaphysics of the Schools*. Operam praeterea navavit periodico *The Month* [1].

Scriptis suis notissimus deinde est Pater Joannes Morris (ob. 1893). Qui, Societatem nondum ingressus, jam scripserat: *The Last Illness of His Em. Card. Wiseman*, cui viro a secretis aliquamdiu fuerat. Ingressus dein (1867), Historiam Ecclesiasticam et Jus Canonicum docuit. Praeterquam quod lucubrationes fere innumeras edidit in periodico *The Month*, scripsit quoque: *The Life and Martyrdom of St. Thomas Becket; The Condition of Catholics under James I; The Troubles of Our Catholic Forefathers; Historical Papers*. In omnium autem ore ipse Pater Morris erat, cujus memoriam fratres servaturi sint diutissime [2].

Pater Ricardus Clarke (ob. 1900) periodicum *The Month*, cui aliquamdiu Moderator praefuit, diligentissima opera adjuvit per annos 30 (1870-1900). Qui etiam libros pios edidit numero plurimos: *The Life and Ministry of Jesus; Maria Magnificata; The Holy Angels; Requiescant in Pace; Resurrexit; The Great Truths; Meditations for Advent; St. Joseph; The Sacred Heart of Jesus; The Precious Blood; The Sacred Passion; The Infancy; The Hidden Life; Veni Sancte Spiritus; Humility; Life of St. Francis Borgia.*

Libros ad pietatem fovendam aptissimos Pater Petrus Gallwey (ob. 1907) plurimos confecit. Primum quidem aliorum opera aliquot accommodavit atque Anglice convertit; tum vero suos ipse libros edidit egregios, quorum princeps ille nomen habet: *The Beatified Martyrs; Lectures on Ritualism*, tomis 2. Adde plurimas numero conciones, orationes funebres, alia.

Oratione quum soluta tum numeris adstricta multum et optime scripsit Pater Matthaeus Russell (ob. 1912). Cui scribendi argumenta plerumque sunt de S. Josepho, de Beata Virgine ac praesertim de Sacra Eucharistia: de quo mysterio optima opera edidit plura.

Scriptoris clarissimum nomen habet Pater Gulielmus Humphrey, qui inde ab anno 1882 in periodico *The Month* lucubrationes scripsit multas, quarum solida scientia conspicitur: *De Sacramentis; The Indwelling of the Holy Ghost; The Beatific Vision of*

[1] *Ibid.*, 1893-1894, p. 332-345.

[2] *The Month.*, 1893, Nov.-Dec. Imprimis: J. H. Pollen, S. J., *The Life and Letters of Father Morris*, London 1896.

*God; Conscience; The Vicar of Christ; The Priesthood and the Sacred Ministry; The Created Holiness of Jesus Christ; The Sacrament of Sacraments; The Religious State; The Written Word of God*, alia. Scripta ejus nonnulla etiam separata prodierunt.

Fama ille celeberrimus Pater Bernardus Vaughan, cujus etiam extra Angliam orationes avida audientium aure excipiuntur, suas Londinenses conciones in libellos composuit, qui multum ubique conquiruntur: *Sins of Society; Sin, Society and the Saviour.* Est autem inter Londinenses quoslibet maxima hujus viri auctoritas.

Ad Americam deinde transeuntibus nobis, primo statim loco nominandus occurrit notissimus ille Pater Petrus Josephus Arnoudt, Belga (Arnoldus, ob. 1865). Hic continua consuetudine conjunctus cum Jesu Corde vitam degebat; gravi autem morbo decumbens, quum voto se ejus cultui propagando addixisset, pulcherrimum deinde librum scripsit, cui nomen: *Imitatio Sacratissimi Cordis Jesu*, qui in alias linguas plurimas conversus postea fuit.

In Collegio Woodstock Lector erat Pater Josephus M. Piccirillo, Italus (ob. 1888), qui *De facultatibus animae* scripsit, ac praeterea, de libris in vulgus editis disseruit, illis praecipue, qui ante annum 1825 in America prodierant.

Pater Augustus J. Thébeaud, Gallus (ob. 1885), Seminarii in loco Fordham Praeses, opera aliquot scripsit, quae Protestantes ipsi summis laudibus extulerunt: *The Irish Race; Gentilism; The Church and the Moral World.* Diligentem praeterea operam tribuit periodicis *The Catholic Quarterly* et *The Month.*

Pater Nicolaus Russo (ob. 1902), in Collegio Bostoniensi Lector, notum illum librum scripsit: *The True Religion and its Dogmas.* Cujus laudatur dicendi concinnitas, claritas, persuadendi vis, simul atque styli splendidum robur. Praesertim vero innotuit praeclaris operibus: *De philosophia morali praelectiones* et *Summa philosophica.*

Pater Jacobus Conway (ob. 1905) excolendis principiis, quibus recte juventus instituatur, operam dedit, scripto libro: *The Rights of our Little Ones or First Principles of Education in catechetical form*, quod opus est maximi momenti. Edidit etiam notum illum librum *The State Last.*

Eodem anno defunctus est Pater Gulielmus F. Clarke; qui egregius concionator cum esset, orationes suas aliquot etiam typis ex-

cudi curavit. Ut Concionator laudari quoque debet Pater Robertus Kane, qui, quamquam orbatus oculis, populum valde commovere consuevit atque etiam aliquot sermones edidit.

Praeter quos nominandus est Pater Gulielmus Poland; hic inter alia opera complura scripsit: *Laws of Thought or Formal Logic; Fundamental Ethics; Style in Composition; Advice to Young Writers.*

In *S. Scriptura* imprimis versatus, Pater Antonius Maas lucubravit: *Christ in Type and Prophecy*, quod opus ornatum etiam Protestantium laude fuit; tum *The Gospel according to St. Matthew*, etc.; *A Day in the Temple.*

Opus egregium et utilissimum scripsit Pater Patritius Henricus Casey, Woodstockiensis Lector: *The Bible and its Interpreter.*

Nominandus etiam est Pater Bernardus Otten, qui non solum: *The Catholic Church and Modern Christianity*, sed alia multa bene scripsit.

*Historia* scribenda celebre nomen habet Pater Gulielmus Waterworth (ob. 1882), qui opera scripsit pulcherrima: *England and Rome or the History of the Religious connection between England and the Holy See from the Year 179 to the commencement of the Anglican Reformation;* tum *Origin and Development of Anglicanism;* et *The Church of St. Patrick* [1].

Historiam etiam optime callet Pater Dionysius Murphy, cujus praesertim nominamus: *A Short History of Ireland; Cromwell in Ireland; Our Martyrs.*

Henricus Foley, Coadjutor Temporalis (ob. 1891), librum scripsit: *Jesuits in Conflict, or Historic Facts Illustrative of the Labours and Sufferings of the English Mission and Province of the Society of Jesus in the Time of Queen Elisabeth and her Successors.* Tum amplum ac diligentissime exactum opus, tomis 7: *Records of the English Province* [2].

Pater Josephus Stevenson (ob. 1895), scripsit: *Life of Jane Dormer, Duchess of Feria; The Life of St. Cuthbert;* ac praeterea strenue adjuvit periodicum *The Month* [3].

Pater Joannes Pollen, Fratris Foley ulterius persecutus viam,

[1] *Letters and Notices*, 1882.
[2] *Letters and Notices*, 1891, p. 282.
[3] *Letters and Notices*, 1895, p. 117-130.

inde ab anno 1887, conscribendo periodico *The Month* plurimam operam contulit. Optimam etiam editionem procuravit libri Cardinalis Allen: *A Brief History of the Glorious Martyrdom of twelve Reverend Priests, Edmund Campion and his Companions.* Nuper autem edita est pars prima operis, cui nomen fecit: *Unpublished Documents relating to the English Martyrs* (1584-1603). Scripsit denique: *The Life and Letters of Father Morris.*

Inter viros historiae ecclesiasticae peritos nostra aetate nomen fertur Patris Herberti Thurston, qui hac inscriptione: *Our Popular Devotions* libros commentariosque scripsit. Una quidem cum Bridgett edidit: *A History of the Holy Eucharist in Great Britain;* una cum Patre Slater: *Eadmeri tractatus de Conceptione S. Mariae;* tum lucubrationes scripsit, quarum pervulgata fama est: *The Stations of the Cross; The Year of Jubilee; The Rosary; Dedication of the Month of May; Benediction of the Blessed Sacrament; Early History of Church Bells; The « Baptism » of Bells; Stipend for Masses.* Adde praeterea librorum lucubrationumque longam seriem.

Inter Historiae peritos viros connumerandus quoque Pater Herbertus Lucas; qui de *Savonarola* scripsit librum solida scientia insignem, atque in periodico *The Month* commentarios nonnullos probatissimos. In quo ipso Scriptore nominando jam quoque transivimus ad illos Assistentiae hujus Sodales, qui *scriptorum editorum*, et *litterarum* laude maxime floruerunt.

In quo sane ordine primus ille statim nominandus, qui periodico *The Month* Moderator ad mortem usque praefuit, Pater Joannes Gerard (ob. 1912). Ejus quidem scripta difficile dixeris, utrum sagacitatis causa, an eruditionis, an ad concertandum expeditae promptitudinis, an summae peritiae in tractando Anglorum sermone magis videantur conspicua. Qui posteaquam anno 1869 incepit suas in periodico *The Month* lucubrationes edere, eumdem laborem ad obitus usque diem impigre perduxit; nisi quod Praepositus Provinciae interea fuit. Moderatorem autem periodici egerat jam inde ab anno 1894. Ac profecto dicendum, per magnum istud temporis spatium non esse ab eo occasionem praetermissam ullam, qua Ecclesiam, fidem, vocationem, scientiam ingenuam strenuo conatu simul ac faustissimo defenderet. Ex aliis autem operibus ejus commemoranda etiam haec: *The Old Riddle* et *Narrative of the Gunpowder Plot.*

Post quem eodem jam censu venit Pater Sydney Smith; hic suscepto scribendi munere etiamnunc fungitur strenue atque sagaciter. Suis ipse quoque lucubrationibus apologeticam excolit, philosophiam, historiam, litteras. Est autem admiratione plane dignus hujus viri indefessus atque fructibus uberrimus labor.

In re Litteraria, quae ad juventutis usum spectat, versatur Pater David Bearne, qui narrationes et fabulas scripsit elegantissimas. Earum autem nominabimus e pluribus paucas: *The Curate's Brother; New Boys at Ridingdale; Tommy and his Mates; The Guild-Play at Ridingdale.* Quae narrationes plurima legentium manu tractantur. Pater Bearne strenue incubuit etiam operi, cui nomen *London Catholic Truth Society.*

Operibus suis notus quoque est Pater Franciscus Goldie; primum quidem iis, quae in periodico *The Month;* tum etiam lucubratis nonnullis vitae descriptionibus, ut S. Joannis Berchmans, B. Antonii Baldinucci, aliis. Collectionibus etiam aliquibus et periodicis operam tribuit.

Multum scribendo valet etiam Pater Edmundus Hogan, qui inter alia opera plura scripsit: *Irish Phrase Book; Latin and Irish Documents relating to St. Patrick; Distinguished Irishmen of the 16th Century, Hibernia Ignatiana;* haec viri ingenium ostendunt uberrimum.

Ad apologeticam excolendam, praecipuis dotibus instructus apparet Pater Cyrillus C. Martindale; qui pridem, in periodico *The Month,* commentariorum seriem jam scripsit satis longam. Cujus opuscula aliquot edita etiam sunt a coetu illo *London Catholic Truth Society;* ex iis nominamus: *Study-clubs for Workingmen;* majoris tamen momenti est: *The Bearing of the Comparative Study of Religions upon the Special Claims of Christianity;* quo opere adeptus est praemium quod dicitur « Ellerton theological prize ».

Jam de *scientiis naturalibus* dicturi, ex America nominabimus primum Patrem Hermannum Muckermann, qui edidit: *The Attitude of Catholics towards Evolution; The Humanizing of the Brute,* et plura alia.

Commemorandum porro hoc loco est *Observatorium Georgiopolitanum,* quod annis 1842-1843 conditum atque instructum est a Patre Jacobo Curley (ob. 1889). Hic primum fere laborem suum scientificum collocavit in supputationibus subducendis, quibus de-

terminaretur circulus meridianus civitatis Washington; quas quidem accurate exactas fuisse compererunt deinceps astronomi illi, qui huic rei a Moderatoribus Statuum Foederatorum destinati fuerant. Cum autem ex Italia ejecti essent Sodales nostri, Patri Curley auxilio venerunt Pater Franciscus de Vico, astronomus ipse Collegii Romani, et Pater Benedictus Sestini; quorum quidem operibus fama per Americam deinceps pervulgata est. Ibidem Pater Secchi per annum commoratus, primum opus suum scripsit (1852). Quo etiam anno Pater Curley partem primam edidit operis, cui nomen fecit: *Annals of the Observatory of Georgetown College.* Anno deinde 1888, Pater Joannes Hagen constitutus est Moderator alter Observatorii; quod ipso regente institutionem suam accepit integram, factumque est doctis operibus celeberrimum. Anno dein 1890, ut Patri Hagen adsisteret, additus est Pater Georgius Fargis; dum eodem etiam anno operam ibidem collocavit Pater Gulielmus Rigge, qui nunc Moderator est Observatorii in Collegio Creighton (Omaha). Quorum virorum doctorum coetum auxit adveniens anno 1893 Pater Josephus Algué, Manilensis Observatorii Moderator, qui Georgiopolim appulsus, per duos annos, suis sagacissimi ingenii dotibus, praesto illis fuit. Praecipua *de maculis solaribus* opera Georgiopoli conscripta sunt a Patribus Sestini et Curley. Post annum deinde 1889 in duas quasi partes abierunt scientifici Georgiopolitanorum labores: quorum alii quidem in vestigandis stellis variabilibus, quae dicuntur, versati sunt, alii vero positi sunt in photographica arte ad stellarum transitum applicanda, qua re corrigeretur ea, quam dicunt, aequatio personalis. Prioribus quidem studiis inclaruit imprimis fama Patris Hagen; dum posterioribus operam celeberrimam dederunt Patres Fargis, Algué, Hedrick, Rigge[1].

*Observatorium Stonyhurstense* ortum habuit anno 1838, cum praeparandi a Nostris alumni erant, ut Universitatem Londinensem, tunc recens conditam, aptissimi adire possent. Observatorii igitur, a Patre Carolo Irvine, qui obiit anno 1843, erecti primus Moderator anno 1842 factus est Pater Henricus MacCann. Huic successit Pater Josephus Howell (ob. 1860), cui auxilio aderant Patres Adamus Laing-Meason, Georgius Porter (ob. 1889) et Alfredus

[1] His addendus est Pater Carolus Braun, Observatorii Calocsensis in Hungaria.

Weld (ob. 1890). Quo advenientes, anno 1848, Patres Secchi et Vico, aliquamdiu operam ibidem posuerunt. Moderatores deinde nominati sunt anno 1851 Pater Jacobus Clare, anno 1856 Pater Alfredus Weld. Hoc autem ipso regente, laetius efflorescere Observatorium coepit, initiumque factum observationum illarum magneticarum, quae deinceps intermittendae jam non erant. Quarum observationum commentarium primum edidit Pater Gualterus Sidgreaves, qui Moderator diu fuit, egregiisque mutationibus Observatorium perfecit.

Anno autem 1868, Pater Stephanus Perry (ob. 1889) regendi Observatorii munus, quo functus antea jam erat, denuo suscepit. Is porro inter viros hujus scientiae peritissimos famam adeptus est singularem. Jam enim anno 1868, cum Patre Sidgreaves, explorationes magneticas suscepit in Galliae partibus occidentalibus, atque anno deinde 1869, in orientalibus partibus. Eumdem, anno 1871, laborem in Belgio instituit cum Fratre Coadjutore Carlisle. Observationibus autem astronomicis perficiendis itinera emensus est fere innumera. Anno quippe 1870, a gubernio deputatus, Gadibus observavit eclipsin solis totalem. Anno postea 1874, pars eorum erat, qui ab Anglis in insulam Kerguelen mittebantur, Veneris praeter solem transitum vestigaturi. Qui simul meteorologicas magneticasque observationes tunc instituit. Ac denuo, una cum Patre Sidgreaves, a regni Anglici Moderatoribus missus est, anno 1882, in insulam Madagascar, iteratum Veneris transitum examinaturus. Solis eclipsin observavit, anno 1886, in minoribus Antillis, atque anno 1887, in loco Pogost, ad Volgam fluvium sito. Denique cum a Reipublicae Gubernatoribus ei demandatum denuo fuisset, ut in Guyana regione eclipsin observaret, ibique in lethalem morbum incidisset, in ipso maritimo itinere defunctus est, 27 Decembri 1889. Quo viro clarissimo inter ipsos doctos labores ita mortuo, anno deinde 1890, virorum illustrium, qui Patri Perry honorem haberent, splendidus coetus Londinum convenerunt, atque, auctore Eminentissimo Vaughan Cardinali Westmonasteriensi, pro telescopio Observatorii, honorificum munus, objectivum, quod dicitur, obtulerunt, cujus orbiculatum vitrum ad aperturam erat centimetrorum 38, ipsumque constabat pretio francorum 16.250. Labores igitur Patris Stephani Perry observationibus maxime constant magneticis, quibus suos in eo scientiarum genere decessores

ita correxerat ut tabula magnetica confici jam posset. Commentarios praeterea expeditionum suarum studii causa susceptarum exhibuit quam plurimos.

Pater Gualterus Sidgreaves porro, qui Patri Perry successit, solis stellarumque spectroscopiae potissimum data opera, eo studio famam adeptus est clarissimam.

Quamquam igitur ab hoc utroque Patre sua Stonyhurstensi Observatorio laus imprimis constat, celebre tamen nomen factum quoque est Patri Aloysio Cortie, qui illis laborantibus per annos plurimos adsistebat. Hic, anno 1905, a gubernio Anglico missus Vinaroz, ad locum orae Hispanicae, ut solis ibi eclipsin observaret, coronae solaris imagines photographicas nitide expressit quinque, dum ipsius coronae spectrum nonnullis imaginibus exhibuit. Deinde, annis 1910 et 1911, Societatis Regiae Scientificae nomine missus est in Californiam et ad Insulas Tongo [1].

Ejusdem Assistentiae Observatorium tertium est Clevelandiae, ortum quippe anno 1895; primum autem Moderatorem habuit Patrem Fridericum Odenbach. Huic propositum imprimis fuit ut ad vim electricam, quae dicitur, atmosphaericam et ad nubes, quae in sublimioribus caeli partibus versantur, animus adverteretur. Annis 1896 et 1897, in Observatorio hoc una ex Stationibus fuit, quibus ex Americae Septentrionalis Statibus Foederatis componeretur illud *Weather Bureau*, quod instituendum decreverant in communi Congressu nationum Upsalensi (1894). A quo etiam tempore Pater Odenbach laborem sedulo impendit complendae legi, quae dicitur, cursuum cyclonicorum, ratione habita altitudinis diversae; qui de nubium altitudine mensuris supputanda relationes quoque edit. Earum autem rerum, quae meteorologice compertae fuerunt, commentarius quotannis describitur. Fulminis quidem phaenomenis connotandis Pater Odenbach instrumento utitur, quod, ab ipso inventum, ejus etiam nomine nuncupatur [2].

Observatorium Creightonianum (Omaha), jam anno 1886 conditum, Moderatores habuit Patres Josephum et Gulielmum Rigge aliosque. Eorum autem praecipuus fuit Pater Gulielmus Rigge, qui Georgiopoli laborem antea jam posuerat. Anno quidem 1897 in regione Omaha observavit solis eclipsin annularem, anno autem

[1] *Revue des Questions scientif.*, Tom. LIX (1906), p. 24 ss.
[2] *Ibid.*, p. 550 ss.

1900 Washingtonii eclipsin totalem. Utramque accurate editis commentariis descripsit, ac praeterea in opere *Popular Astronomy* de Societatis nostrae Observatoriis ipsisque Astronomis disseruit. Neque immerito M. W. S. Chandler coram senatu Statuum Foederatorum habita concione professus est, inter universae Americae praestantiora Observatoria omnino numerandum esse Creightonianum [1].

Observatorium Assistentiae hujus quintum est in Collegio Sanctae Clarae civitatis Californiensis. Quod auctum quidem fuit telescopio aequatoriali centimetrorum 20, aliisque instrumentis egregiis compluribus, quibus tum astronomicae tum meteorologicae observationes aptissime fieri possunt; ita ut reapse ipsi Collegio praestita jam sint officia minime spernenda.

Anno 1897, Pater Victor Nicot, in loco Buluwayo Africae Meridionalis, meteorologicas observationes instituere coeperat, quibus mox animos ad se convertit Societatis illius *British South Africa Company*. Hi igitur, collato subsidio, de instrumentis aptius ei ita providerunt, ut anno deinde 1902 excitari Observatorium potuerit, quod insequenti anno instructum ordinatumque fuit a Patre Edmundus Goetz, primo ejusdem Moderatore. Qui cum rite paratus ad rem istam accederet, quod nimirum operam scientiarum studiis jam dederat Parisiis, Stonyhursti, Georgiopoli, munus in se suscepit triplex: instituturus nimirum erat observationes tum meteorologicas tum magneticas, ac praeterea in hemisphaera illa meridionali laborem collaturus operi illi Patris Hagen, quod inscribitur *Atlas stellarum variabilium*. Neque tantum in consiliis ista manebant; verum ad exitum paulatim perduxit. Anno deinde 1904 Patri Goetz demandatum a Regni Moderatoribus munus est ut magneticas in Rhodesia regione observationes exsequeretur; qui de caeli statu relationes conscripsit amplissimas; praeterea commentarium etiam de stellis variabilibus obtulit doctorum virorum coetui, cui nomen *Rhodesian Scientific Association*. Suis ipsius instrumentis rite instructum Observatorium, praeterea a Regali Societate Astronomica Londinensi etiam alia mutuatum est.

Atque in aliis quoque locis Africae Meridionalis: Salisbury, Boroma, Zumbo, observationes meteorologicas Nostri instituerunt [2].

[1] *Ibid.*, p. 555 ss.
[2] *Ibid.*, p. 559 ss.

*Historiae* etiam et *litteris* operam inter Americanos multi egregie dederunt. E quibus primum nominamus Patrem Carolum Coppens, quippe qui scribendi genus plus unum excoluerit. In Universitate S. Ludovici Lector ille, scripsit: *The Art of Oratorical Composition*, quod opus lubentissimis ubique animis exceptum fuit; tum: *Practical Introduction to English Readers;* adhuc: *A Brief Textbook of Logic and Mental Philosophy;* etiam: *The Mystic Treasures of the Holy Mass;* porro: *The Sacredness of Human Life;* deinde: *A Systematic Study of the Catholic Religion;* denique: *The Protestant Reformation.*

Historici clarissimum nomen habet Pater Thomas Hughes. Hic scribit *History of the Society in North America*, cujus operis editi jam sunt tomi duo, quibus ipsos duos tomos addidit documentorum. Laurea donatus est primus tomus hujus *Historiae S. J.*, proposito praemio a Columbia Universitate, Neo-Eboraci, quadriennali certamine. Egregium etiam librum composuit, cui nomen: *Loyola and the Educational System of the Jesuits.*

Historiam feliciter exercet Pater Arthurus E. Jones, qui egregium collegit volumen: *Old Huronia*, quod editum est a Gubernio Canadensi, in Collectione *Bureau of Archives* 1909. Insuper Pater Jones maximae editioni *Relationum Canadensium* operam impendit.

Ad juventutem instituendam excolendasque litteras referenda quoque sunt, quae plurima opera peritissime simul atque amoene scripsit Pater Franciscus Finn; e multis pauca nominamus haec: *Percy Wynn; Tom Playfair; Claude Lightfoot; Harry Dee; Ethelred Preston.*

Historiae Indorum operam dedit Pater Laurentius Palladino, scripto libro: *Indian and White in the North-West, or A History of Catholicity in Montana.*

De Sodalitatibus B. Mariae Virginis historice atque ascetice optime scripsit Pater Elder Mullan: *The Book of the Children of Mary; Manual of the Junior Sodalists of our Lady; Hints and Helps*, de Patronis Menstruis, alia multa. Tum etiam: *The Sodalist's Imitation of Christ.* Praecipue vero: *La Congregazione Mariana studiata nei Documenti*, Romae 1911, quod opus Hispanice quoque, Anglice et Germanice ampliatum publicavit annis proxime secutis.

Pater Carolus D. Plater Historiam composuit: *Catholic Social*

*Work in Germany;* huic deinde, anno proxime superiore, librum addidit plane eximium: *Retreats for the People, a Sketch of a Great Revival*, quo historiam secutus complectitur, quae in Exercitiis Spiritualibus operariae praesertim plebi tradendis gesta jam sunt.

Denique inter Americanos rerum scripto vulgandarum peritos viros celeberrimam famam habet Pater Joannes Wynne. Qui praeterquam quod periodico *Messenger* praefuit et complura scripsit, imprimis tamen ipse princeps atque dux est ingentis operis illius *Catholic Encyclopedia*. Condidit etiam anno 1910 commentarium hebdomadarium *America*[1], egregiam profecto lucubrationem omniumque laudibus celebratam. Quam ob causam qui, olim adjuvantes Patrem Wynne, nunc soli rem moderantur, ipsi quoque honore praecipuo condecorandi sunt.

[1] Litteras fundationis normasque, huic operi ab Adm. R. Patre Nostro Fr. Xav. Wernz statutas, vide in *Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 163 ss,

## CAPUT IX

### Societatis Jesu Domus Professae, Residentiae, Operarii

Quemadmodum Collegia in Societate scholis habendis instituta sunt, sic Domus Professae et Residentiae reliquis Societatis ministeriis obeundis. Res porro notissima est, nomine Domorum Professarum venire ea Societatis domicilia, in quibus sat magnus numerus religiosorum, qui Professi plerique sint, sub Praeposito constituti, nullis reditibus fixis dotati, eleemosynis vivant. Domus autem ejusmodi anno 1615 erant 23, anno autem 1710 numerabantur 24. Qui numerus earum computabatur etiam anno 1762, brevi nimirum tempore ante suppressam Societatem. Neque tamen sua cuique Provinciae Domus Professa erat; quippe cum eodem illo anno 1762, Societatis Provinciae universae essent 41 [1].

Tam paucas autem numero Domus Professas fuisse, ex parte quidem rebus externis tribuendum videtur, sed multo magis formae, quam Constitutiones [2] pro Domo Professa requirebant. Atqui anno 1814, cum restituta est Societas, quamvis res etiam tum arduae essent, mox tamen tentaturi Patres erant, quid talibus rerum adjunctis ad integritatem Societatis conferri hoc in genere posset. Id sane ex eo constat, quod in actis Congregationis Generalis XX, habitae anno 1820, scriptum nobis reliquerunt. Etenim cum proposita Congregationi quaestio fuisset: « An Domus Professorum in singulis Provinciis essent erigendae: res visa est in praesentibus circumstantiis difficillima; ut tamen in re tanti momenti suam sollicitudinem demonstraret Congregatio, renovandum censuit Decretum XVII Congregationis tertiae [3], quo totum istud negotium R. P. Generali commissum fuit, eique commendatum, ut erigendis ejusmodi Domibus applicaret animum, relicto ipsius prudentiae et tempore, et loco, et modo » [4].

[1] Statisticam vide in *Woodstock Letters*, 1900, p. 281.
[2] Part. VI, cap. II, in *Instit. S. J.*, II, p. 95.
[3] *Instit. Soc. Jesu*, Tom. II, p. 222.
[4] *Decr. Congr. Gen. XX, decr. 13*, in *Instit. S. J.*, II, p. 472.

Nec longa mora fuit quin ad Domus Professas, quae Panormi jam (1805) et Romae (1814) erant, tertia accederet Neapolitana. Anno postea 1842 etiam Genuae Domus Professa erecta est, quae per 10 annos floruit. Atque anno quidem 1853 in Congregatione XXII postulatum a Provincia Lugdunensi est, ut Lugduni atque Massiliae Domum Professam erigere liceret. Laudavit postulatum Congregatio, « utpote consonum spiritui Constitutionum ac illud R. P. N. commendavit »; quoniam vero iniqua Galliae tempora erant, subsecutaeque sunt commotiones tristissimae, de perficiendo consilio isto vix quidquam cogitari postea potuit.

Immo vero earum etiam, quae erectae exsistebant, Domorum Professarum stabilis conditio neutiquam obtinebat. Ac revera, post illatas Societati in Italia persecutiones, circa annum 1870, ipsum quoque Praepositi Generalis domicilium perperam Domum Professam nominasses.

Nihil igitur mirum, rebus ad quietem compositis, in Congregatione XXIV, anno 1892, de Domibus Professis agitatam quaestionem denuo fuisse. Tum etiam e deputatis Patribus petivit aliquis: « Ut Congregatio suum dolorem exprimeret, quod jam nulla in praesentibus exsisteret Domus Professa; et ut Adm. R. Patri Nostro curam committeret inquirendi, utrum in aliquibus Provinciis Domus Professae erigi possent, necne; respondit Congregatio id sane dolendum esse, tribuendum tamen temporum iniquitati, quum Societas, tum in Congregationis XX decreto 13, tum in Congregationis XXII decreto 16 plurimum laudavisset zelum eorum, qui simile desiderium expressissent; ast simul affirmavit rem sibi videri in praesentibus circumstantiis difficillimam. Quapropter censuit, totum hoc negotium studio et prudentiae Patris Nostri omnino relinquendum esse » [1].

Etsi quidem, annis deinceps proxime insequentibus, de ulla Domo Professa erigenda statui quidquam non potuit, tamen Adm. Rev. Pater Martin rei perficiendae consilium serio iniit. Post ejus mortem vero, quia « magna ex parte subsidiorum penuriae tribuendum videbatur, quod jam diu nulla in tota Societate existeret Domus Professorum, et ne Societas universa Domibus Professis diutius careret, Congregatio Generalis XXV (1906) consulendum putavit Summum Pontificem, numquid obstaret Domorum Profes-

[1] *Decr. Congr. Gen. XXIV, decr. 22,* in *Instit. S. J.*, II, p. 521.

sorum paupertati, quominus Missarum ac Ministeriorum stipendiis ex privilegio Societati concessis juvarentur, quamdiu solis eleemosynis sustentari non possent ».

« De re itaque Beatissimus Pater ab Adm. Rev. Patre Nostro (Francisco Xaverio Wernz) rogatus die 29 Januarii 1907, negavit omnino Sanctitas Sua quidquam obstare, quin etiam se prorsus non videre affirmavit, cur Sodales quivis Societatis nostrae, quae unam ac veram familiam constituit, si penuria laboret, precariis ejusmodi stipendiorum subsidiis, salva Instituti nostri paupertate, sustentari nequeant ».

Quum igitur ad erigendam Domum Professam aliquam accedere statuisset Adm. Rev. Pater Noster, visa ei est ex universis Societatis Residentiis nulla esse aptior quam Aragonensis Provinciae Residentia Valentina. Quare haud diutius moratus, Praepositus Generalis, die 19 Majo 1907, Valentiae erexit Domum Professorum primam, quam Sacratissimo Jesu Cordi dicatam ac nuncupatam voluit [1].

Professarum autem Domorum hunc esse finem refert: « Ut in iis nostri Instituti puritas praecipue elucescat. Id quidem ante omnia in his quae ad religiosam cujusque perfectionem spectant elucere, inquit, debet; nec solum in evangelicae paupertatis observantia, quae peculiare Societatis Professae ornamentum est, sed in angelicae castitatis cura, in obedientiae excellentia, in orationis studio et in omnibus virtutis exercitiis, quibus ad spiritualem sanctamque vitam nos Societatis Constitutiones informant. Hic est primus vocationis nostrae finis, ad majorem Dei gloriam omnibus quidem Societatis filiis propositus, at vero in Professis Domibus praestantius attingendus. Ad alterum autem finem, qui in proximorum salute ac perfectione procuranda consistit, eos impensius incumbere oportet, qui obtenta jam spirituali ac litteraria formatione in Domibus Probationis et in Collegiis, bene tandem instructi et parati censentur, ut sacrae militiae laboribus et apostolicis ministeriis totos se devoveant » [2].

Sic igitur, quod erat commune Societatis desiderium, pluries in Congregationibus Generalibus expressum, quam tamen Congregationes XX et XXII affirmabant rem sibi videri in praesentibus

[1] *Decretum erectionis 19 Maji 1907, Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 69 ss.

[2] *Epist. Adm. R. Patris Nostri Franc. Xav. Wernz ad Praep. Dom. Prof. Valentinae, 19 Maji 1907, Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 72 ss.

rerum circumstantiis difficillimam, id, auspice benignissima Dei providentia, tandem ita obtineri coeptum erat, ut simul confideret Adm. Rev. Pater Noster, alias istiusmodi Domos, prout temporum acerbitas permisisset, illius exemplo fore constituendas.

Quam spem atque exspectationem suam Adm. Rev. Pater Noster, aliquot mensibus post erectam Valentinam Professorum Domum, iterum illis litteris expressit, quibus, de jubilaea die 7 Augusti anni 1914, allocutus Societatem: « Utinam, inquit, plures ex *Residentiis independentibus*, et praesertim ex iis quae multa jam habent, quibus Domus Professa constituitur, Valentinorum Patrum exemplum imitatae, omnia paullatim componant, ut quamprimum *Domus Professae* erigantur. Haec mea spes est, hoc votum, quod saeculari anno impletum confido »[1].

Ac reapse haec eum spes non fefellit. Etenim « mox aliae Provinciae, quarum conditio stabilior atque ad rem opportunior videbatur, ut restitutae Societatis votis commendationibusque satisfacerent, de sua etiam Domo Professa erigenda cogitare coeperunt, et sua desideria suaque consilia (cum Adm. Rev. Patre Nostro) contulerunt. Ejusmodi inter Provincias eminet sane Provincia Austriae »....

« Huic autem sanctissimo proposito Deus ipse Optimus Maximus apertissime favere visus est. Ut enim in tanta civitate (Vindobonensi), quae instauratae suae religionis apostolum agnoscit Beatum Petrum Canisium, monumentum non deesset, quod tam praeclari Benefactoris memoriam renovaret, Sodales Mariani Viennenses, corrogata magna pecuniae summa, Templum pulcherrimum a fundamentis exstruendum curarunt, quod Beato Petro Canisio dicatum ac Societati nostrae donatum voluerunt. Quae res civitati universae adeo grata atque accepta accidit, ut solemnem Templi consecrationem ipse Augustissimus Imperator concelebraverit, cum primaria Imperii Nobilitate, Urbisque Magistratu, atque ingenti omnium ordinum frequentia.... Sed Templo praeterea adjacet Domus Canisiana cum horto, per eosdem Sodales Marianos Societati comparata, optime sita, excipiendis non paucis Patribus et Fratribus probe conformata, domestica suppellectili abunde ornata, atque ad omnes usus nostros aptissima, quae satis commoda sua villa non carebit ».

[1] *Epist. ejusdem ad omnes Praep. Prov. De celebrando primo anno centenario a restituta Societate, 8 Sept. 1907, Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 100 ss.

Ejusdem igitur anni 1911 die 18 Januario, Praepositus Generalis Viennensem B. Petri Canisii Residentiam erexit in Domum Professam [1], cujus initia, die 2 Februario, facta sunt sollemni inauguratione; quam ipse quoque Archidux Austriae Franciscus Ferdinandus, haeres imperii, quod Vindobona eo tempore aberat, prolixo telegrammate Patribus gratulatus est [2].

Ejusdem porro anni die 5 Novembri, Provincia etiam Toletana suam Matritensem Domum Professorum accepit. Nam, quemadmodum in ipso erectionis Decreto refertur: « Civitatis istius Residentia Ecclesiam habebat ministeriis nostris apprime accommodatam, abundabat ornamentis ad divinum cultum optimis, in eadem erectae erant jam multae piae ac religiosae Sodalitates fidelium utriusque sexus, et omnium civium conditionum. In ipsa asservabatur ac magna religione colebatur corpus S. Francisci Borgiae, qui fuerat paupertatis nostrae exemplar praeclarissimum. Templo adjacebat Domus ampla, sufficienti supellectili domestica ornata et ad Nostrorum usus valde apta. Nec deerat numerus Patrum ac Fratrum ad Domum Professam constituendam necessarius, qui, sine ullis certis redditibus, ex sola benefactorum liberalitate ali possent. Impedimentum igitur non erat ullum, ne ista quoque Residentia in Professorum Domum erigeretur » [3].

Praeter *Residentias independentes*, quas in epistola Adm. Rev. Pater Noster nominavit, aliae etiam sunt, quae *dependentes* vocantur. Residentiae autem, quod ad ipsa opera cum proximis exercenda attinet, idem atque Domus Professae finis exsistit. Earum porro aliae *dependent* a Collegio aliquo, cujus, praesertim in rebus temporalibus administrandis, quasi pars quaedam considerantur *dependentes;* aliae vero independentes sunt multisque in rebus a Domibus Professorum haud absimiles; quamquam tamen plurimum, non uno respectu, ab iisdem differunt. Etenim Professae Domus sat magno numero Socii esse debent, qui etiam, maximam partem, emiserint Professionem sollemnem quatuor votorum. Decet praeterea Domum Professam esse satis amplam, cui adnexa sit

[1] *Decretum erectionis Domus Professae Viennensis, 18 Jan. 1911. Acta Rom. S. J.*, 1912, p. 39 ss.

[2] *Domus Professae Viennensis inauguratio. Epist. R. P. Jo. Bapt. Wimmer. Praep. Prov. Austr., 2 Febr. 1911, Acta Rom. S. J.*, 1912, p. 49 s.

[3] *Decretum Adm. R. P. Fr. Xav. Wernz, 10 Oct. 1911, Acta Rom. S. J.*, 1912, p. 102 s.

villa tradendis Exercitiis apta; Templum ejus decet esse pulchrum et amplum, in quo et ministeria Societatis nostraeque Congregationes magno fructu celebrentur [1]. In Residentia vero ordinaria, omnes istas conditiones, eodem certe gradu, adimpleri necesse non est. Advertenda tamen sunt verba haec Congregationis XXIV, statuentis ac declarantis decreto 15: « Residentias, quae non sunt Collegia inchoata nec membra Collegii vel Domus Probationis, quoad paupertatem aequiparari Domibus Professis, atque adeo reditus stabiles habere non posse, sive pro sustentatione Nostrorum, sive pro sacristia et Ecclesiae fabrica » [2]. Residentiarum porro numerus in Societate magnus semper fuit; atque adeo, anno 1860, cum Sacerdotum vix essent 3000, Residentiae tamen numerabantur 140. Numerus autem Sacerdotum cum abhinc multo plus quam duplex factus fuerit, Residentiarum etiam numeri augmentum eadem fere ratione processisse arguitur. In his igitur *Residentiis*, in *Templis Collegiorum* et in *Domibus Professis* ministeria spiritualia Societatis vix non omnia obeuntur. Quibus tamen operibus addenda sunt alia purima: Christifideles vīsitari tum in suis ipsorum domiciliis tum in hospitiis; aegrotis omnimoda officia impendi sive in locis pugnae, sive alibi tempore praesertim grassantis morbi pestilentis; moderari Nostros Congregationes in Sacellis Templisque ad Societatem non pertinentibus; sacrarum Missionum exercitia peragi; clero saeculari aliisque subsidium ferri in locis peregrinationum aliisque; tradi Exercitia S. Patris in Domibus huic rei destinatis aliisque locis quamplurimis. Jamvero tempus monet ut ad aliqua istiusmodi opera animum nunc scribendo advertamus.

Ac primum quidem dicemus de propagato a Nostris *cultu Sacratissimi Jesu Cordis*. Etenim cum ex revelationibus B. Margaritae Mariae factis constet, ab ipso Christo Domino vocatam Societatem esse, ut Sacratissimi Cordis cultum propagaret, etiam post Suppressionem jussa ejus diligenter perfecit. Nam « omne Societatis incrementum inde potissimum pendere, si magno zelo cultus Sacratissimi Cordis, tum in Nostris, tum in aliis promoveretur, omnibus in Alba Russia erat persuasum ».

Ipse igitur Pater Roothaan, tum e Christi Domini verbis istis

[1] *Decretum erectionis dom. Prof. Valentinae. Acta Rom. S. J.*, 1910, p. 70-71.
[2] *Decr. Congr. Gen., Congr. XXIII, decr. 28; Congr. XXIV, Decr. 15*, in *Instit. S. J.*, II, p. 506, 518.

ad B. Margaritam Mariam directis, tum etiam ac maxime ex ipso fine quo colendum esset Jesu Cor, quem cum Societatis fine componebat, demonstrando effecit, restitutae Societati cultum istum exercendum et propagandum speciali ratione incumbere: « Quod si scopum, inquit, quem in cultu SSmi Cordis sui inter fideles introducendo sibi Dominus proposuit, consideremus, magis etiam intelligemus cur proprius ac peculiaris ille Societati nostrae esse debeat. Voluit scilicet Jesus, ut in hoc fine saeculorum, dum refriguit jam caritas multorum, appropinquante tempore defectionis, quam reipsa cernimus vix non ubique in dies magis praevalere, novo hoc remedio pii cultus SSmi Cordis sui succurreretur fidelibus, ne in errorem et laqueos inducerentur etiam electi. Quid vero magis conveniebat, quam ut Societas, divino Numine eo fine instituta ut velut novum esset militanti Ecclesiae subsidium ac robur, quo hostium undique ingruentium impetum reprimeret ac retunderet aut certe retardaret, hoc novo praesidio cultus SSmi Cordis ipsa potissimum utendum sibi esse intelligeret? Et quis est qui ignoret quantae efficaciae fuerit haec ipsa SSmi Cordis Jesu cultus propagatio, ad innumeros fideles conservandos, animandos, et ab universali quodam modo apostasia praeservandos? Cum enim quaquaversus debacchata impietas blasphemiis Jesum ejusque sanctissimam religionem impeteret, et conjuratorum in Ecclesiam agmina ad omnia sacra evertenda prorumperent, quanto fuit fidelibus praesidio, peculiari studio recolere amantissimi Salvatoris beneficia, Passionem ejus et Mortem et SSmae Eucharistiae institutionem, ac veluti demandatum sibi munus assumere reparandi injurias, quae in hoc praesertim amoris Jesu mysterio ab apostatis, a falsis Christianis, a pravis Catholicis, ab ipsis adeo non paucis Sacerdotibus inferuntur, in hoc sanctum opus sancto novoque ardore sese devovere, et Sodalitates pias hunc in finem institutas inire, quae murum se opponerent pro domo Dei, quaeque nefandis consortiis consortia pia objicerent? ».

« Haec et his similia qui consideret, simulque Societatis finem, conservandi scilicet confirmandique sub Christi vexillo fideles et sub illud quam plurimos a Luciferi castris abductos congregandi, sibi ob oculos ponat, non erit profecto quod miretur a Jesu Duce suo Societatem peculiari modo ad SSmi Cordis sui cultum exercendum et promovendum vocari atque compelli; neque erit quisquam inter nos, si tamen spiritu Societatis proprio agatur, qui invitanti

vocantique Jesu ad Cordis sui cultum eo fine eoque animo quem diximus exercendum, non omni studio, prompto alacrique affectu, sibi respondendum esse sentiat »[1].

Quae Patris Roothaan verba postmodum sua fecit Pater Beckx, sua etiam fecerunt quicumque Societatis Praepositi Generales deinceps secuti sunt. Estque res non in ipsa Societate solum, sed etiam inter externos notissima, Nostros voci tum Christi tum Superiorum suorum cum alacritate, amore animique devotione semper obtemperavisse. Ac reapse in animo cujuscumque ingenui Societatis filii floret vigetque devotio erga SSmum Cor Jesu; ardet ille zelo longe lateque propagandi cultus hujus. Haud sane usquam invenies in Societate cellam adeo pauperculam, ut in ea honorifice collocatum non videas Jesu Cordis imaginem aliquam, qua colenda Socius ille Jesu promissam a divino Rege benedictionem laborum suorum, in juvandis animabus collocatorum, sibi conciliare obtendat. Sed neque collustrans porro vel remotissimas Societatis Missiones, Sacellum vel Oratorium ullibi repereris, in quo dulcissimi Jesu Cordis imago locum sibi aliquem vindicans praecipuum, fideles christicolas non invitet ipsis Domini verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.* Ubi quidem primum ad Christiana sacra accessit catechumenus, aptis propositum modis ediscit, quanti sit habenda Jesu Cordis veneratio, quam amplis gratiae thesauris inde homo Christianus quilibet ditandus; quo fit ut intimis animis mox colant Cor Jesu, quicumque ad Ecclesiam Christi sollicitis Nostrorum curis ac laboribus deducti fuerint, sive Afer ille est, sive Indus, sive Sinensis. Immo vero, ut prosperis rebus floreat nostrorum Missionariorum ubilibet impensa efferis hominibus opera, tribuendum illud jure censebimus cultui SSmi Cordis Jesu, a Sodalibus nostris impigre propagato.

Nec minus illud, ex ipsius quidem Christi Domini verbis diuturnoque rerum usu, dicendum erit de laboribus iis, quos Nostri inter fideles passim hoc saeculo collocarunt. Etenim si in Europa Societas, si in America, si alibi, inter nationes cultu atque humanitate ornatas, etiam hodiedum suam ponit operam plurimam, si usque crescit Nostrorum ad Christi res procurandas numerus atque auctoritas, dubium non videtur ullum, quin tribuendum illud ut plurimum sit Societatis diligentiae, in propagando Jesu Cordis

[1] *Epist. de Cultu Cordis Jesu. Epist. Gen. III,* p. 5, 8 ss.

cultu. Quis enim in diversas orbis terrarum nationes devotionem hanc ita invexit atque promovit ut reapse illa popularis jam dici possit? Nonne illud, maximam quidem partem, praestitit nostra minima Societas, qua Christus Dominus tanquam instrumento uti voluerit, ut sui Cordis thesauros, hominibus passim expositos, distribueret? Singulas enim Assistentias perlustranti statim apparebit, e Nostris, etiam in restituta Societate, ubique a Christo Rege excitatos viros fuisse, qui, exemplo praeeuntes, ad eumdem cultum propagandum alios plurimos incitarent. Quo in genere paucos nominasse hic fuerit satis; ut in Gallia: Patres Gautrelet, Ramière, Franciosi; in Italia: Patres Roothaan, Franco aliosque plurimos; in Austria: Patres Hattler, Patiss, Schmude, Nilles; in Germania: Patres Dosenbach, Devis, Hausherr, Lehmkuhl, Meschler, Nix; in Neerlandia: Patrem Stokvis, ac maxime Patrem Pierik; in Belgio: Patres Dufau, Adulphum Petit; in Anglia: Patres Gretton, Bearne; in Hispania: Patrem Eugenium Uriarte, alios omnino plurimos; in America: Patres Sestini, Franciscum Brady, Wynne, O'Rourke; in Australia: Patrem Watson; in Hibernia: Patres Cullen, McDonnell.

Sodalium autem semper succrescens ardor ille continuo praeterea fovebatur tum a Superioribus Societatis tum ab ipsis Romanis Pontificibus. E quibus Pius IX Societati, anno 1870, concessit ut festum Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu duplicis primae classis cum octava celebraret. Quam gratiam concedens Pontifex: « Alumni Societatis Jesu, inquit, jam inde a tempore, quo B. Margarita Maria Alacoque, divinitus illustrata, investigabiles divitias Sacri Cordis amantissimi Redemptoris hominibus magnificare coepit, plurimum allaborarunt, qua scriptis, qua praedicatione, qua exemplo, ut ipsius Sacri Cordis devotionem promoverent et cultum per orbem propagarent. Ut autem in hoc ministerio exercendo, quod veluti sibi proprium praefatae Societatis alumni reputant, ardentiori in dies zelo inflammentur », Sanctitas Sua se precibus Reverendissimi Patris Petri Beckx inductum dicit ut specialissimam istam gratiam clementer concedere dignaretur [1].

Quam Societatis filiorumque ejus diligentiam Congregationes quoque nostrae Generales, editis decretis, confoverunt. Jam enim Congregatio illa Polocensis II, quae anno 1785 celebrata fuit, statuit ut: « Praeter triduanam ante festum SSmi Cordis devotionem,

[1] *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 423.

a piae memoriae R. P. Nostro Stanislao Czerniewicz praescriptam, adderetur singulis diebus oratio de SSmo Corde post Litanias de Omnibus Sanctis »[1].

In annalibus porro Societatis, hoc in genere, celeberrima est Congregatio Generalis XXIII anni 1883. Ibi enim scripta haec legimus: « Tamquam felix ac fausta conclusio laborum offertur Congregationi postulatum ad cultum SS. Cordium Jesu et Mariae inter nos augendum et promovendum. Lecto autem Patrum Deputatorum judicio, omnes Patres assurgentes, unaque voce acclamantes, probaverunt quae sequuntur: 1.° Declarandum esse, Societatem Jesu lubentissimo et gratissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere, a D. N. Jesu Christo ipsi commissum, devotionis erga divinissimum Cor suum colendae, fovendae ac propagandae. 2.° Statuendum ut dies festus SS. Cordis Jesu inter sollemniores in Societate habeatur, et quotannis majori, qua fieri possit, pompa celebretur, renovata eodem die in singulis Domibus oratione abhinc paucis annis ab Adm. Reverendo Patre Nostro praescripta, qua Societas se totam SS. Cordi Jesu devovit ac sacravit »[2].

Quam declarationem universa Societas maximo cum gaudio ita accepit, ut reapse dies festus SS. Cordis Jesu inter sollemniores ubique in ea habeatur. Plerisque enim locis, novemdialis isti diei praemittitur devotio, concionibus aliisque piis exercitiis habendis, ad quae frequens undique concurrit Christifidelium multitudo, intimo animi affectu fungentes ipso illo consecrationis actu, quem Leo PP. XIII in universo Catholico orbe fieri jussit; dum intra domesticos parietes Superiores quilibet nostri, cum Sodalibus omnibus coram Sanctissimo exposito genuflexi, universae Societatis factam SS. Jesu Cordi sollemnem consecrationem iterando renovant.

Quae festi sollemnitas paulatim ad integrum Junium mensem propagata est, ipsius quoque Societatis praecipuis curis, per universum Catholicum orbem devotionem hanc confoventis. Etenim non solum plurimos ubique pios libros Sodales nostri scripserunt, quibus ista pietatis exercitia valide promoverentur, verum etiam religiosi hominum coetus eo fine in Templis coguntur; ita quidem ut, tum in ipsis nostris Templis plurimis laudes SS. Cordis, interdum singulis Junii diebus, concione celebrentur, tum etiam e nostris praestan-

[1] *Ibid.*, p. 455.
[2] *Instit. S. J.*, Tom. II, p. 511.

tioribus concionatoribus non pauci requirantur, in aliorum templis de Jesu Corde verba ad populum facturi. Verbo, dubium non est, quin Societatis nostrae homines, jam ipsa sua vocatione, tanquam Jesu Cordis apostoli passim habeantur.

Ejusmodi porro devotionis propagandae quasi novum instrumentum Societas, saeculi proxime superioris parte priore, accepit: *Apostolatum* dico *Orationis*. Qui quidem pius coetus in ipso Societatis quasi sinu, Valsensi nimirum in Gallia Scholasticatu, anno 1844 ortum habuit. Cum enim eximius ille Jesu Cordis amicus, Pater Franciscus Xaverius Gautrelet (ob. 1886), qui in Collegio Valsensi spiritus Praefectus tunc erat, probe nosset ad apostolicum in Missionibus laborem exercendum multos Scholasticos anhelare, sanctam illam voluntatem fovere ipse cupiens, Orationis Apostolatum, mente a se conceptum, die 3 Decembri, qui Sancto Francisco Xaverio sacer erat, habita ad Scholasticos concione instituit. Ac lubentissimis quidem animis omnes statim novum hunc apostolatum adierunt, qui, Indiarum Apostoli patrocinio, in universum orbem aliquando propagandus erat.

Initio igitur inter solos Scholasticos pia ejusmodi devotio colebatur, dum videlicet singulis mensibus manu exaratum circumferebant folium, quo, septem punctis distinctae, menstruae intentiones propositae erant. Mox tamen aliae quoque religiosae communitates atque Congregationes universae ad eamdem piam praxim accesserunt, ut anno jam 1852 Pater Henricus Ramière (ob. 1884) coetus hujus commentarium autographice exaratum moderaretur, cui nomen: *La Petite Correspondance*. At cum deinceps, quo tempore persecutio religionis saeviebat orationisque major urgebat necessitas, res tamen aliquamdiu parum prospere procederent, jam Pater Gautrelet auctor fuit Patri Ramière, ut novas huic operi vires addere conaretur. Qui igitur libellus, anno 1846, a Patre Gautrelet lucubratus fuerat, *Apostolat de la Prière*, cujus etiam altera editio atque anno 1849 quoddam excerptum prodierat, eum retractatum ita suis ipsius cogitatis admiscuit Pater Ramière, ut, anno 1860, Lugduni librum illum suum ederet, cui nomen: *L'Apostolat de la Prière, sainte ligue des cœurs chrétiens unis au Cœur de Jésus pour obtenir le triomphe de l'Eglise et le salut des âmes*. Ac vix quidem toto saeculo XIX librum prodiisse inveneris, cujus tam prosper fuerit successus. Quo facto, non modo ad eximiam prosperitatem

Pater Ramière pium istum coetum evexit, verum etiam eumdem adtemperavit ratione faustissima [1].

Etenim « propositum Patri Ramière hoc fuit, ut ex Apostolatu Orationis faceret *Apostolatum Cordis Jesu*, atque per consociationem illam constitueret divini hujus Cordis Foedus ». Qui posteaquam ostendit, Apostolatum ita debere zelo apostolico animari ut, in unum quasi fasciculum colligatae, quaecumque sunt Christianorum vires, ad finem illum omnium praestantissimum conspirent, divinae inquam gloriae his in terris triumphum, sic pergit: « Cui quidem procurando operi *Nuntius Cordis Jesu* tanquam instrumentum periodicum destinatur. Quod si quaesierit quispiam, quare periodicum istud Apostolatus Orationis hoc ipso nomine *Nuntii Cordis Jesu* prodeat, id ita factum respondebimus quia istud solum illi nomen convenire constat. Etenim ipso Apostolatu Orationis aliud non fit quam ut quae sunt Jesu Cordis utilitates intentionesque, eas nostras intentiones atque utilitates faciamus; quo modo devotio istius divini Cordis suis numeris plene jam absolvitur, quippe quae non certis quibusdam orationis formulis recitandis vel singularibus aliquot eliciendis actibus constet, verum ad intimum ipsum animum ita pervadere debeat, ut jam non alia sentiamus in nobis quam quae sunt in Christo Jesu. Jesu igitur ipso divino Corde ita maxime moveatur oportet Orationis Apostolatus, ut ei exemplar simul prostet perfectissimum praevalidusque stimulus, vivum inquam atque revera divinum vinculum, quod nullis unquam creatis viribus sive abrumpi sive relaxari possit ». Qui alio loco iterum: « *Apostolatus Orationis*, inquit, idem nobis valet quod *Apostolatus Cordis Jesu* » [2].

Quoniam igitur, viribus ita instauratus atque evectus Apostolatus Orationis, e sententia Patris Ramière, erat ipsum *Foedus et Societas in honorem Sacratissimi Cordis Jesu Christi*, jam fieri deinceps solebat ut Nuntius ille (*Messager*) pro Jesu Cordis rebus quasi causam diceret singulis mensibus, ejus attributorum juriumque memoriam renovaret, voluntates ejusdem atque optata explicando proponeret, e vero dictus ille *Nuntius Sacratissimi Cordis Jesu.*

Quae porro ipsa etiam indoles est commentariorum illorum

[1] Cf. *Sommervogel*, in V. *Gautrelet-Ramière*.
[2] *Messager du Sacré Cœur*, 1886, p. 723 ss.

omnium, qui, quocumque demum nomine inscripti, ex eadem norma paulatim exstiterunt. Numero illi quidem sunt 39, e quibus ad Societatis curam pertinent 25 [1]. Divinitus autem auspicia huic operi faustissima fuisse vel eo apparet, quod societatem vix ullam reperies, quae in animis piorum Christianorum sive tam cito radices egerit sive tempore adeo brevi ad summum splendorem pervenerit. Nec tamen est cur tam mira ea res videatur, quippe cum ipse Jesus devotionem Cordis sui his ipsis temporibus reservaverit. Qua de re, anno 1861, scribens Pater Ramière: « De foedere, inquit, Apostolatus Orationis, undequaque auspicandum videtur, fore ut latissime aliquando propagetur; cui rei qui operam praestiterit, ab eodem Dei providi consilio promoveri putandum omnino est » [2]

Quae spes eum minime fefellit. Anno enim 1878, mirabiles progressus Apostolatus Orationis laeto ille gratoque animo commonstrans: « Inde a Junio mense 1861, inquit, nova jam coeperat aetas Apostolatus Orationis. Ut enim ad illud usque tempus et lenta propagatio ejus fuerat et obscura vita, ita rapidi abhinc progressus et fructus uberrimi. Ex illis montium latebris (Velay), ubi ortum acceperat, illico et quasi ictu oculi per universos Galliae Dioeceses propagari coepit; tum deinde brevissimo temporis spatio in Belgium pervasit, in Germaniam, in Angliam, in Hiberniam, in Italiam, in Hispaniam, in Neerlandiam, in Poloniam; mox etiam, Oceanum transmissus, in utraque America institutus est; tum in Africae coloniis omnibus Asiaeque Missionibus conditus; ad ipsam denique Australiam propagatus, Oceaniae populos illos, ad fidei lumen vixdum adductos, apostolico zelo accendit. Paroeciarum igitur religiosarumque communitatum, quae coetui aggregatae adhuc (1873) fuerunt, sunt amplius 20.000 ». Qui, anno 1886, duplicatus numerus erat, ut earum recenserentur 40.000. Jure igitur scribi eodem anno potuit, intra spatium annorum 30 exstitisse laetiores progressus quam per duo saecula fuissent. Atque ab illo etiam tempore augebatur deinceps continuo illa Cordis Jesu devotio [3].

At satiari tamen fructibus illis ardens Societatis zelus non poterat. Anno quippe 1870, Romae commoratus Pater Ramière, ad

[1] Vide supra, cap. VII.
[2] *Messager du Sacré Cœur*, 1886, p. 730-731.
[3] *Ibid.*, p. 731 ss.



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Concilium Vaticanum theologus, iterum ac vehementius persuasit sibi: « Isto maxime omnium tempore opus hominibus esse remedio illo supremo, quod, in Cordis Jesu devotione positum, S. Joannes olim ostendisset S. Gertrudi ». Libellum igitur supplicem paravit, quo a Pio PP. IX peteret: « Ut ad gradum liturgiae ecclesiasticae summum Sanctitas Sua evehere dignaretur festum Cordis Jesu, atque etiam sollemni ritu, una cum Concilii Patribus omnibus, Ecclesiam universam divino illi Cordi, ipsius festa die, consecraret ».

Inceptum porro tam strenue promoverat Pater Ramière, ut, quo die ex improviso abrumpi Concilii celebratio debuit, libello supplici jam subscripsissent Episcopi 272, remque decernendam ipsis Patribus relinquere Pius IX vellet. Verum, quae homines exordimur, decidit Deus. Cum enim Galliam inter et Germaniam bellum exarsisset, ad exitum res suscepta perduci non potuit. At nihilo tamen minus Episcopi multi eorum, qui libello supplici subscripserant, in patriam reduces, dioeceses suas Cordi Jesu consecrarunt; quod exemplum secutae porro sunt domus, communitates, congregationes plurimae. Augusto deinde mense 1874, in periodico *Messager* praestituta intentio haec est: « Urbis atque orbis facienda Cordi Jesu consecratio ». Perfecit quoque Pater Ramière, ut lucubrati a se operis theologici commentarium Cardinalis Franchi porrigeret Summo Pontifici, dum ex orbe universo interea multorum significabatur consensus, quem supplici libello adhibebant. Ab ipso quidem Moderatore periodici *Messager* testimonia ejusmodi recepta sunt 534 Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium; ac praeterea eorum, qui Religiosorum Ordinum Generales Praelati erant, assensiones 23. Die tandem 22 Aprili 1875, ab ipso Pio IX, vivae vocis oraculo, haec verba retulit Pater Ramière: « Faciam quod desideras ». Secutum brevi decretum Congregationis Rituum. Compositam deinde a Patre Ramière, una cum Patre Vasco, formulam consecrationis universalis, Pontifex ipse retractavit approbatamque commisit Patri Ramière, ut ipse eam, Moderator Apostolatus Orationis, universis Catholici orbis Episcopis publice promulgaret; dum ad ipsius Urbis paroecias et basilicas omnes Cardinalis Vicarius, Sanctissimi Patris nomine, eamdem invitationem mittebat.

Die proinde 16 Junio 1875, Romae ad Sancti Petri et in universis Ecclesiis paroecialibus 50, ac porro per orbem universum, instituta est consecratio illa sollemnis, qua Cordi Jesu dicarentur

Ecclesiae ubique omnes. Intercedente tamen Patre Ramière concessum ut, quae longinquiores Missiones essent, ad diem ejusdem anni 26 Decembris consecrationem suam differrent. Per quam occasionem insignes ubique sollemnitates triduanaeque devotiones celebratae sunt, quibus ad rem tanti momenti congrue peragendam disponerentur. Istis vero diebus cerneres sacro quasi ardore correptam Ecclesiam Christi Catholicam, ut vel ipsi adversarii ejus: « Mirarentur, unde tam vehemens omnium commotio oriri tandem potuisset ». Suggerente nimirum Spiritu Sancto orta illa fuerat!

Ubi autem summo splendore peracta sollemnia fuerunt, scribens ad Patrem Ramière Illmus Dominus van den Berghe: « Tuis maxime curis, inquit, Beatissimo Patri oblata petitio fuit, ut Jesu Cordi fieret consecratio illa, quam 16 Junio celebravimus. Mihimetipsi igitur simul atque tibi, Reverende Pater, gratulor, quod electus tu fuisti, qui ingentem illam Ecclesiae utilitatem procurares. Nosti me Societati Jesu esse addictissimum atque gaudeo vehementer, impletam nunc videns, quam promissionem Dominus Noster Beatae Margaritae Mariae dederat. Ex ista enim divina revelatione Societati Jesu, haud minus quam Ordini Visitationis, hoc commissum mandatum est, ut devotionem Sacri Cordis propagaret. Quae res conspicuis plane modis nunc impleta exsistit » [1].

Cui ingenti operi perficiendo ut se quasi aptaret, ipse Moderator Apostolatus Orationis plurimam auctoritatem jam antea exseruerat in praeparandis rebus omnibus, quae ad excitandum Templum illud pertinebant, cui nomen factum est: *Vœu national de Mont-Martre.* Ac reapse jam anno 1870 Pater Ramière commentarium scripserat validissimum: « *Protestations des Catholiques français et Vœu au Cœur de Jésus pour obtenir la délivrance de Rome et de la France* ». Cui operi posteaquam Summus Pontifex benedixit, vires omnes periodici sui admovit Pater Ramière: egregium sane rei perficiendae auxilium, quippe cum in universo orbe propagati libelli essent. Proinde haud immeritae gratiae Patri Ramière postea saepius relatae fuerunt [2].

Societas Jesu, sicut ceteris rebus omnibus ad Sacrum Cor Jesu pertinentibus propagandis adlaborabat, ita diligenter quoque favebat piae isti Societati, cui nomen factum erat: *Garde d'honneur*

[1] *Messager du Sacré Cœur*, 1886, p. 749 ss.
[2] *Ibid.*, p. 55 ss.

*du Sacré Cœur de Jésus*. Quae anno primum 1868 condita est in monasterio Ordinis Visitationis loci Bourg (Ain). Julio porro mense ejusdem anni, e Nostris aliquis Londinum eamdem invexit; dum Pater Ramière ipse effecit ut, mutua quasi necessitudine devincta, Societas illa et Apostolatus Orationis inter se adjuvarent. Cui utrique operi favere ita deinde perrexerunt Sodales nostri, ut, eorum adnitente labore, uberes ubique fructus proferrentur [1].

Aliud praeterea devotionis exercitium est, quod, a Christo Domino Beatae Margaritae commendatum, Societas nostra diligenter promovit. *Horae sanctae* nomine propterea illud dicitur, quod unius horae nocturnae spatium, inter feriam V et feriam VI medium, orando meditandoque ducitur, mente videlicet conjuncta cum oratione illa, quam in horto Oliveti Christus Dominus, morti proximus, fudit. Qua in re imitati B. Margaritam Mariam sunt homines nonnulli pietate conspicui, privato tamen exercitio, dum anno tantum 1829, Paredii scilicet condita sodalitate, in publicum Christifidelium usum pervenit. Rei instituendae auctor fuit Pater Robertus Debrosse, qui praeerat Residentiae Paredianae, a Nostris anno proxime superiore denuo occupatae. Eodem illo anno 1829, Pius VIII indulgentiam plenariam, at solis Paredianis sodalitatis sociis, concessit. Quae tamen indulgentia anno 1830 ad Dioecesim Augustodunensem, atque anno deinde 1832 extensa est ad universos Christifideles illos, quorum nomina Parediano sodalitatis albo inscripta fuissent. Religiosis autem communitatibus, ut simul integrae inscriberentur, concessum [2]. Immo vero anno 1875 omnibus Apostolatus Orationis sociis indultum privilegium est ut, etiam albo non inscripti, indulgentiam tamen lucrari possint.

Paucis post annis, Pater Victor Drevon operam adhibere coeperat promovendae *Communioni*, quae dicitur, *reparatrici*, cujus quidem brevi tempore, auxiliantibus Apostolatu Orationis et periodico *Messager*, propagatio facta est amplissima. Quibus rebus ipsis omnibus majus semper ac majus robur accessit his verbis, quae quasi vaticinando B. Margarita Maria elocuta erat: « Mihi, inquit, Jesus Christus manifestavit, ita quidem *ut ea de re dubium sit nullum*, maxime per Patres Societatis Jesu velle se solidam devo-

[1] *Ibid.*, p. 208 s.

[2] Horae quoque major commoditas indulta, ut sive in pervigilio vespertino sive usque ad horam VI matutinam exercitio illo fungi quis possit.

tionem hanc ubique stabiliri, qua servorum fidelium infinitus numerus ipsi efformetur ».

Porro anno 1848, Pater Joannes Lyonnard, Cordi Jesu honorem exhibiturus moribundisque laturus opem, diligenter procuravit ut institueretur *Sodalitium Cordis Jesu in agonia facti.* Quod brevi augmenta validissima fecit, atque orta etiam est, ad eamdem promovendam, sanctimonialium feminarum Congregatio. Cum autem Sodalitii sedem principem Pater Lyonnard in ipso loco condi cuperet, ubi Christus Dominus fuerat angore correptus, supplex ea de re adivit Illmum Dominum Valerga, Patriarcham Hierosolymitanum, qui in ipsa sua Urbe legitime erexit *Sodalitatem Agonizantis Cordis Jesu compatientisque Cordis Mariae.* Cujus condita est sedes princeps altera Lugduni, Moderatorque factus e Nostris unus. Porro diligentibus curis iidem promovent Sodalitatem hanc, quae etiam indulgentiis plurimis fuit ditata [1].

Hoc autem Christus Dominus, revelando Corde suo Sacratissimo, sibi quam plurimum proposuit, ut Venerabilis Sacramenti cultus et sacrae Communionis frequentia congruis rationibus augeretur. Ac sane ubi devotio Cordis Jesu floruerit, dubium non est quin *frequens Communio* brevi promoveatur; quare mirabitur nemo, Societatis nostrae Patres, ut cultui Cordis Jesu, ita etiam frequenti atque *cotidianae Communioni* operam dedisse impigerrimam. Rem promovere, ab anno 1865, imprimis studuit *Pater Leonardus Cros*, instituto juvenum foedere, cui nomen dedit *Milice du Pape dans les maisons d'éducation.* Quae sodalitas posteaquam in aliquo Collegio nostro ortum accepit, indulgentiis mox ditata, quamquam contra nitentibus non paucis, sua tamen augmenta faciebat, ut nonnulli Societatis Patres ei se socios laboris adjunxerint. Ad finem autem vergente saeculo XIX, etiam inter adultos sacrae communionis frequentiam promovere inceperunt. In Belgio diligentissimam operam huic rei impendens, Pater Julius Lintelo adversarios quoque nactus est satis vehementes. At paulatim tamen, qui frequentis atque cotidianae Communionis patroni erant, rem ita evicerunt, ut propugnatorem ejus invenerint augustissimum, ipsum Pium PP. X. Die quippe 20 Decembri 1905 editum est celeberrimum illud Congregationis Concilii Decretum, quo ipsa cotidiana Commu-

[1] Beringer, *Les Indulgences*, II, p. 186 ss.

nio, certis quidem adimpletis conditionibus, quam maxime commendatur. Qua etiam mente, 8 Augusto 1910, decretum est de prima parvulorum Communione maturanda.

Pium denique exercitium *Communionis Generalis* jam ante suppressam Societatem a Patribus nostris in Italia ita usurpabatur, ut in diversis identidem Ecclesiis componeretur sollemnitas, per quam hominum multitudo ingens sacris mysteriis communicarent. Cui operi Pontifices, additis indulgentiis, enixe faverunt. Sed restitutae quoque Societatis Sodales, suis praesertim Congregationibus, quoscumque poterant conatus eo contulerunt. Ita factum etiam est ut, 3 Januario 1886, Leo PP. XIII, dato Brevi *Nihil adeo*, plenariam indulgentiam iis impertiretur, qui, peracta Communione istiusmodi generali, ad intentionem Summi Pontificis orarent, in aliquo sive nostro sive alieno Templo, ubi, moderante e Nostris Patribus aliquo, Communionem generalem instituissent [1].

Quoniam autem Christi amore amor Mariae, Sanctissimae Matris ejus, simul confoveri solet, jam a primis initiis cum devotione Sacratissimi Cordis Jesu et Apostolatu Orationis conjunctus erat cultus purissimi atque immaculati Cordis B. Mariae Virginis. Ac reapse in eo, qui liber manualis pro Apostolatu Orationis editus fuerat, ipsum secundum caput utrique devotioni colendae tribuebatur; et periodico *Messager* additus deinde est fasciculus alter: *Petit Messager du Cœur de Marie*. Galliae exemplum secuti brevi sunt in Hispania, in America, alibi; ac vel ipsi separati commentarii alicubi prodierunt. Ceterum in universa Societate nostra Purissimum Cor Mariae jamdudum coli summa cum pietate solebat. Cui rei testimonium accedit validissimum Epistola illa Encyclica, quam *De Cultu Purissimi Cordis Mariae* Pater Roothaan scripsit. Ait enim: « Ubi primum Cordis Jesu cultus divino numine publice haberi coepit, mox etiam cultus purissimi Cordis Mariae frequentari inter fideles non cessavit. Nec minus Societas, quae sese totam esse Mariae inde a parente Ignatio professa semper est, uti Jesu Cordis Sanctissimi, ita et cultum Immaculati Mariae Cordis promovere nunquam destitit. Addite, Patres et Fratres carissimi, quae hisce postremis annis Deus non obscura dedit suae voluntatis indicia, tam multis editis prodigiis per institutam Parisiis sodalitatem

[1] *Ibid.*, p. 367 s.

sub invocatione Purissimi Cordis Mariae pro conversione peccatorum [1], quae brevi tempore fructus salutis per universum orbem tam amplos tamque mirandos protulit, ut nihil simile in annalibus Ecclesiae per omnia retro saecula reperiatur. Addite quod nos ipsi Romae, anno 1837, experimento didicimus, quam sit in materno Mariae Corde praesidium efficax et salutare. Scilicet in lue Asiatica Romae tum furente, cum ter centum eoque amplius Socii in Urbe essemus, quorum plerique per omne tempus quod lues tenuit, inter aegros et moribundos, interque etiam cadavera infecta versarentur diu noctuque, voto nuncupato in hujus purissimi Cordis honorem, patrocinium potentissimum ita sensimus, ut non modo neminem amissum lugeremus, sed ne tactum quidem morbo habuerimus vel unum e Sociis, praeter omnem sane exspectationem, ac secus omnino quam alibi acciderat; ut nihil dicam de potiore etiam Matris optimae favore, quae tales inter illa pericula timidis etiam maxime ac trepidantibus Sociis animos indidit, ut nemo fuerit qui non libenter lue tactorum auxilio et solatio sese impenderet ac superimpenderet, totius Urbis non minore admiratione quam aedificatione gratique animi significatione sollemni. Quam ergo Mater clemens et pia, sub immaculati Cordis sui nomine invocata, in illo periculo opem tulit, hanc in praesenti etiam calamitate allaturam, quidni fidenter speremus? » [2].

Haec quidem Pater Roothaan, luctuoso isto anno 1848, cum Societati quietae consistere fere nusquam licuit. Qui, filios suos cohortando ut invictam fidem purissimo Mariae Cordi haberent, spe sane dejectus non est; illis enim ipsis litteris factum ut, quae Nostrorum animis pridem vigeret devotio, ea Societati plane propria evaderet. Anno quippe 1832 Pater Roothaan jam impetrarat ut festum purissimi Cordis B. V. Mariae, Kalendario Societatis appositum, celebre haberetur Dominica post Octavam Assumptionis. Ac porro Congregatio Generalis XXIII (1883) in haec verba decrevit: « Statuendum, ut die 5 Decembris proximi anni, quo occurrit dies festus saecularis, quo Prima Primaria Congregatio Mariana constituta est, Societas, quemadmodum sollemniter Sacratissimo Cordi Jesu se totam devovit ac sacravit, sic etiam sollemniter se totam devo-

[1] Dicit Archiconfraternitatem illam Dominae Nostrae de Victoriis, in Templo hoc conditam, anno 1836, a Rev. Dom. curione Desgenettes.

[2] *Epist. Gen.*. Tom. III, p. 24 ss.

veat ac sacret SS. Cordi B. Mariae Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluit, colit ac colet » [1].

Die denique 11 Julio 1896 a Congregatione Episcoporum et Regularium approbata sunt *Statuta piae Societatis Apostolatus Orationis;* quorum statuto VII ita fertur: « Sedes princeps seu centrum Societatis constitutum est Tolosae. Moderator vero Generalis est ipse Praepositus Generalis pro tempore Societatis Jesu, qui munus suum delegare potest alii a se deligendo, qui Tolosae resideat ». Tum Statuto VIII: « Praeter Moderatorem Generalem erunt quoque Moderatores dioecesani et praefecti singularum Societatum. Moderatores dioecesani, qui designandi sunt ab Ordinariis locorum, intra fines Dioeceseos constituentur vel a Praeposito Generali pro tempore Societatis Jesu vel a Moderatore Generali, quem ipse Praepositus Generalis delegavit Tolosae » [2]. Atque his quidem partem impleta erat, quam voluntatem multi diu animis foverant.

Cavendum tamen omnino ne quis, rem in majus exaggerando, putet Apostolatum Orationis esse eadem ratione opus Societatis proprium, qua id de Congregatione Beatae Mariae Virginis et de Congregatione Bonae Mortis praedicandum venit. Haud enim quaecumque intra Societatem salutaria et laudabilia exorta sunt, haberi oportet ita Societatis propria ut ipsa Societas in Congregatione Generali tanquam sua ipsius ea reputaverit. Suam igitur diligentiam Sodales nostri cum laude exercent, dum pium illud foedus passim, cum triduanarum etiam devotionum sollemniis, erigunt, concionibus habendis praedicant, atque Operariorum nostrorum illud reputant utile admodum opus; simul tamen hoc ipsum firmiter secum statuunt, nequaquam Apostolatu Orationis exercendo quasi absolvi solidam illam Cordis Jesu devotionem, sed esse etiam, atque id quidem maxime, praeter Orationis Apostolatum, in sacrificiis omnimodis, in continuis arduisque laboribus, exemplo quidem Jesu Cordis ducendam vitam. Quo pacto qui Apostolatum Orationis promovent, sane rem illi praestant egregiam piis ejusmodi exercitiis obeundis atque diligenter propagandis, etiamsi *a nulla unquam Congregatione Generali tanquam Societatis opus maxime proprium declarata illa fuerint.*

At vero proprium Societatis nostrae opus omnino hoc est, ut

[1] *Decr. Congr. Gen., Congr. XXIII, decr. 46,* in *Instit. S. J.*, Tom. II, p. 511.
[2] * *Bullar. S. J.*, Tom. II, p. 540, 542.

summa cum diligentia excolantur atque tradantur *Exercitia Spiritualia* S. Patris Ignatii. Etenim: « Donum ea esse singulari Dei beneficio Sancto Patri nostro Ignatio concessum, et per illum Societatis nostrae proprium, nemo ignorat. Ab his potissimum ipsum hunc Societatis Parentem suam illam hausisse eximiam sanctitatem, in his Societatis formandae ideam divinitus eum concepisse, haec Socios ei peperisse in Christo, in his proinde conceptam fuisse Societatem, ex his natam, his adolevisse, his praecipue altam ac sustentatam fuisse; haec unum ex praecipuis esse praesidiis, quibus ad salutem ac perfectionem proximorum conniti debeamus; et quaecumque Societas adhibet ad finem suum consequendum media, in omnibus suis ministeriis, in omnibus operibus zeli, ex his eam haurire vim et efficaciam debere, in comperto est. Quod si Societas hisce Exercitiis in primis Parentem suum acceptum referre debet, his ejus primos Socios (quales quantosque viros!) his Constitutiones suas, coelestis plane sapientiae opus, his se totam suaque omnia, non est profecto quod pluribus verbis demonstremus, quanti eorum tractatio momenti sit ad Societatis nostrae conservationem et incrementum » [1].

Haec quidem Pater Roothaan scripsit, anno 1834, qui erat restitutae Societatis unus et vicesimus. Ac dubium profecto non est quin ipse, qui secundus Societatis fundator saepius vocabatur, unus omnium maxime Exercitiorum Spiritualium studium atque cultum in restituta Societate promoverit. Quem librum plane mirabilem litteris illis suis encyclicis vehementer commendans, simul etiam ostendit, qua via ac ratione utilitatem ex eo quisque capere possit maximam; ostendit quas methodos orandi facillimas itemque efficacissimas libro illo doceamur; quam sint praecipui momenti proposita in eo documenta vitae spiritualis; quam porro admirabilis libri ordo; quam efficaces atque ignem quasi spirantes sententiae ejus, in utroque de peccatis exercitio, in contemplatione de Christi Nativitate aliisque complurimis. Societatis igitur filios enixe adhortatur ut Libro Exercitiorum, non speculando tantum, sed imprimis agendo, studium omne impendant atque intelligant penitus doctrinam ejus omnem referri ad propriam sui ipsius abnegationem. Illa quidem via Patres nostros ad eximiam vitae perfectionem eluctatos esse et fructus in Ecclesia Dei fecisse uberrimos.

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 367.

Tum denique scribendi finem faciens haec ait, quae verba restitutae Societati insignem utilitatem attulerunt: « Quapropter oro vos per Sancti Patris Ignatii reverentiam, cui, post Jesum et Virginem Matrem, nos nostraque debemus omnia; per amorem Societatis, cujus incrementa et successus, non a quibuscumque naturalibus aut humanis praesidiis, non a splendore doctrinae aut eloquentiae, non ab hominum quorumcumque favore, sed ab ejus vero in nobis conservato renovatoque spiritu pendent; per salutem ac perfectionem cujusque propriam, quae nobis omnibus summopere cordi esse debet, quippe quibus in hac vocatione bonis piisque Christianis esse profecto non sufficit; per Ecclesiae sanctae necessitates tantas, quibus aliquam a nobis adferri opem suo jure Mater optima postulat et exspectat; per animarum pretiosissimo Christi Jesu sanguine redemptarum salutem, quibus juvandis sacramentum in hac Christi Ducis militia diximus: oro vos atque obtestor, ut tam praeclarum, tam efficax ad tanta bona consequenda subsidium, quod nobis in Sancti Patris Exercitiis traditum est, et studiosa complecti mente, et diligenter adhibere, documentaque in iis tradita ad effectum usumque perpetuum et quotidianum in vobis ipsis deducere, quanta possitis industria et conatu, ad Patrum nostrorum imitationem, satagatis. Et quoniam non in industriis nostris nostrisque conatibus, sed in divinae gratiae auxilio potissimum hujus tanti boni consequendi spes sita est, juxta ipsorum Exercitiorum doctrinam, divina haec auxilia studiose et ardenter petamus: ad Virginem scilicet gratiae Matrem confugientes, et per Mariam ad Jesum Mediatorem Dei et hominum, et per Jesum denique ad Deum Patrem benignissimum accedentes »[1].

Anno deinde 1835 Pater Roothaan ipsum Librum Exercitiorum edidit, hac ei facta inscriptione: *Exercitia Spiritualia S. Patris Ignatii Loyolae cum versione litterali ex autographo Hispanico;* cui editioni epistolam illam suam encyclicam *De Spiritualium Exercitiorum S. P. N. studio et usu*, ad Societatem jam antea datam, denuo praemisit. Qui ampliores explanationes, de Libro Exercitiorum interea lucubratas, altera editione vulgavit anno 1838; nec porro, usque ad ipsum vitae suae finem, manum ab opera usquam removit, sed, continuo quae scripserat retractans, quintam tantummodo editionem (1854) certam dedit. Adnotationes autem

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 365 ss.

ejus pulcherrimae atque ad usum aptissimae quamplurimum contulerunt, ut praeclarus ille Liber Exercitiorum in meliorem Nostrorum cognitionem deduceretur, atque excoleretur fructuosius.

Ita factum quoque est ut, plurimorum e Nostris ardore stimulato, commentarii jam prodirent amplissimi, ut octiduana vel etiam 30 dierum Exercitia componerentur, ac denique investigationes diligentissime instituerentur de rebus omnibus, vel minimis, ad ipsum Librum ejusque originem, historiam, bibliographiam pertinentibus. Verum hic de bibliographia Exercitiorum Spiritualium dicendi locus non est; integrum enim libri volumen compleas lucubrationes praecipuas editionesque recensendo, quae a Societate restituta prodierunt. Satius igitur nobis fuerit in memoriam haec reduxisse: Post editum, anno 1850, a Patre Joanne Nepomuceno Stöger, librum: *Die Aszetische Literatur über die geistlichen Uebungen*, praecipuum eo in genere opus est, quae ab editoribus operis « Monumenta historica » Matriti paratur bibliographia editionum Libri Exercitiorum. Quae autem hoc ipso saeculo de Exercitiis Spiritualibus in lucem quotannis edantur, videri poterit in opere Patris Henrici Watrigant: *Collection de la Bibliothèque des Exercices de Saint Ignace* [1], cujus fasciculis XII, XXIV et XXXVI exhibetur bibliographia completa annorum 1904-1911. Nobis igitur cum laude commemorandus jam occurrit Pater Watrigant atque opus illius sociorumque ejus praestantissimum. Ac sane labor iste, cujus argumentum crescit in dies, non solum diligentissimis curis expenditur, verum etiam aegre quidquam reperies, quod de Libro Exercitiorum in Societate melius lucubratum fuerit, sive quoad intelligentiam sive quoad usum Exercitiorum. Sic igitur inspicienti atque inter se conferenti, quae a restituta Societate cum iis quae ante suppressionem Ordinis peracta hoc in genere fuerunt, haud scio an ulla unquam aetate tanta cum diligentia, quanta id his ipsis diebus videmus fieri, excultus atque in usum deductus S. Patris Nostri libellus ille fuerit.

Et de communi illo quidem Exercitiorum usu, qualis in popularibus Missionibus illis adhiberi solebat, quarum florentissima conditio saeculo proxime superiori erat, non est cur plura nunc denuo dicamus; ea enim de re sermo nobis antea satis amplus jam fuit. Profecto, quae Missionariorum nostrorum magis illustrium

[1] Enghien, 1906 s.

nomina etiam hodiedum omnium ore passim celebrantur, satis ostendunt, quam illi ingentem utilitatem verbo, consilio, exemplo olim procuraverint.

Porro *secessuum*, qui dicuntur, etiam post restitutam Societatem progressus exstiterunt prosperrimi. Nam ut ipsa Nostrorum Exercitia illa, quae a Nostris e Societatis lege obiri solent, silentio nunc praetereamus, suus cuique Provinciae numerus Sacerdotum sat magnus erat, qui in Exercitiis tradendis, alii saepius alii vix non semper, occuparentur. Qui tamen, sic etiam desudantes, confertissimae operae sufficere aegre valebant. Nam, ut pauca quaedam designando nominemus, Congregationum nostrarum numerus propemodum infinitus erat, vel quotannis vel altero quoque anno, sacris Exercitiis trium saltem dierum expiari spirituque promoveri volentium. Adde aliorum coetuum piorum petitiones frequentissimas; adde etiam, religiosam sollemnitatem vix ullam celebrari potuisse, quam sacro Exercitiorum triduo praeparari non cupierint; adde morem, qui obtinuit in dies frequentior, per Exercitiorum frequentationem disponendi eos, qui sive primam Sacram Communionem sive Confirmationis Sacramentum, sive sacras Ordinationes recepturi erant. Sacras autem Ordinationes nominando, jam alterum laborum nostrorum quasi campum ingressi sumus, dico eorum qui nominantur *Secessus clausi*. Qui enim, Sacerdotio initiandi, secessuum ejusmodi clausorum summam utilitatem semel perceperant, mox ultro eosdem coetus repetere plurimi cupiebant; ac paulatim res eo jam processit, ut in Dioecesibus orbis Catholici universis Sacerdotes omnes sacra haec Exercitia, clauso inquam secessu, vel quotannis vel altero quoque anno, obire soleant atque saepius etiam praecepto teneantur. Ac sane ipse Pius PP. X, 27 Decembri 1904, omnibus Urbis Sacerdotibus, ut tertio quoque anno Exercitia secessu clauso obirent injunxit [1]. Ceterum Sacerdotum illi secessus ita jam toto saeculo XIX unum e praecipuis Societatis operibus fuerant, ut ultimis tamen his annis, saepius semper atque instantius Sodales nostri illud obierint. Nec profecto facile quis aestimaverit, quam ingentem utilitatem Societas, rite adhibitis Exercitiis Spiritualibus S. Patris Nostri, in universum mundum per Sacerdotes illos exseruerit, quibus dictum fuit Christi verbum: *Vos estis sal terrae!*

Haud vero multum dissimilis ratio momentumve multo levius

[1] Breve *Experiendo plus, Annal. Eccl.*, Febr. 1905, p. 61.

eorum secessuum, qui a religiosis communitatibus sive virorum sivo feminarum, singulis jam annis obeuntur. Experti autem norunt nostri Sacerdotes vix non omnes, quam sit ille quum onere tum fructu plane gravis labor. Ac multi quidem, annum ex anno ducentes, saluberrimae operae isti ita incubuerunt ut ipsas vires suas exhaurire non dubitaverint; dum raros omnino invenies, qui posteaquam scientifico Collegiorum labori, decurrente scholari anno, dediti fuerunt, modo valetudine tantisper polleant, ipsum suum vacationum atque feriarum tempus tradendis Exercitiis non impendant lubentissimi. Quantae autem sint illius gravissimi laboris utilitates, nemo non videt. Ea enim ratione Societas in hominum genera vix non omnia influxum exserit maxime salutarem: in scholares, inquam, pueros puellasque, mediis utrorumque magistris; in aegrotos provectosque aetate homines, per eos qui hospitiorum curam habent; in caecos, in surdos eosdemque mutos, per sodales Congregationum illarum, quae miseriis hujusmodi sublevandis devoventur; in cultum, Deo oratione cantuque chori exhibitum, per eorum Ordinum Congregationumque homines, qui contemplationi intentam vitam agunt; denique vel in ipsam universam Christifidelium multitudinem, dum spiritualia traduntur Exercitia tot numero Ordinibus religiosisque institutis virorum, qui sacrum ardorem quem ab Exercitiis retulerunt, ipsi vicissim diffundunt per animas eorum, quos in vita religiosa vel Christiana habent dirigendos.

At directe quoque ad ipsam Christifidelium plebem Societas per Exercitia spiritualia pertingit in iis qui instituuntur *Secessus clausi laicorum*. Qui Exercitia tradendi modus vere Ignatianus tum in antiqua Societate, non cum singulis tantum hominibus, verum etiam cum integris coetibus, plurimum maximoque fructu usurpari jam solebat, tum etiam in Societate restituta vigere mox coeperat, dum suae cuique Provinciae, ut v. g. Romae ad S. Eusebii, Domus erant, quo recedere singuli homines possent, Exercitiis operam daturi. Atque in Belgio, quamquam inde ab anno jam 1840 multi viri Truncinium adveniebant, Exercitia singuli instituturi, communes tamen plurium secessus anno tantum 1864 usurpari ibidem coeperant, ex ordine deinceps continuandi atque augendi. Cui operi eximio egregius Moderator, inde ab anno 1866, praeerat Pater Adulphus Petit. Secessus sane hodiedum Truncinii quotannis instituuntur 11. Verum non in solo Belgio Sodales nostri labori huic instabant, quo

honestioris conditionis viri Exercitiis etiam communibus excolerentur. In nonnullis enim Provinciis, ratione haud multum dissimili, res eadem tractabatur, feriarum imprimis tempore, sive in ipsis Collegiis adjacentibusque Tirocinio aedibus, sive in quocumque demum commodiore loco.

Recentissimae autem adinventionis sunt *Secessus opificum*. Cui rei primus omnium admovit manum Pater Henricus Watrigant. Hic nempe, anno 1882, submissos sibi a Christianis patronis operarios primum collegit aedibus, quae dicuntur, Château-Blanc, in loco Galliae Septentrionalis Wasquehal, ac postea fixas operi sedes delegit eas, quae dicuntur Notre-Dame du Haut-Mont, in loco Mouvaux. Laboris igitur utilitates tantae brevi exstiterunt, ut patronus aliquis, eas in suis operariis admiratus, Septembri 1890, Leodii in Congressu verba faciens, haec exclamans diceret: « Si apostolos eos esse volueritis, curate ut peragant Exercitia Spiritualia ». Qua re vehementer perculsus, Illmus et Revmus Dominus Doutreloux: « Manum, inquit, ad apostolatum istum ipsi vos admovete; eum equidem benedictionibus complebo ».

Nec fructu vacua verba ista abierunt. Ipso enim ejusdem anni Octobri mense, Pater Julius Lechien, Belga, collectos operarios 42 excoluit secessu, quem dicunt, semi-clauso [1], cujus eventus vicit exspectationem omnem. Tempore deinde feriarum Paschalium anni 1891, idem Pater clauso secessu operarios 84 excoluit in Collegio Caroloregiensi, cujus nimirum academicam aulam in dormitorium converterat. Cui tamen operi Collegia deputari diu non poterant, quippe quae solo feriarum tempore vacarent. Prospiciendum igitur, quo modo opportunitas daretur opificibus, ut per totum anni spatium Exercitia Spiritualia obire possent. Id vero ut perficeretur, patronorum auxilio eorumque, qui re familiari magis pollerent, subsidiis opus omnino erat; nam tum operariis impetrandum otium erat, quo a laboribus vacarent, tum pecunia corroganda, qua expensis obviam iretur. Atqui in ipso secessu Trunciniensi viri honestioris conditionis plurimi paulatim ad istud opus praeparati ita jam erant ut, anno 1895, variis in locis constituti coetus sint, qui secessus operariorum quacumque poterant ope promoverent.

Interea tamen Domus Exercitiorum prima in Belgio instituta jam erat. Summa enim cum benevolentia auxiliantibus Illmo et

[1] Domum scil. opifices illi vespere redibant.

Revmo Domino Rousseaux et comite de Bergeyck, empta est, 21 Aprili 1891, in loco *Fayt-lez-Manage*, commoda domus cum nemore jugerorum trium. Quae ipsa erat prima Domus Exercitiorum. Nec mora, jam die 15 Augusto, Exercitia ibi tradita sunt operariis 26. Additae deinceps ex ordine: anno 1894, Domus altera *Gandavensis;* anno 1896, tertia *Arlunensis;* anno 1899, quarta *Lirana;* anno 1901, quinta *Leodiensis;* anno denique 1904, sexta in loco *Alken.*

At enim tanto operi facile intelliges difficultates objectas fuisse plurimas, quae sive ipsi rerum indoli adhaererent, sive ex hominum nonnullorum pusillis animis aliorumque diffidentia procrearentur. Verum etiam ingentem ubique favorem nancisci contigit Nostris, qui labori isti egregio diligentissimi incumbebant. Ac primum quidem Episcopi, sive verbis hortando, sive etiam operarios inter Exercitia visitando, animos omnibus faciebant. Accessit vero maximum auxilium ipsius Leonis PP. XIII. Profecto dictus ille opificum Pontifex facere non poterat, quin saluberrimis Exercitiis istis animo faveret propensissimo. Die igitur 8 Februario 1900, ad Adm. Reverendum Patrem Ludovicum Martin, Societatis Jesu Praepositum Generalem, dato *Brevi* suam, quae ea de re erat, sententiam plane magnificis verbis aperuit. Nam posteaquam summas illas utilitates numerando amplificavit, quas per 300 amplius annos a Spiritualibus S. Ignatii Exercitiis populus Christifidelium adeptus erat, sermonem mox prosecutus: « Id quidem, inquit, provide nonnulli e Societate Jesu sensere alumni, in Gallia praesertim et Belgio. Qui cum nullam, quam operariorum classem, magis nunc temporis impeti malorum insidiis adverterent, fundatas in pios secessus Domos operariis ipsis patere maxime voluerunt. Propositum quidem uberesque jam inde fructus secutos Nos jucunditate summa cognovimus; non enim postrema aut minima curarum Nostrarum, quod acta a Nobis probant, operariorum utilitati ac bono censuimus adhibenda. Nolumus igitur egregias istas alumnorum Societatis industrias justa sine laude praeterire, easque ut Deus large obsecundet toto animo adprecamur. Quin vero excitari magis inter ipsos praeclarum hoc studium desideramus, ut quod in Gallia atque Belgio feliciter est institutum ad ceteras etiam nationes pari cum emolumento propagetur. Haec tu, Dilecte Fili, benevolentiae Nostrae et gratulationis sensa religiosis viris, quos moderaris, fac in-

notescant, illis cumprimis, qui memorato operi laborem jam strenue impendunt. Quibus et universae Societati Jesu Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem ac munerum divinorum auspicem, amantissime in Domino impertimus »[1].

Quae res dum in Belgio, auspice Dei numine, ita feliciter gerebantur, ut anno 1907, in Domibus illis 6, secessus simul omnes istituti jam essent 245, quibus interfuerant virorum fere 10.000, in *Neerlandia* quoque, adnitentibus Sodalibus aliquot, praecipue quidem Patre Gulielmo Cramer, ejusdem operis condendi conatus serio adhibiti fuerant. Qui quamquam irriti primum ceciderant, rei tamen aliquando perficiendae consilium abjectum non est, donec e Belgio aliqui, ii quidem inconscii, Deo tamen provido annuente, illud denuo excitarunt. Nam cum nonnulli Neerlandiae praecipui viri, invitante Patre Henrico De Groote, Provinciae Belgicae Sodali, diebus 8-12 Aprilibus anni 1906, Leodii (Xhovémont) Exercitia peregissent, coetum iidem constituerunt, cujus opera conderetur sua Neerlandiae Domus Exercitiorum. Qui viri collata cum aliquibus e Trajectensi Collegio Patribus consilia, deliberatione habita, nonnihil immutarunt. Quae igitur rei perficiendae spes melior jam affulserat, ea ad eventum deduci tandem potuit, postquam, die 4 Junio 1906, clarissimus vir Robertus Regout, qui justitiae administer in Neerlandia deinde creatus est (ob. 18 Januarii 1913), et vir nobilissimus Theodorus Smits van Oyen novum virorum praecipuorum coetum convocare aggressi sunt. Horum autem consilia sapienter moderantibus Patribus nostris, res omnes brevi tempore ita compositae sunt, ut insequenti jam anno, in Civitate *Venlona*, Dioecesis Ruraemundensis, ipso Episcopo vehementer rem probante, erigendae Domus labor adiri potuerit. Interea vero larga manu Catholici sua dona contulerunt; inter quos munificentia imprimis eminuit Senatorii viri Gulielmi Prinzen. Aedium porro struendarum, quae Sacratissimo Jesu Cordi dicandae erant, initium factum est 9 Junio 1907; quod deinceps tam diligenter opus urgebatur ut intra unius anni spatium erecta staret Domus, secessuum usui quam maxime accommodata. Eam proinde Illmus Dominus Drehmanns, Episcopus Ruraemundensis, cui adsistebat amplissimus Dominus Pompen, Illmi Domini van de Ven, Episcopi Buscoducensis vices gerens, 4 Junio, 1908, sacris ritibus lustrando bene-

[1] * *Bullar. S. J.*, p. 562.

dixit. Sollemniis etiam intererat, qui consilii perficiendi sapientissimus fuerat patronus, Rev. Pater Gerardus Swart, Praepositus Provinciae Neerlandicae.

Posteaquam igitur a die statim sexto ad diem nonum Junii 1908 Exercitia in Domo Venlonensi primum tradita sunt, ex ordine deinceps semel vel etiam bis in hebdomada secessus instituebantur; quorum hic quidem census, re quam verbis facundior, referri poterit: A die 6 Junio 1908 ad Januarium 1909: secessus instituti sunt 29 a viris simul omnibus 1414. Insequenti deinde anno, a Januario 1909 ad Januarium 1910: secessus instituti 61 a viris 3301; tertio autem anno, qui erat 1910: secessus instituti 64 a viris 3832, et ita deinceps.

Ac fuit idem quoque ortus alterius Domus Exercitiorum, quae inter annos 1912 et 1913 exstructa est in pago *Vught*, prope civitatem Buscoducensem, cujus sedis Illmus Praesul. Gulielmus van de Ven, secessuum clausorum patronus semper exstitit impigerrimus simul atque munificentissimus.

Videtur autem hic esse commemorandi locus, qua temperatione, alia quidem in Belgio, in Neerlandia alia, provideatur ut ad ipsa Exercitia viri deduci possint. Dum videlicet, qui Truncinii Exercitia peregerant, praecipui viri suos in singulis civitatibus coetus condiderunt, quorum curis alii conscriberentur ad Exercitiorum Domus mittendi; dumque porro á Patre Lechien, anno 1903, propositum consilium est temperationis, quae dicitur, paroecialis; e contra, qui rei constituendae in Neerlandia Patres nostri praeerant, eam temperationem adinvenerunt, ut res tota deferretur ad coetus dioccesano-paroeciales, quibus ut plurimum e parochis aliquis praesideret. Cujus institutionis hoc praecipuum esse commodum intelliges, quod Episcopi parochique, quorum id ad salutem suae paroeciae intersit plurimum, diligentia quasi concertant, quis plures ad Exercitia peragenda missurus sit. Quae temperatio, ipso eventu comprobata, eo etiam successum habet magis prosperum, quod is, qui in nostra Domo constitutus est Praefectus Exercitiorum Spiritualium, consuetudinem vix non continuam cum coetibus illis fovet.

Ut porro, qui secessum obiissent, in proposito aptius perstare possent, ut in Belgio, ita in Neerlandia quoque, ex ordine recollectiones, quas dicunt, instituuntur, quibus statuto tempore con-

gregati, certis pietatis exercitiis adhortationibusque praemissis, ad Sacram Communionem fructuosius recipiendam disponuntur. In Italia simile quid habetur in illa, quae dicitur, *Associatione Perseverantiae*. Commentarii quoque de operariorum secessibus in diversis Provinciis, a Nostris conscripti eduntur: in Italia, Gallia, Belgio, Neerlandia et Hispania. Praeterquam quod ita res variae scitu dignae singulis mensibus exhibentur, congrua etiam instructio plerumque editur, qua, qui recollectionis exercitio praesunt, sive Parochi sive horum Vicarii, commode uti possint. Interdum vero schemata traduntur, lectiones apologeticae, argumenta recollectionum. Qui commentarii semper ab aliqua e Nostris reguntur.

Sed de secessuum etiam expensis providendum fuisse plane apparet. Jamvero inter Belgas, initio quidem, ipsi plerumque patroni non solum quae itineri victuique necessaria essent expendebant, verum etiam laborum mercedem consuetam operariis retribuebant. A qua tamen retributione, quod abusus mox irrepere coeperant, brevi desistendum fuit. Neque injuria etiam putabant multi, vel ipsi operario summopere expedire ut rei familiaris jacturam aliquam pro aeternis animae suae commodis daret[1]. Ceterum novit atque solet Deus detrimentis hujusmodi larga manu benedicere. Porro ad victum quod attinet eorum, qui Exercitia peragebant, operariorum indigentium, plurium saepe expensas suppeditabant multi, qui re familiari commodiore utebantur. Quae pecuniae ita collatae in singulos thesauros inferebantur, qui dicuntur, regionis. In Neerlandia autem, praeterquam quod dona a nonnullis huic rei tribuuntur specialia et quaedam etiam fundationes factae sunt, egregium praecipue subsidium prostat ex opere, quae quasi Societas quaedam est, ad quam qui accedere voluerint singulis vel hebdomadis vel mensibus modicum tributum pendunt; colligunt autem, diligentia plane admirabili, quae curandae huic rei zelatrices, quas ajunt, se obtulerunt.

De ipsis vero Exercitiis peragendis non est cur plura dicantur. Apparet enim, tradendis S. Patris Ignatii Exercitiis hebdomadae primae, quibus temperationes quaedam admisceantur operariis

[1] Cf. etiam quae dicuntur in *Epist. Adm. R. P. N. Resoconto dei risultati delle riunioni sull'Opera dei ritiri operai in Italia, Roma, 16-18 Aprile 1912*. Roma, p. 3-4, 70-71.

accommodatae, intentum finem feliciter obtineri semper. Orando igitur, silentium solitudinemque colendo, meditando quae sunt praecipuae veritates, ad vitae sive conversionem sive emendationem enituntur. Etenim: *Memorare novissima tua*, ait Dominus, *et in aeternum non peccabis*. Ac notatu sane dignissima res est, eadem semper ratione operarios illos, ut in Belgio et in Neerlandia, ita in Gallia, in Italia, in Germania, in Polonia, vel ubicumque secessus instituitur, intimis animis commoveri. Quod quidem ipsi frequentissime testati sunt, suos grati animi, gaudii aliosque intimos sensus, peractis Exercitiis, sive ore sive scripto ingenue aperientes. Meditationum videlicet luce collustrati, orationisque quasi peruncti robore, animi pace et tranquillitate fruuntur profundissima, ut sibi vix reperire posse videantur, quo gratias agant Patribus, quorum ope atque auxilio ad tantam felicitatem evecti fuerunt. Tum vero etiam Parochi aliique Sacerdotes, salutares illos Exercitiorum fructus in suis paroeciis experti, gratias Deo agentes, qui laboribus ipsorum tam cumulate benedixerit, simul etiam laudibus efferunt illas Exercitiorum Domus, unde tam egregiae utilitates in rem Catholicam devenerint [1].

Neque igitur mirandum cuiquam videbitur, sicut Leonem XIII decessorem, ita etiam Pium X isti Exercitiorum operi quam maxime favere, quippe qui oves suas ad pascua adeo salubria deduci magnopere gaudeat. Jam enim 10 Januario 1904, ab Emo Cardinali Merry del Val a Secretis Status ad Superiorem Domus Liranae, in Belgio, scribi Pontifex jusserat, atque significari: « quam magna ipse teneretur admiratione eorum successuum, quos opus istud, intra brevissimum temporis spatium, jam nactum esset, pro eo videlicet ardentissimo zelo, quem indefessi illi Societatis Jesu Patres labori suo impenderent ». Sermonem dein prosecutus, Emus Cardinalis: « Beatissimus Pater, inquit, valde delectatur videns, revera ab ipso providentissimo Deo statutum esse scopum operis, cui in ista pia Domo incumbitis, quodque eo destinatum intelligit ut operariorum generi utilitates afferat quam maximas, quippe in

[1] De Belgio, cf. *Les Confréries du T. S. Sacrement et les retraites fermées d'hommes en Belgique*, par le R. P. Dieudonné, O. Cap. *Collection de la Bibliothèque des Exercices de S. Ignace*, n. 4, 1906. De Neerlandia, cf. *De Manresabode*, 1908-1912.

quibus spargatis atque ad maturitatem provehatis semina fidei pietatisque Christianae » [1].

Immo vero, eodem illo anno ad exitum vergente, ipse Pius X ad Superiorem Domus Exercitiorum Leodiensis (Xhovémont) direxit Breve, quo novis laudibus idem opus cumulabatur. Qui posteaquam dixit, semper a se in magno pretio habita fuisse Spiritualia Sancti Ignatii Exercitia, nunc vero etiam pluris aestimari, cum ea « Instaurandi omnia in Christo » validissimum sibi instrumentum esse appareret, mox: « Quamobrem, Dilecte Fili, inquit, intelliges cognovisse Nos perlibenter, asceterium, cui praesides, viris ex omni civitatis ordine, annum jam quartum, patere; ad statos crebro secessus convenire frequentes, nominatim opifices et conductores operum; fructus autem qui consequuntur uberrimos esse et sanctae consolationis plenos, ac saepe fieri ut qui in istud pietatis domicilium falsas de religione opiniones et vacuum officio Christianum nomen secum tulerint, iidem conversi feliciter nimis egrediantur; voce exemploque popularibus suis hortatores ad frugem futuri. Sane non potuistis meliorem ullam rationem instituere opitulandi operariae plebi, tantis hodie periculis, in istis maxime regionibus obnoxiae » [2].

Ac sane quidem in ipsa quoque Urbe sua Roma Domum Exercitiorum esse Pius X vehementer cupiens, laudavit Patrem Henricum Radaeli, quod hic conatus plurimos isti rei adhiberet. Sua porro Patres nostri Collegia operariis ad Exercitia peragenda offerentes, reapse, quaecumque per tempus licent, operi huic utilissimo promovendo praestant auxilia. Addendum quoque, prope a Taurino, Fratrum Scholarium esse Domum, operariorum secessibus destinatam; atque etiam in Domo Probationis loci Gozzano secessus aliquot nuper institutos esse; denique iisdem patere non solum Domum Albanensem, sed etiam Romanam Residentiam, quae dicitur Cecchina [3]. Mediolani Nostri secessus dirigunt in Villa; etiam in Sicilia, variis in locis, praesertim prope Panormum in Villa *Palazzo Celso*.

Ab anno 1909 ad annum 1912, in 151 secessibus Exercitia Spi-

[1] *Pie X et l'œuvre des retraites. Collect. de la Bibl. des Exerc. de S. Ignace*, n. 1, p. 3.

[2] *Ibid.*, p. 6-7.

[3] Vide opusculum *L'Opera dei ritiri operai in Roma*, Roma 1909.

ritualia acceperunt 5231 operarii. Dein mense Aprili anni 1912 Patres quidam, ex omnibus Assistentiae Italiae Provinciis deputati, de sacris opificum secessibus acturi Romam convenerunt. Posteaquam magna animi voluptate Adm. R. P. N. Franciscus Xaverius Wernz de eorum consiliis scripto edoctus est, ad Rev. Patrem Joannem Nepomucenum Parnisetti dedit epistolam, in qua finem hujus conventus laudans: « Necesse est, inquit, indoles horum conventuum propria servetur, qui omnes ad opus et praxim dirigi debent, non ostentui esse. Tandem Patrum labores eo spectare debent, ut naturam Exercitiorum Spiritualium, qua sacri opificum secessus nati, alti et virtutem adepti sunt, iidem omnino servent. Non enim ad sacra puta itinera diverti plerumque debent; non ad pia spectacula projectarum imaginum descendere; non ad familiarum inopiam sublevandam dirigi. Optima haec esse possunt ad finem juvandi opifices, sed non sunt hujus loci nec hujus temporis, quo sacri secessus peraguntur » [1].

Ea porro scientiae, experimenti et pietatis inventa, quae Patres deputati illis diebus (16-18 Aprili) cum omni caritate et modestia simul contulerunt, quamvis singula singulis Provinciae Operariis et secessibus convenire videantur, omnino tamen digna sunt, quae non solum attente perlegantur, sed et considerentur sedulo atque magnam partem ad praxim deducantur.

Porro etiam in *Austriae* loco Lainz Domus Exercitiorum exstat, dum praeterea Provincia haec suam Domum Sancti Andreae secessum instituere volentibus, praesertim feriarum tempore, paratam exhibet.

*Provinciae Germaniae* quoque Domus Exercitiorum duae sunt: altera prope a Feldkirchio, prope a Neerlandiae loco 's Heerenberg altera: dum etiam in Collegio Exaeten, qui est Neerlandiae pagus, Exercitia vix non continuo traduntur.

In *Gallia* vero, quae ortum secessibus operariorum dedit, Domus adhuc duae erant; quae autem pia consociatio dicitur *Union des retraites régionales*, Domus Exercitiorum nunc jam paravit aliquot, e quibus ad nostros Sodales deferuntur quinque. Suas iterum septem Exercitiorum Domus etiam *Hispania* habet: ac prae-

[1] *Resoconto dei risultati delle riunioni sull'Opera dei ritiri operai in Italia.* Roma, 16-17-18 Aprile (Manoscritto), Roma 1912, p. 3-4.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

terea in aliis domiciliis nostris multis Exercitia petentibus traduntur [1].

Neque eo minus in *Assistentia Angliae* secessibus opera navatur diligentissime: Provincia Angliae habet suas Domus, prope Manchester et Londinum, unice Exercitiis operariorum destinatas, aliasque praeparat. Dublinii quidem Domus Exercitiorum exstat; dum etiam in aliis Hiberniae atque Angliae partibus opportunitas Exercitiis peragendis exhibetur plurima, sive in Collegiis nostris sive in Domibus Probationis.

In *America* et *Canada* denique jam strenue susceptum fervet opus. Jam enim exstant ibi Domus Exercitiorum sex. In Domibus etiam Probationis, in Collegiis, in Scholasticorum praediis secessus interim ubique instituuntur atque, quoscumque tempus fert, conatus Nostri adhibent ut, dum ipsae excitentur Domus Exercitiorum, secessus operariorum alibi instituantur quam plurimi.

Apparet igitur, in universa Societate laborem Exercitiis tradendis, quantum nulla unquam aetate, jam impendi coepisse diligentia summa, ita quidem ut hanc ipsam haud absurde dixeris esse Exercitiorum aetatem [2].

Qua re vehementer permotus Summus Pontifex Pius X, quippe qui videret quam ingentes ex isto labore ad universum populum Christianum utilitates permanarent, diligentes Societatis curas remunerari ipse voluit. Nota scilicet res est, dudum nostris Patribus concessum privilegium fuisse, quo, Missionis Exercitiis finem imponentes, impertiri Christifidelibus valerent benedictionem Pontificiam, eidemque adnexam plenariam indulgentiam. Decreto igitur 22 Junii 1904 ad ipsa quoque secessuum Exercitia eadem facultas extensa est, hac quidem lege ut, dummodo saltem per tres dies Exercitia tradita fuerint, particeps benedictionis atque indulgentiae fieri possit quicumque Exercitiis interfuerit saltem quinque. Ei denique, qui Exercitia ipse tradidit, conceditur ut ad benedictionem Pontificiam peragendam virum ex clero saeculari vel regulari digniorem delegare valeat [3].

Quibus rebus omnibus ita expositis, profecto gratias Deo ha-

[1] Cf. *Cartas edif.; Lettres de Gemert*, 1903, p. 419 ss.

[2] Cf. Ch Plater, S. J., *Retreats for the People. A Sketch of a Great Revival*, London 1912.

[3] *Decr. 22 Junii 1904; Resp. ad dub., 8 Febr. 1905.* * *Bullar. S. J.*, p. 569, 577.

bentes maximas, de restituta quoque Societate, cujus tam prospera fuerit adolescentia, verbis jam usi Patris Roothaan, profiteri poterimus: His eam Exercitiis Spiritualibus « adolevisse, his praecipue altam ac sustentatam fuisse.... Et vero tractantur illa a Nostris, et prout Constitutiones legesque nostrae praescribunt, tractantur frequenter. Per solidum mensem in Tirocinio primum singuli, iterumque per mensem integrum post studia peracta in Tertio Probationis Anno; quotannis item per octo vel decem dies iisdem ex praescripto vacamus omnes. Eorum usus etiam apud externos ita jam communis est, ut passim in omnibus fere Monasteriis, in Ephebaeis, in Scholis, ad populum etiam publice tradantur, ea frequentia qua fortasse nunquam magis » [1].

Jamvero dubium nullum est quin, post ipsam hanc Patris Roothaan Epistolam non solum Exercitiorum Spiritualium usus augmenta ceperit revera ingentia, verum etiam miris modis succreverit eorumdem notitia atque amor. Restat ut, eo vel maxime quod operariorum secessibus habendis usus Exercitiorum vix non communis evasit, de hac ipsa extrema aetate nostra dicere iterum nos possimus, ea jam frequentia atque ea fructuum ubertate Exercitia tradi « qua fortasse nunquam magis ».

Proximum igitur est ut de alio quodam opere, ipso quoque saluberrimo atque Societatis plane proprio, nunc scribamus; dico *Congregationes Beatae Mariae Virginis* [2]. Norunt autem omnes, Sodalitium, quod Congregationum Marianarum nomen accepit, olim in Collegio Romano inchoatum atque a Gregorio PP. XIII (1584) Apostolicis Litteris approbatum fuisse. Cum porro Sodalitia multa ad hujusce exemplum in Collegiis Societatis fuissent erecta, Pontifex « ea ut inter se vinciret, Romanum hoc *primarium* esse voluit ea lege, ut si qua huic beneficia tanquam capiti collata essent, in caetera quoque veluti membra permanarent. Quo facto quantum Sodalitates Marianae creverint, quantum tota Europa atque adeo extra ipsam sese diffuderint, dici vix potest. Certe quocumque Societas Jesu pervasit, quae ultimos terrae angulos prope omnes scrutata est, ut divinae gloriae propagandae materiam nancisceretur, eo etiam Sodalitia Mariana pertinuerunt ». Quanta autem cum adolescentium, qui in Gymnasiis Societatis Jesu bonis artibus dant

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 367 s.: *De Spiritualium Exercitiorum usu.*

[2] P. Elder Mullan, S. J. *La Congreg. studiata nei documenti*, Roma 1911.

operam, utilitate factum ita fuerit quid hic attinet dicere? Neque vero saluberrimum hoc Sodalitatum institutum intra Scholarum Gymnasia se tenuit, sed reliquas quoque Societatis et aliorum Domos occupavit, atque ad omne hominum genus felicissimo eventu pervasit. Tanti enim omnium ordinum, tamque incredibiles concursus facti sunt, ut et vetera Sodalitia dirimi atque diduci, et nova institui condique oportuerit. Quod Summorum Pontificum Sixti V, Gregorii XV et Clementis VIII auctoritate, ut in eorumdem Constitutionibus apparet, perfectum est.

Jamvero nihil videbatur sive ad harum Sodalitatum perpetuitatem, sive ad amplitudinem, sive etiam ad ornamentum requiri praeterea posse, cum Benedicti XIV inusitatum prorsus ac quasi divinum erga eas studium enituit. At non est cur hoc loco omnia singillatim percenseantur; ea enim per se quisque legere poterit in illius Bulla vere aurea, quae perpetuum certe futura est tantorum meritorum testimonium et monumentum [1].

Ante suppressam quidem Societatem Congregationi Romanae *Primae Primariae* tantum eae Sodalitates aggregari poterant, quarum Nostri Moderatores essent. At per se intelligitur, eam conditionem, post Societatem suppressam, sustineri non potuisse. Die igitur 5 Majo 1798, qui Primae Primariae praeerat, Moderator facultatem petiit ut sibi liceret, quaecumque petiissent, Congregationes aggregare, atque eas etiam quae titulum B. Mariae Virginis non haberent. Rem benigne concessit Pius VI. Congregatio igitur Prima Primaria, cui Sacerdos cleri saecularis Moderator constitutus erat, Sodalitates numero plurimas aggregavit, quibus non e Nostra Societate homines praefuisse liquet. Immo vero, Societate anno 1814 restituta, ipsi nostri Patres, ut Sodalitates suae aggregarentur, ab eadem Prima Primaria petere debuerunt. At pro ea quae Pontificum voluntas erat, ut sua Societati pristina jura paulatim restituerentur, fieri non potuit quin ipsa quoque Prima Primaria ad nostra jura rediret denuo. Anni quippe 1824 die 17 Majo, Leo PP. XII Societatem ad Collegium Romanum reduxit, simulque ei tribuit quaecumque huic Collegio a Pontificibus adnexa pridem jura fuerant. Inter quae etiam ac praecipue haec facultas erat ut posset Nostri alias Sodalitates, quae a Societate regerentur « Con-

[1] Cf. *Leges et Statuta Sodalitatum B. M. Virginis, quae Primariae Romanae conjunctae sunt*, Romae 1855. *Introductio Ios. Mariani Parthenii.*

gregationi Annuntiationis B. Mariae Virginis, Primae Primariae nuncupatae, aggregare ». Ea igitur facta restitutione, jam Primae Primariae potestas erat aggregandi, quaecumque a Societate Congregationes erigerentur atque regerentur.

Verum ecce statim ingentem difficultatem! Sicut ab anno 1798 ad annum 1824, per universum orbem, aggregatae Congregationes erant numero plurimae, quas ipsa non regeret Societas; ita etiam post diem 17 Majum 1824 undequaque datae ad Societatem petitiones sunt, aggregari volentium. Sed ex Constitutione Leonis XII ea tantum Societati inerat facultas aggregandi, quam ante Suppressionem habuerat; ad alias autem quam quae a Societate regerentur Congregationes nequaquam extendebatur. Libellum igitur supplicem ad Leonem XII dedit Adm. Rev. P. Aloysius Fortis, Praepositus Generalis Societatis, ut dignaretur Pontifex « ipsum opportunis necessariisque instruere facultatibus aggregandi Primae Primariae caeteras omnes Congregationes, quae a Societate non regerentur, quae id forte postularent: ea nempe ratione, ut Pontificia gratia ad omnes Congregationes se porrigeret, uti se haberet illa, quae die 5 Maji anni 1798 concessa fuisset Moderatori praedictae Congregationis ». Rem Pontifex, 7 Martio 1825, concessit « cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis »; atque haec quidem erat concessio atque ampliatio maxima earum omnium, quas nostrae Marianae Congregationes ullo unquam tempore largitionibus Pontificum accepissent. Quoniam vero restitutio privilegii illius, quod anno 1798 indultum Primae Primariae fuerat, ut nimirum eas etiam Congregationes aggregare liceret, quae titulo B. Mariae Virginis minime insignirentur, a Patre Fortis petita non est, jam denuo requiri solet ut, quaecumque Congregationes aggregari ad Primam Primariam velint, suum sibi titulum B. Mariae Virginis habeant [2].

Congregationum *prima Regula*, sive Statuta, die 1 Novembri 1587 approbata fuit ab eo, qui Societatis Jesu Praepositus Generalis tunc erat, Adm. Rev. P. Claudio Aquaviva. Quam tamen regulam cum nonnihil immutari multi jamdudum cupiissent, saeculo deinceps XVIII, auctore Patre Josepho Mariano Parthenio, insigni illo B. Virginis servo, orta regula altera, quae multis pro-

[1] P. Elder Mullan S. J. *La Congregazione Mariana studiata nei documenti*, Roma 1911, p. 35 ss.

babatur vehementer. Eam deinceps hoc nomine inscriptam: *Leges et Statuta Sodalitatum Beatissimae Virginis Mariae*, Adm. Rev. P. Beckx approbavit, anno 1855 [1]. Qui, posteaquam in memoriam revocavit, Praepositis Generalibus Societatis Jesu plenam inesse potestatem, qua pro Congregationibus Marianis Statuta, Constitutiones et Decreta edere, atque edita immutare, corrigere, moderari ac reformare aut alia ex integro condere valeant, jam sermonem prosecutus: « Idcirco, inquit, ut ubique, quoad ejus fieri potest, uniformitas servetur, facultatem concedimus edendi hunc libellum, in quo continentur *Leges et Statuta Congregationum B. Mariae Virginis* jam olim a P. Josepho Mariano Parthenio Societatis Nostrae Sacerdote in Ordinem disposita et juxta antiquas consuetudines exarata, eaque omnia auctoritate nobis, ut supra diximus, concessa approbamus et confirmamus » [2].

Notandum vero est, eos qui Primae Primariae praeerant. ac praecipue notissimum illum Collegii Romani Lectorem, Patrem Perrone, jam inde ab annis 1831-1832 operam dedisse ut *Leges et Statuta* ejusdem lucubrarent. Quae quidem parata erant omnia atque Patri Roothaan, approbationis obtinendae causa, proponenda, quum, annos inter 1840 et 1850, erumpens in Italia persecutio Societatis consilia ista omnia diremit. Quievit quidem aliquando persecutio; verum, mortuo tunc Patre Roothaan, brevi deinde post Pater Beckx, quod diximus, *Leges et Statuta* illa Patris Josephi Mariani Parthenii approbavit. At cum ipsa Prima Primaria jam per multos ab illo tempore annos, immo ab ipso ortu suo, fusius lucubratis Statutis assueta fuisset, aliquot annis post, suam ipsius quoque regulam obtulit, quam Pater Beckx simili ratione approbavit, anno 1865. Communis tamen regula ea nunquam evasit.

Tertia denique *Regulae Communis* approbatio a Praeposito Generali Societatis facta est anno 1910. Ea quippe, e voto omnium Moderatorum earum Congregationum, quae a Societate reguntur, qui in Hispania anno 1903 congressi erant, lucubrata est a Patre Cajetano Puig; quam jampridem, 22 Septembri 1905, approbaverat Adm. Rev. P. Ludovicus Martin, at pro sola tantum Hispania. Annis igitur 1909 et 1910 eaedem regulae in Urbe denuo exami-

[1] *Ibid.*, n. 598 ss.
[2] *Leges et Statuta Sodalitatum cet.*, p. 8.

natae fuerunt. Simul Pater Noster, quae sive antiquiores sive recentiores Congregationum consuetudines exsistebant atque ipsa etiam acta Congressuum, qui dicuntur, Congregationum pervestigari jussit. Qua quidem vestigatione diligenter facta, novae Regulae formae haud minus sexies correctae sunt. Tum vero, corrogatis undique consiliis atque sententiis Patrum 14, nova iterum composita Regula est et ad Patrem Nostrum delata; quae tota innitebatur Regulae isti, quam pro Hispania A. R. P. Ludovicus Martin approbaverat. Romae igitur denuo a Patribus 7 examinata, atque ab ipso Praeposito Generali numeris omnibus absoluta, haec Communis Regula tandem, in festo Immaculatae Conceptionis, anno 1910, approbationem tulit A. R. P. N. Francisci Xaverii Wernz.

Ac sane quidem approbata haec *Regula Communis* in multis convenit cum iis, quae annis 1587 et 1855 approbatae fuerant; ita ut, quaecumque sunt in illa majoris momenti res, ex his ipsis assumptas habeat. Verum etiam additiones factae sunt satis multae, ut simul uberiores ipsae sint et praecipue verbis conceptae luculentius atque concinnius. De nova Regula anni 1910 etiam hoc in universum dici potest, quod Moderatoribus Congregationum aliquanto majorem relinquit libertatem [1].

Anno autem 1863 tria saecula fuerunt, cum prima Sodalitas B. Mariae Virginis in Collegio Romano erecta erat a Joanne Leunis, Scholastico nostrae Societatis [2]. Cujus sane rei memoria fieri non potuit quin celebritate quam maxime festiva ageretur; quippe cum per annos illos trecentos tot tantique salutis fructus a Congregationibus Marianis in universam rem Christianam dimanassent. Rogatu igitur Patris Beckx, Pius PP. IX, apertis Ecclesiae thesauris, Indulgentias amplissimas Congregationi Primae Primariae omnibusque eidem aggregatis Sodalitatibus concessit. Qui simul, Congregationes summis laudibus efferens, affirmavit nihil sibi jucundius, nihil acceptius esse posse, « quam ut fideles, ac imprimis juvenes, quos impii homines suis machinationibus ac dolis circumvenire quotidie studerent, iis Sodalitiis darent nomen,

[1] *Acta Romana S. J.*, 1911, p. 93 ss. Cf. etiam *Instructio 2 Febr. 1907; Acta Romana S. J.*, 1910, p. 43 ss. Omnino etiam conferendus egregius ille liber Patris Elder Mullan S. J., p. 55 ss. et nn. 2049-2173.

[2] Ioannes Leunis, natus in dioecesi Leodiensi anno 1535 vel 1536, ingressus 8 Iunii 1556, ob. Taurini, 19 Nov. 1584.

quorum finis praecipuus esset pietatem et devotionem erga Deiparam Immaculatam fovere et excitare » [1].

Porro e Praepositis Generalibus nostris, qui Congregationibus Marianis promovendis majorem operam navarunt, inter primos nominandus sane est Adm. Rev. P. Antonius Maria Anderledy. Qui, vixdum Vicarius Generalis electus, significavit optare se ut quam maxima fieri posset solemnitate, 5 Decembri 1884, recoleretur tertium saeculum expletum, quo canonice erecta Prima Primaria fuerat.

In sua igitur praeclara illa, quam Societati dedit, Epistola de Litteris Encyclicis *Humanus genus* (8 Junio 1884), ratus quidem, nulla re quam Congregationibus Marianis contra secretos coetus obniti efficacius nos posse, praeteritis saeculis illis commonstratis, quibus tot numero Pontifices, Reges, Principes, Praelati, fama et sanctitate conspicui viri, Sodales Congregationis B. Mariae Virginis fuissent, mox sermonem prosecutus: « Ad haec, inquit, quae per Sodalitates Beatae Virginis olim assecuta est nostra Societas, animum si referamus, hisque coetibus adhibeamus solertiam ac diligentiam, dubitandum non est quin pari studio pares etiam fructus percepturi simus. Hac vero aetate nostra in juvenes opera quam maxima conferenda est; ubi licet, in Collegiis, ubi vero legibus prohibemur, saltem in Sodalitiis Beatae Virginis, in quibus consociare eos, ad omnem erudire pietatem et munire contra errores ac vitiorum illecebras omni studio satagamus. Curam juvenum, quod probe scio, Summus Pontifex vehementer exoptat, et cum in sancto hoc officii genere operam ponere Instituto nostro legibusque jubeamur, illud nobis singulari exhortatione commendat. Hac de causa quamvis dixerim de pueris Christiana Doctrina instituendis, hoc loco de iisdem et juvenibus moneo congregandis in Sodalitatibus » [2].

Per quam occasionem laudans Leo XIII « frugiferas Sodalitates, quae in Deiparae Virginis honorem ubique terrarum essent institutae », spiritualibus eas gratiis cumulavit [3]. Die deinde 23 Junii 1885 Pater Anderledy privilegia duo pro Congregationibus

[1] Breve *Exponendum nuper*, 10 Febr. 1863; ELDER MULLAN, l. c. n. 1492 ss.

[2] ELDER MULLAN, n. 1589 ss.

[3] Breve *Frugiferas*, 17 Maji 1884, Ibidem, n. 1579 ss. Per occasionem hujus jubilaei lucubrationes duas egregie scripsit Pater LÖFFLER, in *Stimmen aus Maria-Laach 1884*, Tom. 27, p. 230 ss. Cf. etiam DELPLACE, S. J. *Histoire des Con-*

sibi carissimis impetravit. Ac primum quidem, misso ad Pontificem libello supplice: « Experientia teste, inquit, ex ignorantia legum vel inadvertentia nimis facile fit, ut inter erectionem canonicam praerequisitam et aggregationem vix distinguatur, ita ut ex petitionibus Praeposito Societatis oblatis difficilius constare possit de certa erectione ab Ordinario loci facta. Quare vel longiore molestave inquisitione res protrahuntur, vel timendum ne aggregationes a Societatis Praeposito expeditae fundamento necessario careant, neve indulgentiarum communicatio reddatur dubia aut nulla ». Ideo rogabat Pontificem: « ut ad complendas illas facultates sibi et successoribus suis facultatem quoque erigendi (exserendam semper, ut patet, cum respectivi Ordinarii consensu) quamcumque B. Mariae Virginis Congregationem etiam extra Societatis Domos seu Ecclesias benigne concedere dignaretur ». Concessit ille quidem libenter [1].

Tum etiam, e petitione Praepositi Generalis, Leo PP. XIII, « Congregationes externas B. Mariae Virginis jam erectas et quascumque Societates, Confraternitates seu Congregationes Primariae aggregatas, sive cum consensu Ordinarii erigendas et aggregandas », exemptas voluit « a Constitutione *Quaecumque* fel. rec. Clementis VIII, super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita » [2].

Tertium quoque favorem Leo XIII concessit, ut « Praesides Congregationum B. Mariae Virginis ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem, qui v. g. majoris solemnitatis causa invitaretur, substituere possent ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderarent, ad benedicenda numismata et alia Praesidum munia exercenda [3].

Anno deinde 1885 Pater Anderledy a Leone XIII impetravit ut plurimas ille indulgentias Congregationibus largiretur, utque probaretur etiam illud quod inscribitur: *Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices concesserunt Congregationi Primae Primariae, sub titulo Annuntiationis B. Mariae Virginis in Collegio Romano Societatis Jesu erectae caeterisque*

*grégations de la S. Vierge, Souvenir du Jubilé 1584-1884*, Lille et Bruges 1884. Tum etiam: *Notizie storiche e regole della Congregazione Prima Primaria nel Collegio Romano*, Roma 1885.

[1] *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 430 s.

[2] *Ibid.*, p. 431.

[3] *Ibid.*, p. 431.

*Congregationibus eidem aggregatis vel aggregandis.* Quod igitur anno 1776 confectum atque probatum Summarium fuerat, locum jam cessit huic alteri, a Leone PP. XIII, anno 1885, approbato [1].

Atque ingens iterum a Patre Anderledy Congregationibus exhibitum officium est anno 1887. Res quippe erat omnibus notissima, olim « Congregationes B. Mariae Virginis, ut in Ecclesiis Societatis ortum habuissent, ita, etsi ab aliis erigerentur, Indulgentias a Sede Apostolica illis concessas consequi non potuisse, nisi a Praeposito Generali Societatis Jesu Primariis Congregationibus ejusdem tituli in Collegio Romano legitime erectis rite aggregarentur ». Ex qua quidem benigna Sanctae Sedis dispositione, ipsius Patris Anderledy fere verba referimus, inter alias haec imprimis utilitas promanabat, quod omnes illae Congregationes, etsi per totum orbem erant diffusae, iisdem tamen regerentur legibus et usibus, et communi quodam vinculo colligatae, sancta inter se aemulatione ad bona quaeque opera stimulos sibi injicerent, atque plurimas ad Dei gloriam et animarum salutem proferrent ubique fructus insignes. Verum ab aliquo tempore dictae Congregationes ab aliis quoque non solum erigebantur, verum etiam Indulgentiis ditabantur, ita ut nullatenus ad Primarias illas Congregationes aggregarentur, sed singulae earum, per orbem sparsae, nullo vinculo inter se nec ulli communi centro conjunctae remanerent. Haec quidem Pater Anderledy. Quare Leonem PP. XIII enixe rogavit ut benigne ille statueret, Congregationes Beatae Mariae Virginis, etsi ab aliis essent erectae, nihilominus indulgentias non posse consequi in posterum, nisi ut jampridem usus ferebat, a Societatis Jesu Praeposito Generali ad Primarias Congregationes Romanas fuissent aggregatae. Ad petitionem autem Leo XIII, die 17 Septembri 1887, benigne annuit [1].

Denique operae pretium fore videtur, si, quae *Statuta Generalia Congregationum B. Mariae Virginis* ab earum assiduo patrono illo, Patre Anderledy, anno 1885 edita fuerunt, hoc loco inseruerimus, quae compendium quoddam sunt Regularum Communium. Sunt autem haec:

[1] *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 432-436.

[2] *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 459 s. Excipiuntur tamen Episcopi Missionum; at Congregationes hoc modo ab Episcopis Missionum erectae minime ad Primariam Collegii Romani pertinere censentur.

« 1. *De fine.* Congregationes B. Mariae Virginis id sibi imprimis proponunt, ut in Sociorum animis eximiam quamdam erga B. Virginem Mariam devotionem excitent et foveant, quo speciali tantae Matris protectione muniti tum vitam pie Christianeque instituant, tum mortem aliquando feliciter obeant.

« Benedictus quidem XIV, in Bulla *Gloriosae Dominae* de Congregationibus juvenum studiosorum imprimis sermonem instituens: " Christiana, inquit, ubique juventus, Sanctissimae Dei Genitricis obsequiis et famulatui specialiter mancipata, sub illius propemodum disciplina, quae Mater est pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis, ad Christianae perfectionis fastigium eniti et aeternae salutis metam contendere " docetur.

« 2. *Exercitia Sodalium communia.* Statuta die et hora, ut plurimum semel in hebdomada, conveniunt, ut praesidis adhortatione, lectione librorum devotorum, precibus atque canticis communibus, piis meditationibus aliisve religionis exercitiis in se devotionem erga Beatissimam Virginem ac pietatem promoveant.

« In eumdem finem quotannis semel, si possunt, Exercitiis Spiritualibus per aliquot dies vacent; saepius, imprimis diebus B. Mariae Virginis sacris, universi simul S. Communione se reficiant; sex dies Dominicos continuos more solito honori S. Aloysii consecrent.

« 3. *Opera bona Sodalibus commendanda;* quae pleraque indulgentiis sunt ditata: Singulis diebus Patronam suam particularibus precibus salutent; in Prima Primaria quidem sodales mane et vespere terna *Ave Maria* recitare jubentur. Si commode possunt, quotidie Rosarium B. Virginis vel ejus officium vel aliquam saltem eorum partem persolvant. Vespere conscientiae examen instituant. Aliquam temporis partem meditandis rebus divinis vel libris piis legendis tribuant. Quotidie, si possunt, Sanctissimo Missae Sacrificio intersint. Semel saltem in mense ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant. Semel vel bis in anno Confessionem Generalem instituant. Quaecumque ad Ecclesiae et Religionis incrementum atque defensionem faciunt, sedulo promoveant. A fide vel a virtutis Christianae tramite aberratos exemplo et institutione ad salutis viam reducere satagant. Misericordiae operibus idque maxime erga Sodales infirmos diligenter vacent; mortuos vero Sodales ad sepulcrum deducant et peculiaribus precibus Deo commendent Denique non iis solum virtutibus acquirendis insistant, quibus

nemo Christianus carere potest, sed etiam Socios suos pietate, puritate, humilitate, modestia, diligentia atque industria in status sui officiis obeundis antecellere studeant.

« De iis vero rebus, quae Congregationis magistratum, hujus eligendi modum, officia etc. spectant, consuli poterunt precum libri, qui ad usum Sodalium vulgati sunt plurimi » [1].

Atque in aperto sane res est, etiam Congregationes Generales nostras isti saluberrimo Congregationum Marianarum operi favisse quam plurimum. Quas Congregatio imprimis XXIV (1892) enixe commendavit. Etenim « rogata Congregatio ut Nostris impense commendare vellet virorum Congregationes, ac praesertim operariorum coetus pro Instituti nostri ratione instituendos et fovendos; magna consensione censuit ac decrevit Patri nostro summopere commendandum, ut per Superiores aliosque e Nostris urgeret quam maxime curam spiritualem virorum, praesertim operariorum et pauperum, efficeretque ut ope Exercitiorum Spiritualium ac Sodalitatum nostrarum, ex pristina Societatis norma, eosdem ad omnia pietatis et charitatis officia summo studio perducerent » [2].

Idem ultima etiam Congregatio Generalis XXV (1906) ante omnia curandum monet, nimirum « ut Marianae Congregationes rite instituantur, foveantur ac bene dirigantur » [3].

Hac autem ipsa Congregationum Generalium et Societatis Praepositorum diligentia novae semper industriae his annis inventae atque adhibitae sunt, quibus saluberrimum Marianarum Congregationum opus propagarent. Quo censu primum quidem veniunt, quae dicuntur *Periodica Congregationum*. Ea posteaquam Vindobonae, anno 1895, ortum acceperunt, jam ad alias quoque regiones nonnullas permanarunt [4]. Quibus affines edi etiam, anno 1907, coeperunt *Periodica Praesidum*.

Nominandi deinde altero loco sunt *Congressus*, qui dicuntur. Eorum porro genera distingues duo: *Congressus Praesidum* et

[1] De Statutis Congregationis omnibus, cf. P. F. Beringer, S. J., *S. Congr. Indulg. Consult., De Congregationibus Marianis documenta et leges*, Graeciae et Viennae 1909. Maxime vero vid. P. Elder Mullan, S. J., *La Congregazione studiata nei documenti*, Roma 1911. *Statuta Generalia*, vid. n. 100 et n. 1729 ss.

[2] *Decr. Congr. Gen., Congr. XXIV, Instit. S. J.*, Tom. II, p. 520-521.

[3] *Ibid.*, p. 7 (Append.).

[4] Cf. supra, cap. VII, p. 410

*Sodalium Congressus:* utrorumque autem hic est scopus, ut ipsarum Congregationum unitas promoveatur, augeatur utilitas.

Qui nimirum ab aliquanto jam tempore in Vindobonensi civitate *Congressus Praesidum* haberi soliti erant, anno tantum 1895 e certis quibusdam normis inceperunt celebrari. Coetibus quippe ejusmodi non ipsi soli Praesides Congregationum, verum etiam Praefecti intersunt eorumque Assistentes; in iisdem autem de communibus Sodalitatum utilitatibus, de apparandis festorum sollemniis, similibusque argumentis disseritur [1]. Pro iis porro regionibus quarum incolae sermone Gallico utuntur, Congressus Praesidum, Septembri 1904, Anghii in Collegium Societatis convenit; aderant autem soli e nostra Societate Moderatores. Cui Congressui locum dederat aureum illud definitae Immaculatae Conceptionis Jubilaeum; atque etiam ex universo orbe Congressus Moderatorum celebrandi consilium ibi initum, ob ingentes tamen rei difficultates perfici non potuit [2]. Eodem quoque anno, a die 22 ad diem 25 Novembris, Barcinonem in Hispaniae civitatem convenientes Praesides, Congressum Hispano-Americanum celebrarunt; cujus quidem is quem Anghii quoque adepti erant, eventus fuit, ut nimirum feliciter promoveretur Congregationum unitas [3].

Anno 1912 per occasionem Congressus Mariani, qui Trajectum ad Mosam in Neerlandia convenerat, Nostris imprimis adnitentibus, die 16 Augusto in Collegio Societatis habitus est Neerlandiae primus Congressus Praesidum plurium quam 120, qui majorem quidem partem e clero saeculari erant; ubi inter alias res utiles multas statutum quoque est, ut periodicum Congregationum paulatim adornaretur et, ubi primum posset fieri, conveniret Congressus Sodalium.

Porro *Congressus Sodalium* (*Sodalentage*) ipsi quoque in Austria initium habuerunt. Quorum primus quidem convenit Salisburgam, anno 1896 [4]; alter vero Viennam, anno 1897 [5]. In Germania quoque Sodalium Congressum primum celebrarunt,

[1] Cf. *Sodalen-Korrespondenz*, ann. I, p. 120 ss.

[2] *Actes du Congrès de Directeurs réunis au Scolasticat d'Enghien les 5, 6 et 7 Septembre 1904.* Tournai 1905.

[3] *Congreso Hispano-Americano de las Congregaciones Marianas.* Barcelona, Noviembre 1904.

[4] *Sodalen-Korrespondenz*, 1896, n. 10.

[5] *Ibid.*, ann. III, n. 12.

10 Septembri 1899, in Bavariae loco Alt-Oetting. Quo qui ex universis Germanici sermonis regionibus, ad celeberrimum illum peregrinationis locum, suae Congregationis zelo flagrantes, convenerant Sodalium 15.000, majoribus etiam sumptis animis, ac melioribus in futurum tempus propositis firmati, domos inde redierunt [1]. Commemorandus denique in Austria est frequentissimus ille Praesidum simul ac Sodalium Congressus, quem decimo octavo atque insequentibus Julii diebus anni 1910 celebrarunt Salisburgae, praeclaras profecto decisiones atque Congregationibus dirigendis valde proficuas domum inde reportantes. In Italia quoque Congressus Congregationum Marianarum primum celebratus est anno 1904, qui erat jubilaeus Immaculatae Conceptionis definitae, qua nimirum occasione Marianus Congressus ex universo orbe in Urbe habebatur. Nec solum ex omnibus Societatis nostrae Collegiorum Congregationibus, verum etiam ex aliis universae Italiae atque Siciliae Sodalitatibus adlegati Romam tunc convenerant. Hi sententiis unanimes statuerunt de exercendis operibus charitatis, zeli, instructionis religiosae, quam infimae praecipue plebi impendi debere censebant, de condendo denique periodico Congregationum. Fuit autem primus ille Italiae Congressus Sodalitatibus fovendis atque promovendis saluberrimus [2]. Occasione etiam Congressus Mariani, in civitate Trevirensi mense Augusto anni 1912 habiti, Praesides Congregationum conventum celebrarunt et saluberrima statuta sanxerunt. His rebus omnibus si addideris, in transmarinis quoque regionibus, praecipue vero in America, Catholicos ubique homines, Nostrorum quidem imprimis opera, Congregationibus favere plurimum, procul dubio intelliges, Societatem labori sibi carissimo diligentia summa incubuisse.

Jam diximus, ante suppressam Societatem solos Nostros Sodales Congregationibus praeesse potuisse, nec proinde extra nostra sive Collegia sive Templa Sodalitates exstitisse. Quod quidem animadvertens mirabitur nemo, multo pauciores Congregationes ad Primam Primariam aggregatas eo tempore fuisse. Post annum vero 1798, ac praecipue post 1825, mutata est ista rerum conditio, quippe quod eae quoque Congregationes jam aggregarentur, quibus No-

[1] *Ibid.*, 1899, n. 10.

[2] Radini Tedeschi-Stagni, *Atti del Congresso Mariano mondiale tenuto in Roma l'anno 1904, cinquantesimo Anniversario della definizione dogmatica dell' Immacolato Concepimento di Maria*, Roma 1905, p. 380 ss.

stri minime praeessent. En, habes, numeris expressum, conspectum summarium Congregationum earum omnium, quae ad Primam Primariam, a quo tempore legitime ipsa erecta est, adhuc fuerunt aggregatae:

| | |
|---|---|
| Ab anno 1584 ad annum 1752 . . . . . | 2126 |
| Ab anno 1752 ad annum 1826 . . . . . | 826 |
| Ab anno 1826 ad annum 1886 . . . . . | 14359 |
| Ab anno 1886 ad annum 1912 . . . . . | 19215 |
| Universae . . . . . | 36526 |

Ex authenticis vero fontibus certissime constat, in hac summa universa quamplurimas alias Congregationes, non minus fortasse quam decem millia, minime comprehendi; quae Primae Primariae fuerunt quidem aggregatae, sed temporum injuria in nullis catalogis, ad nos usque transmissis, reperiuntur de more inscriptae [1].

Unicuique autem, hos numeros diligenti attentione percensenti, in oculos statim incurrit, quantum, inde quidem a proclamato dogmate Immaculatae Conceptionis, in colenda B. Maria Virgine Christifideles progressi fuerint. Ac certe Congregationes longe plurimae deinceps hoc ipso titulo erectae sunt: anno scilicet 1908, 698 ex universis illis 998, quae aggregatae fuerunt; atque anno 1909, 685 ex aggregatis 1026. Dubium igitur nullum est, quin Mater illa misericordiae, sine labe concepta, easdem etiam nunc divinas gratias in suas Congregationes derivet, quas in Bulla aurea Benedictus XIV verbis adeo magnificis descripsit. Ait enim: « Ex hoc laudabili et pio instituto sanctis ac salubribus legibus pro varia Sodalium conditione multipliciter instructo, ac prudenti peculiarium Moderatorum solertia provide exculto, incredibile est quanta in omnium ordinum homines utilitas derivata fuerit; dum alii arreptam a teneris annis, sub Beatissimae Virginis clientela, innocentiae ac pietatis viam insistentes, bene moratae vitae tenorem, qui Christianum hominem et Virginis famulum decet, per omnes aetates, optimo exemplo et finalis perseverantiae fructu, servare meruerunt; alii a vitiorum illecebris, quibus misere erant irretiti, et a via iniquitatis, quam ingressi fuerant, ope clementissimae Matris

[1] *Acta Romana S. J.*, anno 1911, p. 161.

Dei, cujus obsequiis in hujusmodi Sodalitiis sese devoverant, ad bonam frugem revocati, sobriam deinde et justam et piam vitae rationem amplexi sunt, ac sacrarum exercitationum assiduitate in iisdem Congregationibus adjuti, in ea felicissime perseverarunt; alii etiam ex devota affectione erga Deiparam mature concepta, ad sublimiores divinae gratiae gradus evecti, vanis et fluxis hujus mundi bonis ac voluptatibus forti magnoque animo relictis, ad sanctiorem tutioremque regularis vitae statum commigrarunt, et Christi cruci per religiosa vota confixi, propriae perfectioni et saluti proximorum promovendae totos se dediderunt »[1].

Nec vero minus praeclaras laudes Congregationibus S. Mariae Virginis detulit Pius PP. X, cum, die 7 Septembri 1904, primum Italiae Congregationum Congressum excipiens: « Inter merita, inquit, venerandae Societatis Jesu, qualia sunt Apostolatus in regionibus etiam infidelium, institutio cleri atque populi, educatio juventutis ac maxime omnium firmitas et constantia, qua, prae quolibet alio religioso Ordine, vituperium, persecutiones, calumnias mundi sustinent, inter tot, inquam, insignia merita credo non esse ultimo loco ponendam Congregationum Marianarum fundationem; hae quidem a saeculis fere tribus et dimidio, inter juvenes Collegii Romani accepto ortu, hodiedum numerant Congregatorum Sodalitia 26.494, Sodaliumque millia plurima, qui, uno spiritu uniti, alium finem non habent quam ut se ipsos sanctificent legibus divinis observandis. Media vero quae sunt? Omnium quidem facillima atque maxime obvia: ut festa speciali modo sanctificent et mutuam inter fratres caritatem, maxime inter aegrotos fratres, colant. Ut festa, inquam, sanctificent, precando Virginem, sub cujus patrocinio Congregationes constitutae sunt, adsistendo Missae, faciendo quaecumque in concionibus praedicata audierunt, quam saepissime fieri potest ad sancta Sacramenta accedendo atque lucrifaciendis sanctis Indulgentiis, quas Summi Pontifices Congregationi Primariae aliisque omnibus, quae huic aggregatae sunt, concesserunt. Proinde ego vobis congratulor, quotquot estis, pueri, juvenes, operarii, studiosi, homines aetate provecti, qui nomina Congregationibus Marianis dedistis; in vobis enim videor mihi videre electam illam turmam eorum qui vere sint Christiani: Christianos fervidos

[1] *Bulla aurea de Congregationibus B. Mariae V., Instit. S. J.*, Tom. I, p. 284-285.

atque ad sacrificium quodlibet paratos, Virginis protectione et quasi lorica contectos divinae Omnipotentiae » [1].

Societatis nostrae alterum Sodalitium saluberrimum atque imprimis proprium est illa, quae dicitur *Congregatio bonae mortis.* Norunt enim omnes initia ejus, die 2 Octobris 1648, Romae in nostro Jesu Salvatoris Templo, posita esse a viro illo piissimo, Patre Vincentio Caraffa, Societatis Praeposito Generali. Qua de re ita scriptum invenimus: « In dicta Ecclesia Societatis Jesu, feria VI cujuslibet hebdomadae alias non impedita, dum vespere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum expositum erat, duo Patres Societatis piae fidelium contemplationi acerbissima mortis Domini nostri Jesu Christi in Cruce pendentis [2], ejusque Genitricis B. Mariae Virginis ad Crucem adstantis dolorum et lacrymarum monumenta variis colloquiis precumque recitationibus respective repraesentabant, ac verbum Dei, salubres ad bene moriendum meditationes excitando, in virtute etiam respective edocebant. Unde paulatim nonnulli Christifideles, piorum et salutarium operum hujusmodi instituto moti, in dicta Ecclesia congregabantur. Quae fidelium Congregatio, sub titulo *Domini Nostri Jesu Christi in Cruce moribundi ac Beatissimae Virginis Mariae Dolorosae*, Bonae Mortis (*della Buona Morte*) nuncupari coepit ». Postea vero, 23 Septembri 1729, non solum quae ab Alexandro VII, anno 1655, concessae Indulgentiae fuerant, a Benedicto XIII, Bulla *Redemptoris Nostri*, ampliatae sunt, verum etiam ipsa Romana Sodalitas evecta ut Primaria esset, atque concessa Praeposito Generali facultas, qua alias hujusmodi Congregationes, in Collegiis et Templis Societatis erectas, eidem aggregaret [3].

Restitutae porro Societati Pius VII, 6 Februario 1821, facultates et Indulgentias illas omnes iterum tribuit atque confirmavit. Die deinde 22 Januario 1827, ampliatio addita est maximi momenti. Nam dum antea in solis nostris Collegiis et Ecclesiis *Congregatio Bonae Mortis* erigi potuit, Leo PP. XII Patri Aloysio Fortis omnibusque deinceps futuris Societatis Praepositis Genera-

[1] *Discorso di S. S. Pio X ai congregati convenuti in Roma per il primo Congresso delle Congregazioni Mariane d'Italia, 7 Settembre 1904.* Roma 1904. Cf. etiam ELDER MULLAN, *La Congregazione,* etc. n. 1905 ss.

[2] Qua de causa aliquando haec dicta est « Sodalitas de agone ».

[3] *Instit. S. J.,* Tom. I, p. 238 ss.

libus fecit « potestatem etiam in aliis quam sui Ordinis Ecclesiis hujusmodi Congregationes erigendi ac Primariae Romae aggregandi atque eorumdem Sodalibus gratias, privilegia et Indulgentias communicandi » [1]. Novas quoque Indulgentias, 23 Januario 1866, Congregationi dedit Pius PP. IX [2]. Porro erectionis et aggregationis formulae approbationem et Indulgentiarum quae concessae fuerant confirmationem, 21 Martio 1885, largitus est Leo PP. XIII [3]. Qui praeterea, Decreto 17 Septembris 1887, declaravit: « Congregationes Bonae Mortis, etsi ab aliis essent erectae, nihilominus Indulgentias non posse consequi, nisi, ut jam pridem usus ferret, a Societatis Jesu Praeposito Generali ad Primariam Congregationem Romanam fuissent aggregatae » [4].

Die 1 Novembri 1912 Adm. R. P. N. Franciscus Xav. Wernz pro ista Congregatione nova praescripta edidit, e quibus haec putamus exscribenda:

*Finis.* Finis hujus Congregationis est Christianis moribus vitam ita moderari ut gratiam bonae mortis, cum Deo placuerit, consequi possimus.

*Media.* Exercitia pietatis ac virtutis quae singulis Sodalibus valde commendatur:

1. Sacramentorum Confessionis et Communionis usus saltem semel in mense et in festis Congregationis.

2. Assiduitas ad omnes Congregationis conventus. Si quis aliquando illis interesse nequeat, absentiam compensare poterit aliis pietatis exercitiis, exempli gratia Via Crucis, Corona Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, aliqua corporis afflictatione, visitatione infirmorum, vel recitando quinque *Pater* et *Ave* in honorem quinque Vulnerum Domini Nostri Jesu Christi.

3. Interesse Sacrificio Missae diebus ferialibus.

4. Recitare quotidie tum *Ave Maria* pro Sodalibus totius mundi tum, praesertim tempore Consecrationis in Missa, pro moribundis Congregationis precationem illam:

« O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro Te per agoniam Cordis Tui Sanctissimi et per Dolores Matris Tuae Immacu-

[1] *Ibid.*, p. 344, 355.
[2] *Ibid.*, p. 413.
[3] *Ibid.*, p. 429 s.
[4] *Ibid.*, p. 459-460.

latae, lava in sanguine Tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen. Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium! ».

5. Opera misericordiae, et praecipue infirmos, in carcerem conjectos, et pauperes invisere; tum etiam orare pro infirmis et pro vita functis, eorumque funus comitari et supremis officiis assistere.

6. Examen Conscientiae antequam eatur cubitum.

7. Offerre Deo cujusvis sextae feriae opera bona, et semel in mense Sacram Communionem recipere, ad impetrandam omnibus in universo mundo Sodalibus gratiam bonae mortis.

8. Semel in mense, die statuto, recollectio; aut simul aut seorsum facta, ut se praeparent ad mortem.

9. Confessio Generalis semel in anno, praesertim tempore Exercitiorum Spiritualium.

10. Si quis infirmum vel mortuum domi habeat, moneat Directorem, ut precibus omnium eum commendet.

11. In morte cujusque Sodalis, reliqui pro ejus anima tertiam partem Rosarii Beatae Mariae Virginis recitabunt et Indulgentias applicabunt quas lucrari poterunt in proxima Communione.

Exercitia in communi peragenda:

1. Singulis hebdomadis, aut saltem semel in mense, die aliquo statuto, praesertim feria VI vel Dominica, pium exercitium fiat in honorem Domini Nostri Jesu Christi Crucifixi ac Beatissimae Virginis Mariae, ejus Matris Dolorosae.

2. Die aliquo statuto cujusvis mensis, Recollectio in praeparationem mortis.

3. Communio Generalis semel in mense.

4. Exercitia Spiritualia semel in anno, quoad fieri potest.

5. Celebratio Missae semel in mense pro Sodalibus defunctis [1].

Quibus addidit Adm. R. P. N. exercitia conventuum ordinariorum, Romae anno 1672 typis impressa et a P. Roothaan, bonae memoriae, anno 1841 denuo approbata [2]. Additur praeterea novum Summarium Indulgentiarum Congregationum Bonae Mortis, quod ex liberalitate S. S. Pii X (9 Februario et 16 Martio 1911) magnum incrementum accepit [3].

[1] *Acta Romana S. J.*, Romae 1912, p. 119 s.
[2] *Ibid.*, p. 121-125.
[3] *Ibid.*, p. 17-21.

Quibus rebus omnibus ita descriptis plane apparet, quantam Sodales nostri in suis Templis, in Domibus Professis, in Residentiis, locisque aliis operam continuo impendant propagando cultui SS. Jesu Cordis, tradendis Exercitiis Spiritualibus S. Patris Ignatii, erigendis dirigendisque B. Mariae Virginis et Bonae Mortis Congregationibus. His autem ipsis operibus excolendis, in praedicando verbo Dei revera assidui sunt. Ut enim ipsa Exercitiorum Spiritualium series maxime contexitur meditationibus habendis, quibus Nostri praecipuas fidei vitaeque Christianae veritates proponunt, ita in coetibus Congregationum B. Mariae Virginis magis familiari concionandi genere excolunt virtutes et vitam Christi, B. Virginis Mariae, Sanctorum. Ac simili quidem ratione, dum in iis quos ad honorem SS. Cordis instituunt coetus, personam Christi et SS. Cor ejus proponunt concionando, ad congregatos Sodales Bonae Mortis plerumque de Passione Domini Matrisque ejus Perdolentis verba faciunt.

Istis igitur concionibus omnibus atque aliis etiam, quae, sive in Sacris Missionibus tradendis, sive per religiosa sollemnia quaecumque, suis temporibus habentur, hic maxime praefixus scopus est ut ad Sacramenta frequentanda Christianasque virtutes colendas homines excitentur. Nec vero multis verbis dicere nunc volumus de nostro confessionum excipiendarum ministerio; factu enim difficillimum est ut numeros recenseas sive confessionum sive aliorum, quae Nostri obire ministeria solent. Nam etsi pro Provinciis multis, atque adeo pro Assistentiae uniuscujusque parte numeri computari quidem possunt [1], pro universa tamen Societate fieri id vix poterit. Ac praeterea, etiam ipsos numeros diligenter recensendo, laborum nostrorum conspectum parum aptum exhiberes, quippe cum omnimodae molestiae, persecutiones, expulsiones in causa fuerint, cur continua plurimorum annorum opera vix in paucis regionibus obtinere posset. At certe omnium haec fertur opinio, confessarios Societatis, tum in civitatibus tum in agris, ubi per occasionem degunt, ab omnibus expeti atque requiri. Frequentem autem Communionem a Nostris, exemplum S. Patris Ignatii secutis, promotam semper fuisse, id tum ex Jansenistarum aliorumque insectandi furore, tum vero maxime ex iis rebus omni-

[1] Cf. e. c. *Woodstock Letters, Letters and Notices*, alibi.

bus apparet, quas de Sodalitiis, Congregationibus, Exercitiis Spiritualibus jam diximus: istis enim omnibus inter alios etiam ille, quem diximus, praefixus scopus est, ut frequentem S. Eucharistiae usum promoveant. Quod his quidem annis apertius constare potuit ex ingenti illo librorum, lucubrationum, foliorum numero, quibus Nostri frequentem atque quotidianam Communionem inter homines cujuslibet aetatis et conditionis invicto argumentorum robore propagare conantur. Sed istam Nostrorum diligentiam in fungendis iis, quae spiritualia misericordiae opera dici solent, notiorem esse putamus quam ut iisdem enarrandis diutius inhaereamus.

At vero in paucorum notitiam venerunt, quae a Societate exculta sunt atque coluntur *misericordiae opera corporalia*. Paulus quidem PP. III, in ipsa Bulla institutionis *Regimini militantis Ecclesiae*, semel atque iterum ostendit, ea tum ad vocationem nostram omnino pertinere, tum a Sodalibus nostris egregie pertractata reapse fuisse, dum videlicet commemorat quae merita consecuti sunt, « omnia caritatis officia .... ubique terrarum, ubi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo ». Atque in ipsa etiam S. Patris Ignatii formula Instituti, eidem Bullae inserta, tanquam nostrae vocationis propria recensentur « Spiritualia Exercitia et caritatis opera » [1]. Quae verba in omnibus fere etiam posterioribus Bullis, quibus confirmatum est Institutum, denuo recurrunt [2].

Cui quidem vocationi fortitudine plane egregia Nostri obsecuti semper sunt. Jam anno sane 1573, litteris testatus est Albertus Bavarus, Patrum in hospitiis officia, caritatem, erga pauperes misericordiam omnibus passim innotuisse [3]. Cum autem saec. XVIII in eo Societas erat, ut philosophis incredulis, hostilibusque principum animis succumberet, strenuum nacta est patronum, Migazzi Cardinalem Vindobonensem, qui, ad Mariam Theresiam et ad Clementem PP. XIV scribens: « Universa, inquit, civitas Vindobonensis testatur, quanta illi caritate atque perseverantia aegrotis et moribundis assistant » [4].

Nec vero minori diligentia iisdem caritatis exercitiis operam

[1] *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 3-4.
[2] *Ibid.*, p. 7, 22, 23, 35, 64, 87, 91 etc.
[3] Janssen, *Geschichte des deutschen Volkes*, IV (1885), p. 431.
[4] *Stimmen aus M.-L.*, 1890, Tom. 38, p.491. Wolf, *Allgemeine Geschichte der Jesuiten*, Zürich 1792, IV, p. 14 ss.

restituta Societas dedit. Ipsius enim etiam restitutae Societatis propria semper erat Provincialis regula haec 99: « Tempore pestis aliqui ab eo designentur, qui separati ab aliis proximis juvandis vacent » [1]; dum Magistri Novitiorum regula 29 praecipitur ut per mensem integrum in hospitiorum officiis Novitii exerceantur [2]. Sane quidem regulis istis observandis ea conditio addita semper intelligitur, dummodo ne praestantioris momenti res obsistant; etenim haud ipsum pestilentiae periculum in causa unquam erit, cur aegrotorum officia a Nostris devitentur. Cujus rei praeclara exempla magno numero referri possunt. In Gadensibus quidem *Litteris annuis* 1819 ita scriptum legimus: « Ad moribundos quoque frequenter vocabantur, et ibi praesto aderant. Hoc tamen ministerium nos in narrationem ducit novi casus, in suo genere singularis, et Collegio huic humanis oculis dolendi, at in fidei fastis gloriosi. Subsequenti enim mense Septembri dira illa pestis, quam febrim flavam vocant, et quae civitati illi jam periodice endemica dici potest, grassari coepit, Patresque nostri illi duo (Franciscus A. de Herrera et Andreas Ludovicus Morel), nulli quaerenti se negantes, luem ipsi quoque contraxerunt, et ambo spatio 12 dierum charitatis victimae defuncti sunt, secum etiam adducentes novitium Magistrum Philippum Zepeda, caeterosque et contagio plerumque tactos et orphanitate quadam absque ullo Sacerdote moestos relinquentes. Septem numero isti erant, Scholaris Novitius unus, Novitius Coadjutor alter, quinque veterani Coadjutores, quibus omnibus quasi superiorem et patrem se exhibuit optimo ex clero illo Sacerdos, D. Josephus Gandulfo, et pro rebus temporalibus non parvum auxilium praestitit pius quidam civis D. Franciscus Xaverius Marca, ambo Societatis amicissimi, qui cum Patre Commissario Generali [3] statim literarum commercium aperuerunt, ab eoque facultates et normas acceperunt opportunas, pro parva illa communitate gubernanda dum calamitas illa duraret, et duravit usque ad sequentem Martium; quibus sex mensibus Fratres illi absque Superiore proprio vixerunt, et nihilominus ordinem et scholas apertas conservarunt. Mense tandem Aprili missus illis

[1] *Instit. S. J.*, Tom. III, p. 83.
[2] *Ibid.*, p. 124.
[3] Cui plena potestas concredita Romae erat, dum Pater Brzozowski degebat in Russia.

ut Superior fuit Pater Ignatius Duchesne, et alius quoque Scholaris, qui locum defuncti Magistri occuparet; sicque Socii illi recreati et omnes numero novem ministeria laboresque suos continuarunt, usque dum civili turbatione superveniente eodem anno 1820 omnia evanuerunt »[1].

Qua tamen Provinciae Hispanicae, quae annos vixdum 5 steterat, dispersione Patres ab officiis caritatis minime destiterunt. Anno quidem 1821, pestilenti morbo vexata est Dertusa. Auxilio confestim occurrerunt Scholasticus juvenis, cui nomen Ferdinandus Heralt, et Coadjutores duo, Franciscus Jordan et Raymundus Ruiz. In summo discrimine res erat; qui tamen in statione omnium periculosissima, a magistratu ipsis designata, impavidi permanserunt, curis suis maternis, quas orphanis exhibebant omnium admirationem sibi conciliantes. At vero vixdum morbus cesserat, cum ecce hi tres Jesuitae vinculis mutare aegrotorum officia coacti sunt. Ipso tamen populo, ob eximii beneficii memoriam, vehementer reclamante, gratiae loco concessum illis est ut in exsilium abirent[2].

Eamdem caritatis devotionem in Missione quoque Americae Patres nostri exhibuerunt. Hi quippe Collegio Washingtoniano excolendis Americanis operam jam ponebant, cum, anno 1831, cholera morbus erupit. Philadelphia igitur ad comitissam Constantiam de Maistre de auxilio a Nostris [3] lato scribens Pater Stephanus Dubuisson (ob. 1864): « Pestilentem esse hunc morbum, inquit, in comperto prius non erat; qua quidem de re variae sententiae ferebantur; sciebant tamen atque experti mox viderunt, saepe, ubi quis in aliqua sive familia sive domo morbo correptus cecidisset, mox ibi alios plures sequi, ita ut cholerae morbi terrore perculsi omnes essent. Ac saepius quidem accidit ut, qui lue infecti essent, conditioni suae miserrimae relinquerentur; aut saltem, quando sive mater, sive uxor, sive familiaris amicus, sive fidelis servus, sive herus misericors curas aegrotis exhibebant, quales morbus ille requirebat assiduas, frustra ut auxilio quis veniret invitabant. Etiam ipsi sectarum ministri, quippe qui non Christiana caritate, sed suis ipsorum commodis ducerentur, aut, quantum

[1] * *Litt. annuae Prov. Hispan., ad an. 1819-1820.*
[2] Crétineau-Joly, *Histoire de la Comp. de Jésus.* Tom. VI, 2e éd., p. 254.
[3] Fere enim omnes, de quibus dicit, e nostra Societate Sacerdotes erant.

poterant, locis quae lues infestarat, excedebant, aut ut plurimum cavebant ne morbo infectos viserent. Ut plurimum, inquam; fuerunt enim ex ministris illis aliquot, qui, ad patientiam moribundos excitaturi, periculo obviam ire non dubitarent. At fatendum tamen est, extra Catholicam communionem, sive ipsos aegrotos sive qui eorum curam gererent de invitando suae religionis ministro vix unquam cogitasse. Quantum vero ista sive utilitatis suae cura sive negligentiae dissolutio distabat ab ardore illo fortissimo diligentissimisque curis Sacerdotum earumque, quae a caritate nomen tam feliciter gerunt, Sororum! Publicorum quidem foliorum narrationibus audiverant homines, quantum charitas illa atque diligentia valuisset in Europa primum, tum in Canadensi regione, quam lues ista depopulata ante erat quam in nos ipsos irrueret; etenim praestat suis ipsius oculis rem videre. Quicumque igitur Protestantes erant, Presbyteriani, Methodistae, Quakeri, Unitarii, stupuerunt simul omnes, cum Catholicos Sacerdotes videbant universos, qui, qualibet sive diei hora sive noctis, ad homines lue infectos accurrerent, neque id solum in divitum domos, verum etiam atque saepius in exilia atque squalida tuguria pauperum et nigritarum. Admiratione vero plane defixi haerebant, si quando Sacerdotem videbant, qui moribundo sordibus obsito officia exhiberet, quae omnium vilissima maximeque indecora vocare mundus solet »[1].

Jam, in Europam redeuntes, nescio an non major etiam caritatis devotio ibi conspicienda nobis offeratur. Sane quidem, suppressae Societatis temporibus, Lusitani omnium maxime Sodales nostros divexarant. Qui ubi primum, anno 1832, in regionem istam ingredi denuo potuerunt, invenerunt statim, quibus suam nullis vexationibus exhaustam caritatem impenderent. De regno quippe inter se cruentis praeliis Don Pedro et Don Michel eo tempore decertabant, dum ipsae belli calamitates terroribus quos cholera morbus incutiebat, ubique augebantur. At, periculis nusquam territi Patres, per sex menses, diu noctuque aegrotis moribundisque adsistentes, Sacerdotum simul fungebantur muneribus atque medicorum. Sive quis a Don Pedro sive a Don Michel stabat, caritatem atque diligentiam filiorum Ignatii experiebantur omnes. Verum ecce cholerae morbi calamitatem mox ipsa typhoica febris ad cumulum

[1] CRÉTINEAU-JOLY, Tom. VI, p. 291-292.

auxit, qua Nostri quoque correpti vix non omnes in summum vitae discrimen adducti sunt. At solus tamen occumbens Pater Firminus Tranquart (1834) fortitudinis suae aeternam mercedem mox accepit [1]; dum reliqui Sodales omnes, eodem quoque anno, loco mercedis, e Lusitania denuo sunt expulsi.

Qua aetate quasi Europam circumiens iste cholera morbus, posteaquam Londinum, Lutetiam, Matritum depopulatus est, brevi deinde post, etiam Neapolim invadens, multa hominum millia absumpsit. Luctuosissimus ille annus erat 1836, quo Patres nostri suae erga proximos caritatis egregia exempla denuo praebuerunt. Quibus omni hora locisque omnibus unicuique aegroto officia sua exhibentibus, nec sibi parcentibus ratione ulla, providus Deus adfuit peculiari auxilio. Nam tametsi inter homines lue infectos per totam diem versati sunt, operae incumbentes gravissimae, eorum tamen ne unus quidem vel levissimo capitis malo laboravit. Res praeterea notatu dignissima etiam haec evenit, quod, instituta sollemni pompa, qua S. Francisci Xaverii statua argentea, comitante ipso Senatu, qui donaria obtulerat pretiosa, circumferebatur, numerus hominum quotidie morientium a ducentis ad 40 imminutus est, atque ipse morbus mox omnino evanuit [2].

Cum tamen lue infecti cives obiissent plurimi, nihil mirum, a Siculis, insulam suam a pestilentia ista teterrima deinceps defendere volentibus, quam late litus patebat, multis locis custodias pro statione caute positas fuisse. Cum tamen morientium numerus Neapoli valde imminutus jam esset verisque adventasset temperies salubrior, Siculi custodiis se carere jam posse censuerunt. Haec prima mali labes. Die quippe 7 Junio 1837, eadem pestilentia tactos homines duos Panormi repererunt. Expaverunt terrore cives. Hominum fere 20.000, peregrini plerique, loco excedentes, ingentem diversoriis atque tabernis cladem attulerunt. Quos subsecuta mox est ipsorum opulentorum civium major numerus; ut, isto mense Junio ad finem vergente, e Collegii nostri discipulis 800 ne unus quidem scholas adiret. Prohibita mox sollemnia quaelibet hominumve conventus. Plebs quoque, quod calumniando perversi homines rumorem sparserant, quasi primores civitatis veneno publi-

[1] *Ibid.*, p. 267-273.

[2] A. Narbone S. J., *Annali Siculi della Comp. di Gesù dall'anno 1825-1859*, III, ad an. 1836, n. 36, Palermo 1907.

cos fontes infecissent, seditionem ac tumultus movere coepit. Interea vero vehementior in dies ita saeviebat lues, ut duorum mensium spatio hominum 30.000 absumerentur.

Quae jam anno proxime superiori publice statutae supplicationes fuerant, eas Nostri in summo isto periculo suis ipsi exercitiis auxerunt. Quotidie litatum S. Missae Sacrificium; venerationi expositum Sanctissimum; domi peractae poenitentiae plurimae. Quamquam clerici haud pauci luem aufugerant, remanentes tamen eorum major pars, tum regularium tum saecularium, officia sua ita explebant cumulate, ut multi etiam decora morte occumberent. Interea vero ad nostros Sodales conversi omnium oculi erant. Nec spe sua atque exspectatione dejecti sunt. Ad unum enim omnes Collegii nostri incolae, Sacerdotes, Scholastici, Novitii, Coadjutores exoptabant atque instanti prece Superiores rogabant ut diu noctuque officiis aegrotorum, quaecumque eorum necessitates vel undecumque petitiones erant, adhiberi sibi liceret; ut ipsa hac copia inopes, cui quo ordine satisfacerent, Superiores nescirent. Dum igitur universa civitas, prae terrore atque angustiis, quadam quasi dementia capta stupebant, impavidos Nostros cerneres, suum caritatis opus fortibus animis aggredientes. Haud equidem dixerim, nullo eos timore neque horrore ullo sua sponte correptos fuisse; immo vero non defuerunt, qui vim ipsi sibi inferendo vel nausea caperentur vel etiam viribus deficerent. Ac profecto erat cur timerent; nam haud raro fiebat ut quem mane egregie valentem per vias incedere vidissent, ille sub ipsam vesperam tumulo raptim condendus esset. Quasi solam sedentem atque emortuam diceres civitatem plenam populo.

De qua quidem ingenti calamitate haec quidam scripsit, qui suis eam oculis adspexerat: « Augebatur, inquit, stupor tetro isto atque horribili adspectu tot numero aegrotorum, qui in singulis domibus, plerique sine ullo humano subsidio, jacebant. Horresco rem cogitatione repetens! Ubi primum quis ex improviso impetitus morbo fuit, illico mortifera prodire signa: praeruptus et continuus ventris fluor, vomitus vehemens saepiusque repetitus, prae dolore intolerabiles convulsiones nervorum, quorum quasi contererentur extremitates; intra viscera exardescens flamma, quae sedari nullo refrigerio posset; nigrescere ungues, contorqueri digiti, recedere oculorum caveae, terribilis tota facie pallor, virium exhau-

stio, ipsius hominis quasi derelictio, vitae vigor cedens, ejusdemque unquam recuperandi spes evanescens omnis. Me miserum! qualia ego vidi ipse? et in quot numero hominibus, in quot domibus, quot diebus et quoties unoquoque die istud vidi? Vivida adhuc mihi superest atque remanebit nusquam delenda imago tot numero lectorum, tot hominum moribundorum, tot victimarum miserarum » [1].

E Nostris praeterea quam multi plurimos vel sanguine vel intima necessitudine sibi junctos conspicere debuerunt absumptos lue teterrima. Erant sane, qui, inter miseros aegrotos diu noctuque versati, ex hominibus sibi carissimis alii 4, 5, 6, alii etiam 12 vel 16 emori viderent. Qui, qua ipsa hora tristissimum ejusmodi nuntium acceperant, Domo excedentes, ignotos quoslibet adibant, sua illis officia impensuri diligentia plane mirabili. Nostros tamen haec maxime res dolore affecit, quod in sua ipsorum Domo strages simul edebatur luctuosissima. Quamdiu enim Domum nostram nondum invaserat teterrima lues, pronum erat horrore minus eos corripi; verum ubi ipsos strenuos viros e Nostris corruentes viderunt, eos etiam qui nullis aegrotorum officiis dediti fuerant, tunc enimvero ea fortitudine opus erat, quae naturae vires plane excederet. Ita quidem unus post alium occubuerunt Pater Joannes Colonna, Pater Ludovicus Ricci, Pater Sebastianus Zafferana, Antonius Farina Novitius, Cajetanus Siracusa Coadjutor temporalis: uterque ille prior in Collegio Maximo, reliqui vero in Domo Professa defuncti.

Nec tamen eorum, qui superstites erant, ullus metu adigi potuit ut cederet malis, sed contra audentiores ibant omnes. Domus enim Professae Collegiique incolas universos, numero 150, per totam civitatem videre poteras, periculis ubique obviam euntes, auxilioque omnimodo succurrentes miserrimis civibus Panormitanis. Sive quis Pater erat senio confectus sive pueritiam vixdum egressus Novitius, aegrotorum et moribundorum lectis adstabant omnes, tum corporibus tum animis auxilium laturi atque officia praestituri etiam vilissima. Praeterea quasi obsidione cincti per totam diem confessarii erant. Poenitentium enim tam ingens multitudo erat ut in ipso Templo excipi nisi solae feminae non possent, virorum autem confessiones in sacrario, in locutoriis, in Scholarum aulis essent audiendae. Inter haec autem omnia iteratos audires clamores: Huc adesto! Pater mihi morti proximus, moribunda mater, in extre-

[1] *Ibid.*, ad ann. 1837, p. 27.

mis soror, dira lue moriturus patronus! Sane singulos Patres ubique multiplices adesse diceres utque omnibus satisfacerent, omnia omnibus factos. Quibus ut novos quotidie animos faceret, vir ille fama clarus et pietate conspicuus, Pater Ludovicus Taparelli vespere puncta meditationis tradens, eos sacro quasi ardore inflammabat. Verbo, Apostolici effati haec erat adimpletio: « Caritas omnia suffert, omnia sustinet »; humanas enim vires ingens ille duorum mensium labor plane excedebat.

Augusto deinde mense remittens morbus tandem totus evanuit. Cum igitur teterrimae luis tempora paulatim circumspicere homines valerent, tum demum iisdem constare potuit, quam ingens illa Ignatii filiorum fuisset fortitudo. Neque adeo mirum, per illos dies novis semper commentariorum laudibus ornatos Patres fuisse. Quod quidem folium, publica auctoritate editum, *Cerere* dicebatur, collaudatis omnibus, qui de civitate bene meriti erant: « Super omnes vero, inquit, eminuerunt Patres Societatis Jesu, qui, periculis quibuscumque contemptis, totos se addixerunt serviendis hominibus cujusque conditionis, illis auxilia subministrando, animo faciendo, religionis subsidia exhibendo ». Atque alio loco: « De Patribus Societatis Jesu sermonem jam fecimus; neque verba suppetunt ulla, quibus auxilium laudetur, quod illi omnibus per ista tempora praestiterunt, tum impensa sua ipsorum opera, tum etiam subsidiis illis, caritate plenis, quae pauperrimo cuique prodigi impenderunt »[1].

In folio quoque, cui nomen *Effemeridi scientifiche e letterarie per la Sicilia*, haec scripta legebantur: « Gratae mentis debito commemoremus oportet, qua ratione qui altari ministrant, atque imprimis Jesu illa Societas, boni exempli prodiga neque unquam laudanda satis, sua, per terribilem istam calamitatem, pietatis officia largissime impenderint commodis moribundorum, suam ipsorum vitam magno animo parvipendentes. Qui, constanter sancto illo atque evangelico animati zelo, periculis obviam euntes, in media vitae discrimina exsultantes plenique fiduciae se conjiciebant »[2]. Luctuosissimi igitur illi at simul memorabiles Panormitanae luis dies ad futuras deinceps aetates laudes Siculae Provinciae perpetuo propagabunt[3].

[1] *Cerere*, 19 Julio, n. 148, et 23 Augusto, n. 158.
[2] *Effem. scient.*, n. 50, p. 169.
[3] NARBONE S. J., *Annali Siculi*, anno 1837.

Hos autem labores dum exhauriebant Panormitani Patres agendo patiendoque, ipsam quoque Romanam Urbem dira ista calamitas invasit. Atque appropinquante quidem morbo vir ille pietate et fortitudine insignis, Pater Roothaan, Societatis Praepositus Generalis, Nostros omnes, qui Romae degebant, compellans, rogari jussit, ut nomen darent quicumque se ad aegrotorum officia censerent vocatos. Atqui ex universis, qui trecenti erant, desideratus est nemo. Suos tamen a luis contagione praeservaturus, Pater Roothaan, convocatis Domorum Superioribus, una cum iis voto se Purissimo Cordi Mariae obstrinxit: si Societati parceretur, fore ut per decem continuos annos in pervigilio Festi Purissimi Cordis B. Mariae Virginis omnes jejunarent; utque ipso festo die Sacerdotes ea intentione sacrum facerent, Sociique omnes post meridiem, coram Virginis altari flexis genibus Litanias cum aliis quibusdam orationibus recitarent.

Quod votum posteaquam ratum Socii habuerunt, ad sanctum illum caritatis laborem, neque ipso Generali Praeposito ejusque Assistentibus exceptis, ad unum omnes accincti processerunt. Ex illis porro luctuosis Augusti diebus, quo tempore morbus invaluerat maxime, domesticis annalibus conscriptae res narrantur gravissimae. Ex quibus pauca haec.

Sacerdotem quemdam, Sacrum Viaticum deferentem, in Via S. Romualdi subito morbus invasit; nervorum ille distentione correptus, vomendo concidit. Praeteriens autem e Patribus nostris aliquis, squalore obsitum superpelliceum mox induit, sumptumque secum Sanctissimum Sacramentum ad moribundum defert. Alii iterum e Nostris duo aegrotum, quem lectica impositum ad hospitium bajuli deferebant, obvium habuerunt; cujus ubi alter confessionem excepit, mox uterque ad xenodochium eum gerunt, ibique Sacramentis ille munitus moritur. Per plateam, quae dicitur *Piazza di Ara Coeli* procedentes Patres nostri duo, cum horribilem ibi foetorem naribus haurirent, rei explorandae causa vicinam domum ingressi, derelictam eam reperiunt, liquefactumque putredine cadaver humi jacens; quod, mox conquisita arca inclusum, imponunt plaustro, quo sub vesperam per vias Urbis circumvectare homines solebant. Porro Pater aliquis cum Coadjutore Socio, prope Sancti Eusebii, adsistebant aegroto, qui lue tactus in via corruerat. Accurrens interea homo

rusticus: « O Pater, inquit, jacet illic quoque in ponte, ad Portam Naeviam, homo animam agens ». Conspicatus simul « Ministros sanitati tuendae » Frater ad moribundum eos deducit. Cujus confessionem Pater excipit, dum Frater aquam conquirit. Mox vehiculo hominem uterque imponunt atque ad Aedem Marianam Majorem ducunt, ubi Sacro morientium Oleo ungitur; qui ad proximum hospitium deinde delatus, ibi Patris manibus immoritur.

Quantacumque vero Patrum animi fortitudo erat, fatebantur tamen, ubi primum extremam miseriam istam in hospitiis pauperumque casis conspexerant, haud raro omni vi enitendum sibi fuisse ut operae incumbere constantes pergerent. Nam si mane e Nostris aliquis maritum juvenem morientium Sacramentis munierat, vespere saepe evocabatur ut, dum illum exanimem efferebant, uxorem moribundam juvaret. Puero decumbenti adsistens mater, saepe ipsa illico perculsa corruebat. Fiebat ut, illata etiam vi, avellendi filii essent a patre suo, qui, mane bene valens, irruente mox vomitu, ictuque fulmineo, qui dicebatur, tactus, ante noctem e vivis jam cesserat.

Aegrotis vero pauperibusque quibuslibet panis, carnes, offa, medicinae, pro sua cujusque necessitate, abunde suppeditabantur. Undequaque eleemosynae ad Patrem Roothaan affluebant; cui etiam a Russorum legatione magna pecuniae summa submissa est. Sua autem ipse manu Pater Generalis, quid cui dedisset, adnotabat.

At Gregorius XVI quoque, in medio populo suo assidue versatus, ipse hospitia visebat, benedicebat aegrotis. Qui ut omnium quam B. Virgini habebant, fiduciam stimularet, sollemni pompa ipse cum omnibus Cardinalibus, Episcopis, Religiosis Ordinibus, Collegiis prodigiosam S. Mariae Majoris Imaginem ad nostrum Salvatoris Jesu templum deduxit. Ad fores Templi, quod suo sollemni ornatu decoratum fuerat, adstabat cum suis Assistentibus Patribusque multis Pater Roothaan. Prae fide ac fiducia exclamans populus auditus est, cum ad Aedem propinquabat Sacra Virginis Imago. Quam, genibus flexis veneratus, Pater Roothaan una cum Gregorio Papa in Templum induxit. Incredibile autem dictu, quam intima devotione populus per totam diem precabundus oppleret Templum. Ipse quoque Pontifex, Sacro ad altare Virginis facto, Communionem accedentibus tribuit. Dum igitur in Templo Jesu Salvatoris expositam Imaginem venerabantur, inventa est, formae inserta,

lamina metallica, cui pulcherrima incisa precatio erat. Cujus, typis impressae, exemplarium multa millia populo distributa fuerunt. Auctore etiam Patre Roothaan, Patres aegrotis aquam S. Ignatii bibendam dederunt, eventu quidem saluberrimo. Quod ubi resciverunt, accurrere statim immensa hominum multitudo; ut per innumeras vices vixdum benedicta statim illa distributa omnis esset. Sancto autem Ignatio egregie fidem habens, populus altari ejus candelabra sex deaurata dono dedit.

Ac tandem aliquando ubi saevire desiit horrenda lues, e Sodalibus nostris 340, qui suam aegrotis operam impenderant, haud solum ne unus quidem lue contactus fuerat, verum, quantumcumque immanis labor atque intolerabiles calores, ne vel minimo quidem valetudinis incommodo quisquam laboraverat. Quod igitur votum Purissimo Mariae Cordi Nostri dederant, religiosis animis exsolverunt. Immo ab illo etiam tempore propositum conceperunt, ut Officium et Missam illius Purissimi Cordis a Pontifice sibi concedendum peterent. Post multos deinde annos probatum illud in multas Provincias et regiones invectum est. Ipsum quoque festum hoc, *Kalendario perpetuo* Societatis Jesu adscriptum, Dominica secunda post Assumptionem B. M. V. celebre a Nostris omnibus, per multos annos, habebatur.

Sed neque ipsa Urbs gratae mentis officii immemor erat. Ad nostram igitur Salvatoris Jesu Domum Professam Senatus venit, Patri Roothaan universaeque Societati publicas acturus gratias, quod illi calamitatis tempore tam egregia officia civibus exhibuissent. Quos benigne excipiens Pater Roothaan ipsis lacrimis non temperavit, motus quippe ingenuo illorum testimonio, quo simul constaret, a sua ipsius vocatione Societatem non defecisse. Atque ipse etiam Gregorius PP. XVI, actis Praeposito Generali gratiis, eximiam Patrum, quam Purissimi Mariae Cordis fiduciam habebant, collaudavit; dum cives, in viis ubique retinendo Patres, qua gratiis qua votis eos opplebant, manumque iis exosculando: « Sane vobis, dixerunt, cum animae tum corporis vitam acceptam referimus ». Atque erant hi quidem quasi *Hosanna* decantantium clamores, quos, annis ferme decem post, imprecationes excepturae erant eorum, qui, *Crucifige* exclamantes, extra Urbem ipsamque Italiam eosdem viros ejicere festinarent.

Porro qui lue occubuerant homines omnino 5419, orphanos

non pauci reliquerant; eos igitur ipse Pontifex curandos suscepit; dum Pater Roothaan quoque misellos hujusmodi pueros 14, ad « Aedem Sancti Stephani Rotondam », suis sumptibus educari jussit [1].

Anno deinde 1855, cum cholera morbus denuo Italiam invasisset, iterum Patres nostri, haud mora in statione adesse. Ut enim annuis litteris invenimus scriptum: « Nostri omnes Rectoribus suis, Rectores vero ecclesiasticis viris operam exhibuerunt suam et suorum, parati etiam vitam profundere in auxilium et salutem proximorum. Ac primo quidem Veronae Patres sex aut septem, de Tironum numero fere omnes, per pagos et suburbia missi, agricolis pauperibusque mortifera tabe correptis diu noctuque adfuere. Alii aliis vicissim succedebant, etiam ex Fratribus Coadjutoribus, ut in suburbano S. Michaelis misellos in unam domum ad id instructam collectos et illa exitiali contagione tabescentes omni ope juvarent ».

« Brixiae, quod in oppidum teterrima contaminatio ingentem civium cladem attulit, Pater Joannes Majus in publico languentium ac morientium nosocomio, dies noctesque integras tamdiu se totum impendit in salutem et levamen animarum, donec mors et morbus saevire penitus desierunt. Ipse autem, Angelo protegente, sanus et incolumis evasit. Ex aliis Collegii Brixiani Patribus unus per id tempus aegrotavit ».

« Regii Lepidi Sociis septem eximium hoc charitatis ministerium commissum fuit; qui nullis propterea neque itineribus neque laboribus aut vigiliis, ut dirissima lue laborantibus assisterent, pepercerunt ».

« Mutinenses denique Patres eadem commendatione dignissimi sunt, qui tum intra tum extra urbem per domos et valetudinaria publica, spreta morte tam imminenti, sancto operi prompte et fortiter institerunt [2].

Annis autem 1854 et 1855, in Gallia quoque cum morbo isto dirissimo colluctandum Nostris fuit; qui se haud equidem minus sive fortes sive magnanimos quam Italiae Patres praestiterunt. Eorum enim *Litteris Annuis* haec referuntur scripta: « In Collegio Dolano, exeunte Julio mense, claudendus erat Scholaris

[1] De rebus omnibus per pestilentiam istam gestis, cf. * P. Manfredini, in iis quae ex vita P. Roothaan materiae collectae fuerunt, parte III, 1-16.

[2] * *Ex litt. ann. manu scriptis Prov. Venetae*, 1843-1856, cap. XI.

annus 1854 solemni triduo in honorem Beatorum Andreae Bobolae et Joannis de Britto, cum derepente rumor ingentis calamitatis praevius civitatem incessit. Deus scilicet exercituum arcum suum tetendit, et gladium suum vibravit adversus eos qui diem religione sacrum rite colere detrectant. Ubi percrebuit rumor, Virginis opem implorant fideles. Primo mane quatuor mille vigilant ad fores sacras in Rolando monte, et observant ad postes ostii ejus, Deiparam deprecantes ut dignetur malum avertere et Filii iram compescere. Ast secus Deo visum, qui fidem suorum tentare decreverat ».

« R. P. Rector, qui hucusque parentibus filios postulantibus surdam praebuerat aurem, alio tandem consilio ductus, universos dimisit cum litteris quibus significabat se non posse amplius dilectam juventutem pestifero aeri expositam relinquere, ideo censuisse mittendum quemque ad suos. Et fuit paterna Providentiae erga suos sollicitudo. Vix enim discesserant alumni, cum malum erupit. Jam stupere, pavere omnes, alio migrare cives, relictis tantum egenis. Nec mora, advolare Nostri quo vocabat periculum, aliis temporalia, aliis spiritualia ministrantes. Percussit Dominus populum suum per dies quadraginta non utique ad mortem, sed ad poenitentiam. Nam fuit messis abundans, cum inter plurimos quos afflaverit pestis, vix tres aut quatuor reperias, qui religionis subsidiis usi non fuerint. Praeclara praeterea exempla aedificationis in hac calamitate emicuere. Moriens vidua, quae e pauperrimis censebatur, ad clamitantes pueros ajebat: « Nolite flere, filii mei; quae enim facienda sint, probe novit Deus; videor equidem necessaria esse vobis; ast vestro fortasse bono me nunc vult cedere; quiescite igitur; rati ab ipso vos nunquam derelictum iri ».

« Matrona quaedam Dolae remanserat, ut morbo afflictis succurreret. Mox ipsa in morbum incidit. Jam versabatur in extremis, nulla affulgente spe, imo aliquantum tempus habita est pro mortua a parentibus, cum subito in mentem venit B. Virginem Rolandi montis in auxilium advocare. Nec spem fefellit eventus. Paucis enim interjectis diebus, ex morbo convaluit aegra. Cujus beneficii non immemor, et tempus et pecuniam postea impendit in exornando dicti montis Sacello ».

« Etiam Sodalitas ancillarum sub Annuntiationis vocabulo erecta, quae toties solida pietatis specimina praebuerat, sese exhi-

buit his praesertim in angustiis ad opera charitatis omnino paratam. Una ex illis, ut taceam alias, octoginta aegrotis diu noctuque inserviebat ».

« Habemus sane provido Numini erga nos gratias referendas, quod bona existimatione aucta sit Societas tum apud cives, tum apud pagorum incolas » [1].

« Eodem anno morbus magnam stragem fecit Aquis Sextiis. Non subito, sed sensim crescente calamitate, eo mox terror pervenit, ut alii post alios aufugerent et pene deserta maneret civitas. In his rerum adjunctis Nostri ad laborem, ad mortem parati, ultro sese periculo objicere, aegrotantibus praesto adesse, spiritualia ministrantes, imo et servilia quando res postulabat. Jam ab initio qui praeerant nostrae paroeciae Sacerdotes, nimio onusti labore, auxilium a Nostris petierant in proprio quod obeunt munere erga moribundos. Exinde coeperunt Nostri sacrum Viaticum et Oleum periclitantibus deferre, invisere quoque hospitium aegrorum, lectos tum civium tum militum obeuntes, et nonnullos qui Sacramenta respuerant ad pie moriendum praeparare. Tandem duo e Nostris, aut labore fatiscentes aut grassante morbo tentati, aegrotare coeperunt, sed Deo juvante brevi convaluere. Unus Frater Coadjutor lue raptus est ».

« Haec dum geruntur apud Aquenses, Noster unus suppetias latum Massiliam profectus est, quam eadem populabatur lues. Sed cum sibi sufficerent Massilienses Socii, statim rediit subsidio venturus in pagum St. Chamas et ipsum lue vastatum. Mansit ibi tredecim menses parochum et plebem juvans invicta fortitudine » [2].

Sed extra Galliam quoque eadem Lugdunensis Provincia laborem in aegrotis curandis eo tempore nacta est plurimum. Anno quippe 1854, Scriptoris Annalium iterum haec verba sunt: « Americana lues, quae vulgo flava febris nuncupatur, plus solito tum Neo-Aureliae tum in aliis domiciliis saeviit. Inde pro operariis Societatis indefessi laboris excessus. Pars in apertam regionem excurrens, recondita in separatis domibus infortunia explorare aggressa est; pars intra civitates ministrando infirmis desudavit. Res discriminis et sollicitudinis plena. Deerant prae metu tum

[1] * *Litt. ann. Prov. Lugdun. S. J., 1854*, p. 20-21.
[2] *Ibid.*, p. 52.

familiares tum alii qui succurrerent corporibus, animarum et corporum ingeminata cura Sacerdotibus incumbebat. Non defuit febri tacta domus, in qua adventanti Nostro objicerentur incolarum cadavera, qui humi mandanda ipsi commendabantur, superstitibus pueris providam opem implorantibus. Ipse e Patribus unus, dum totam regionem circumcursaret, febri correptus in angusto tugurio jacuit; at adfuit divina Providentia, oviumque pastoris non immemorum impensa cura. Tanti laboris non exiguus fructus extitit. Plures animae, virorum etiam alicujus notae, aut familiae integrae ab haeretico errore ad nostram fidem traductae, plurimae e somno excitatae divino mancipio addictae » [1].

Praeclarum porro caritatis opus a tribus Patribus Gallis, Josepho Gloriot (ob. 1855), Ludovico Parabère (ob. 1863) et Amedeo de Damas (ob. 1903), annis 1854-1855, impensum est degenti in Oriente exercitui Gallorum. Qua de re haec iterum scripta invenimus: « Notus erat (Pater Parabère) pluribus ducibus, inter quos pluries sub Africano sole militum cohortes sectatus fuerat, honorifico sigillo decorus ipse. Dum foederati exercitus citra Pontum consisterent, nec conquisitos hostes offenderent, ex improviso ingruit illa, faustane dicam an luctuosa tempestas: luctuosissima certe, si dolores mortis; praemium vero si spectes, quam faustissima! Nullibi aeque saeviit ac Gallipoli, ubi ministrabat Pater Gloriot. Vis morbi et, ut solet in insperato malo, tarda et infirma aegrofantium cura inter se quasi conjurarunt, ut quantum possent, copias deminuerent. Primi de medio sublati, quorum auxilium praestantissimum fuisset: ex ducibus duo, inter medicos sex, ministri infirmorum septemdecim, fere tota pharmacopolarum cohors [2]. Tunc vidisses infortunatos milites in pestilentibus conclavibus jacere, volutari nudos inter ejecta stercora, aquam efflagitare, quae tarde aut nusquam ministraretur, cadavera manere inter vivos. Tum Pater Gloriot diu noctuque adesse, versari inter foetentia corpora, animas solari supremo munimine. Si gravi somno fessus aliquantum cederet, subito ad alia infortunia consolanda excutiebatur; dum iret, ab iis qui expiationem cupiebant conveniebatur, piae petitioni omnium quantum poterat faciebat satis. Quidquid virium

[1] *Ibid.*, p. 45-46.

[2] A 15 Junio ad 20 Augustum cholera morbo mortui ibi sunt militum 5000 (1854).

vigorisve a natura acceperat, totum in tam sollicita cura expendit, totum liberaliter profudit, et id genus sumptui tam parum pepercit, ut elapso modico tempore jam egredi nequiret sine baculo aut gregarii militis brachio innixus. Ni religio ipsa tot funera innumeris suis beneficiis cumulasset, acerbumque luctum jucundioribus etiam solatiis temperasset; cor ipsum tot exitialibus rebus oppressum nulloque externo solatio recreatum, moerore confectum erat ».

« Expletis omnibus caritatis officiis, alioque Sacerdote vices ejus supplente, Pater Gloriot fuit navi impositus, Constantinopolimque transmissus ut vires quomodocumque reficeret, alios labores, alia discrimina ibidem postea offensurus ».

« Totius exercitus princeps, Marescalchus Saint Arnaud, jacebat morbo lethifero correptus. A Patre Parabère expiatus ad navim deferebatur quae exceptura erat ultimum ejus halitum. Constantinopoli exanimis deponebatur inter brachia uxoris amantissimae. Corpus fuit in patriam reportandum. Tunc optavit nobilis vidua Patrem Gloriot, qui Constantinopoli degebat, esse itineris comitem luctusque sui consolatorem. Pro voto res cessit. Idem Parisios usque corpus defuncti inter publica doloris testimonia deduxit, ibique antequam exequiae instituerentur, fuit propter egregiam opem quam contulerat infirmis, cruce honoratorum insignitus, exercitu ipso petitionibus illi suffragante ».

« Accessit alius honor. Colloquium quod bis incaute omiserat ipsi ab Imperatore est oblatum. Cum summa benignitate commissum est et ad longum tractum temporis productum. Primum congratulatus est Nostrum Imperator ob magnanimum in praeterita calamitate animum : « Domine eleemosynarie, inquit, novi te cujusmodi sis vir; magni tuum obsequium facio, ac volebam ipse gratias tibi agere de iis, quae exercitui meo orientali officia praestitisti ». Deinde dignatus est inquirere multa circa capellanos exercitus, plura expromere fere intima quae in mente habebat, audire quae significanda videbantur ob bonam militum institutionem ordinationemque capellaniae. Tum percontari an aliquid Nostro gratum foret, spondereque non defuturos libros ad levamen infirmorum in hospitiis. Profitebatur ab initio se spem aluisse patriam sospitem servandi ope militiae armatae et ecclesiasticae. Uno verbo, non benevolum tantum, prope familiarem se ostendit ». Ipse quoque

Pater Damas in eodem bello laborem exhausit plurimum [1], commentariosque suos edidit libello, *Souvenirs religieux et militaires de la Crimée*, qui prelum subiit quinquies [2].

Annis etiam 1870-1871 Patres Assistentiae Galliae multo labore functi sunt. Dum omnis turbatur Gallia, ad civitatem Ambianensem prima belli mala manabant. Ab initio igitur mensis Augusti ad finem Septembris Collegium Ambianense ita armis et militibus refertum fuit ut religiosum aspectum vera castelli specie commutarit. Quin et ineunte Septembri ex infelici pugna advenerunt homines sexaginta, gravissimis affecti vulneribus; qui in villam fuerunt recepti, Patrum fovendi manibus, brevique tempore ita Nostris devincti sunt gratoque animo dediti milites, ut facillimum reddiderint geminum, quo egebant, ministerium animae et corporis. Quos inter undecim crudeli plagarum gravitate occubuerunt, omnes eximia pietate Sacramentis muniti. Anno 1870 plura centena militum vulneratorum in Collegio Ambianensi curabantur. Obiit, medio in officio charitatis, Pater Joannes Dégardin, 4 Januarii 1871 [3].

In civitate Argentinensi eadem saeviebat calamitas; armorum enim Gallicorum cladem brevi subsecuta est urbis obsidio. Qua durante et ingravescente in dies periculo, id unum Patribus superfuit, ut, oblato vitae propriae sacrificio, totos se afflictorum consolationi, reconciliationi peccatorum, aegrotorum atque morientium auxilio impenderent [4].

Nec minus intrepide Metenses Patres laboranti proximo se devoverunt, dum inter civitatis obsidionem opera misericordiae, quantum licuit, suscipiebant. Neque enim in Collegio recumbentibus cura assidua deerat, et foris Patres lucrandis animabus allaboraverunt alii Xenodochiis alii in ipsis recentis pugnae locis. Pro quibus misericordiae operibus undique litteras, gratiarum actionibus plenas, accepere [5].

Pater Julius Arnold in officio Capellani militaris Lauduni obiit. Is, secum in Breviario ferens epistolam recentissimam in qua inter alia hoc scripserat: *Disrumpar potius quam Societatem Jesu derelinquam*, sic rediit in arcem, quae paulo post, igne pulveribus sul-

[1] * *Litt. ann. S. J., Prov. Lugd.*, 1855, p. 63 ss.

[2] Burnichon S. J., *Un Jésuite, Amadée de Damas (1821-1903)*, Paris 1908.

[3] *Litterae annuae Prov. Camp. S. J., 1869-1870*, Ambiani 1871, p. 7-8; 1870-1871, p. 5-9, 28-29.

[4] *Ibid.*, p. 11.

[5] *Ibid.*, p. 30-33. *Litt. ann. 1870-1871*, p. 16-18.

phureis admoto, ingenti cum fragore subversa est. In hac strage ipse etiam Pater Julius Arnold ut sibi adprecatus erat, *disruptus* est, die 9 Septembris 1870 [1].

Sed et Acheolana Domus Probationis omnimoda caritatis significatione eminuit. Si qui infirmi convalescebant aut vita excedebant, mox novi pro illis subibant hospites; inter quos omnes vix ullus fuit, qui Sacramentis semel aut iterum non reficeretur. At si labori diu noctuque, fuit etiam solatio locus [2].

Nec minores fructus attulit Residentia Nancejensis, cura Germanis militibus impensa. Quotquot Patres Germanicum norant idioma, ad implendum hoc ministerium vocati sunt. Ex militibus qui Catholici erant, illos fide ac pietate insignes plerosque repererunt. Hi nimirum, dum procul a patria e vivis cedebant, ultimum vale parentibus, conjugi, liberis dicere prohibiti, divinae voluntati prompto animo obsequebantur [3].

Imo et in meridionali Galliae parte, in ipsa civitate Tolosana, occasionem exercendae caritatis amplam nanciscebantur Patres, in iis nosocomiis, in quae sauciati infirmique milites simul congesti fuerant. Quorum quam miserabilis esset conditio, nemo facile cogitando assequetur. Rebus enim omnibus, quae non modo infirmo, sed etiam homini sano maxime necessaria sunt, destituebantur. Hanc igitur tantam miseriam ut sublevarent, piorum liberalitatem Patres precibus suis haud frustra sollicitaverunt [4].

Lugduni, in Residentia fori veteris, quod dicitur, dum unus Pater in temporario nosocomio, in aedibus monialium *de la Retraite* nuncupatarum, quinquaginta milites curabat; alius in conventu monialium SS. Cordis (*aux Anglais*) et in domo cui nomen *les Convalescentes*, ubi erant pauciores, operam suam ponebat. Tertius quoque electus est Capellanus pro valetudinario vectabili Massiliensium. Imo quartus Pater, ineunte Januario 1871, profectus in Germaniam, in civitatem Anspach, ad captivos milites curandos [5].

A medio Septembri ad exeuntem Januarium 1870-1871, Collegium S. Genovefae Parisiense pro Gymnasio valetudinarium, pro studiosis milites vulneratos, pro magistris medicos exhibuit. Pa-

[1] *Ibid.*, p. 60-61.
[2] *Ibid., Litterae annuae 1870-1871*, p. 3-5.
[3] *Litt. ann. 1870-1871*, p. 20-21.
[4] *Ibid., Prov. Tolos. 1869-1870*, p. 4.
[5] *Ibid., Litt. ann. Prov. Lugd. 1870-1871*, p. 8.

tres eleemosynarios agebant legionum, quas extra muros et usque ad hostilia castra comitabantur, quoties in obsidentes erumpebant obsessi. Unus, paucis diebus, confessionum plus quam duo millia audivit; alterius, in pugna 30 Novembris, glandis ictu vulneratum est; qui tamen sacro ministerio defungi non cessavit. Post varia mensis Decembris certamina, 350 milites aegroti aut saucii in domestico S. Genovefae valetudinario numerabantur. Paene defecerat, qua hospites Nostrique vescerentur, esculenta congruensque caro. Accedit quod acerrima saeviebat hiems. Ad deditionem tamen usque et ultra Patres in heroico caritatis exercitio perdurarunt. Quinque ex illis, non longe post, a Patre caelesti mercedem Martyrum acceperunt [1].

In his igitur aliisque Collegiis et Domibus Societatis multi ex Nostris se servitio militum devoverunt. Neque defuerunt qui, in ipsis proeliis, belli labores, angustias, pericula subirent. Eminuit apud Villers-Bretonneaux Pater Carlos Sommervogel, dum apud Belfort Pater Henricus de Renéville et notus ille Pater de Damas vulnerati sunt. Pater Hamy apud Saint-Quentin, Pater de Rochemonteix apud civitatem Aurelianensem vitam pro vulneratis exposuerunt. Omnibus suis animum addidit Pater du Lac, Praepositus Provinciae Franciae. Parisiis in Collegio Vaugirard, Pater Alexis Clerc, martyr brevi futurus, dirigendo praefuit officio caritatis, quod vulneratis militibus impendebatur; nec minore industria claruerunt Pater Ducoudray et Pater de Bengy, qui ipsi quoque martyrum mortem postea subierunt.

Certe apud Deum, quotquot se totos hisce misericordiae operibus dederant, aeternae gloriae coronam meruerunt. Sed et milites ipsi, in diversis Galliae civitatibus, Patrum labores maximi habentes, gratum animum testati sunt. Metis, ad perpetuam rei memoriam, in Templo Societatis Jesu lapidem posuere [2].

Nec vero minore animi fortitudine, ac numero etiam majore, nostri in Germania Socii, bellis atrocibus 1866 et 1870-1871, officia infirmis exhibenda obierunt. Die primum 24 Junio 1866, Melitinenses crucis rubrae equites auxilium Nostrorum, qui Paderbornae erant, invocarunt. Aderant Sodales in loco pugnae omnino 11; praeter quos alii etiam a Superioribus oblati sunt cum ipsa

[1] *Ibid., Litterae annuae Prov. Franciae S. J.*, S. Brioci, 1873, p. 26-35.

[2] De rebus hic descriptis confer E. D'Avesne (P. Fr. Rouvier S. J.), *Devant l'ennemi*, nouvelle édition, Paris 1888, p. 139-204.

Domo nostra Aquisgranensi, cujus tanquam subsidiarii hospitii usus esse posset. Brevissimo quidem temporis spatio, at quanta vix unquam vehementia, mox debellatum est. Quales autem Patrum labores fuerint, e nonnullorum commentariis proditum memoriae. Ad Patrem Henricum Behrens quidem, 3 Julio 1866, scribens Pater Joannes Baptista Stratman: « Ingenii celeritate, inquit, multum valeas oportet ut cogitando assequaris quas immensas aerumnas his diebus objectas oculis habuimus atque etiamnunc habemus. Profecto est dira clades bellum; utinam Deus Dominus breviatos velit hujus tentationis dies, neve in reliquam Germaniam simili modo eamdem sinat invadere. Quominus vero vel de praecipuis tremendae hujus calamitatis rebus exponam scribendo Reverentiae Vestrae, impediunt infelices hi, vulneribus saucii atque extremae miseriae obnoxii, decumbentes milites, ne ipsis nimirum pretiosi temporis partem ullam subripiam » [1]. Dum igitur milites, duris temporibus istis, gravi inopia opprimebantur, satis liquet Nostrorum, inter ipsos labores durissimos, conditionem opulentam nequaquam fuisse. Sane cum Pater Gulielmus Feldhaus, e loco Münchengrätz, die 4 Julio 1866, scripsisset ut Nostri, qui sua tempore belli officia vellent exhibere, linguarum Italicae, Tschechicae, Rumenicae, Hungaricae, Slovenicae aliquam notitiam adipisci conarentur, « unum, inquit, non est cur addiscatis: paupertatis effectus aliquos experiri; hic enim cito multos experiemini, immo plurimos, haud scio equidem an plures etiam quam per totum Tirocinii biennium, addito quoque tertio Probationis anno » [2]. Nec mirum a Patre Feldhaus ista scripta fuisse; nam ipso tempore nuntiavit vir nobilissimus Fridericus von Ketteler: « Patris hujus curis commissi sunt vulnerati milites 200, nec Soror caritatis ei praesto est ulla ». De Patre Stratman quoque scribens Comes von Stolberg, retulit, ab illo non animarum tantum sed etiam corporum salutem egregia caritate procurari. E regionibus porro, loco Königgrätz subjectis, misso nuntio, Pater Gulielmus Becker: « Tum, inquit, nostrum ad locum Stratov directum iter fuit, ubi in arce quadam atque in Ecclesia

[1] Markus Rist S. J., *Die deutschen Jesuiten auf den Schlachtfeldern und in den Lazaretten, 1866*, u. 1870-1871; *Briefe und Berichte*, Herder, Freiburg i. Br. 1904, p. 5.

[2] *Ibid.*, p. 7.

jacentes invenimus vulneratos...., inde Sadovam petivimus, ubi a die 8 ad diem 15 Julium constiti. Quo loco vulneratos milites visebam plus 100, qui in diversorio quodam et in pistrino decumbebant, .... dimidiae horae spatio distabat Dohalitzka, cujus pagi Ecclesia et schola reconditas multas reperi miserias; per horae quadrantem iter porro faciens, ad viri principis veni dominium, cui nomen Mokrowous, ubi horrea spatiosa tria erant, militibus vulneratis oppleta » [1]. Praecipuam quoque medicorum approbationem Pater ille commemorans, nomina plurima recenset eorum, qui suam erga Patres et Sorores gratum animum egregie demonstrabant.

Ac reapse ex animo paratos Superiores fuisse, Nostros, qui officia vulneratis exhiberent, multo etiam plures ad bellum mittere, egregie demonstrarunt annis 1870-1871. E Nostris enim, ad militum curam tum animae tum corporis gerendam, emissi tunc sunt omnino 196: Sacerdotes 70, Scholastici 107, Coadjutores Fratres 19. Quae, 31 Julio 1870, quieta illa Lacensi Domo, duce Patre uno, excesserat Scholasticorum Coadjutorumque turma, eos orationes prosequebantur ac vota reliquorum, quibus ut ad gloriosum istud Cristianae caritatis munus eligerentur nondum obtigerat. Suis quoque paternis monitis R. P. Clemens Faller, Praepositus Provinciae, animum iis fecerat, encyclica epistola ad illos omnes data, quos ut rubrae crucis vexillo se addicere vellent evocabat:

« 1. Persuadeant sibi, inquit, dilectissimi Patres, quibus contigit haec missio, se singulari Dei consilio et beneficio delectos esse ad tale munus, in quo tam magna brevi tempore praestare possint, quum ad proprium in virtutibus profectum, tum ad animarum auxilium. Proinde magnum hinc animum concipiant ad perferenda omnia incommoda cum hoc ministerii genere conjuncta ».

« 2. Meminerint ita strenue opus suum exercere, ut tamen fructus laborum suorum ante omnia ex divina gratia exspectent, quae humilibus et interno spiritu ferventibus impertitur. Studeant igitur puritate animi et oratione sese intime conjunctos cum Deo conservare, et idcirco praeter frequentem usum jaculatoriarum precum, ad obeunda spiritualia exercitia, id est meditationem, examen conscientiae, divinum officium et sanctissimum Missae Sacrificium, eo diligentius sibi tempus exquirant, quo magis superno auxilio indigere se sentient. Quod si interdum tamen gravis causa

[1] *Ibid.*, p. 32-33.

inciderit, cur Breviarium et Sacrum omittendum esse in Domino judicent, sciant me hanc iis facultatem concedere ».

« 3. In rebus ad suum ministerium pertinentibus, religiose iis obediant, quos sibi praepositos habent. Quod si praeter ea quae injuncta fuerint, aliud se offerat, in quo operam suam utiliter collocare possint, occasionem bene merendi de proximo ne praetermittant, quin potius ultro quaerant ».

« 4. Nihil negligant, quo sibi militarium ducum et chirurgorum benevolentiam concilient et conservent. Si forte verbo vel facto a quopiam eos offendi acciderit, id patienter et aequo animo ferant ».

« 5. Studeant omnibus omnia fieri, sive in itineribus sive in castris aut proeliis, sive praesertim in valetudinariis versari contigerit; omnes, cum quibus agent, ad Christianam fiduciam et alacritatem non magis verbis excitent quam exemplo; ipsique animi et vultus hilaritatem perpetuo servare conentur »....

« Haec sunt quae Missionariis castrensibus commendanda esse in Domino visum est. Velit optimus Noster Dominus et Salvator Jesus Christus amplissimam eis impertiri benedictionem! Velit Beata Virgo Maria eos continuo sub materna sua tutela servare » [1].

Quibus Praepositi sui verbis confirmati, Patres se exercitui adjunxerunt. Quocumque militum ordines procedebant, eos cum reliquis ministris aegrorum curatoribus sequebantur nostri Sodales, quos tamen, Jesuitas esse plerumque ignorantes, Fratres solebant vocare. Cum in valetudinariis aliqui retinebantur, illos alii e Nostris excipientes sequebantur militum agmen. « Vestes nigras », id enim iis nomen fiebat, locus vix erat, quo non reperires, albam rubra cruce distinctam fasciam ad brachium gestantes, dum sive Missionarii castrensis sive Fratris infirmis ministrantis munere fungebantur. Quos istis officiis deditos invenies tum prope a pugnarum locis Spichern, Saarbrücken, Gravelotte, tum ad moenia civitatum Sedan et Metarum; deinde vero ad Ligerim et Samaram fluvios. Quo longo tempore cincti obsidione Parisii erant, officia sua nostri Germaniae Socii in valetudinariis impendebant; immo, castrensium Missionariorum munere aucti, curabant ut suis officiis Catholici milites fungerentur, non minus iis quibus caelesti Regi quam quibus principi terreno devinciebantur.

[1] Rist, l. c., p. VII, not. 1.

Interea vero etiam qui in patria remanserant Sodales nostri suas in eodem caritatis opere partes sibi assumebant, tum laborem suum ipsorum tum quoque Domos nostras infirmis curandis tribuendo. Earum enim, quae in Germania numero 12 erant, in valetudinaria conversae sunt 5. In Gallia porro et in Germania, Jesuitae in locis 32 ministrabant infirmis, distributis per valetudinaria 65; dum in valetudinariis pluribus quam 200, quae in locis 69 constituta fuerant, suam animabus operam impendebant.

Atque erat plane gravissimus labor iste, quem aegrotis curandis, ut plurimum, collocabant Scholastici, Coadjutores Novitii. Nam ad ea quae, in illis rerum adjunctis, consueta caritatis ministeria sunt, multa praeterea officiorum genera accedebant. Ipsis quidem Nostris committi solebant, quae dona et munuscula vulneratis distribuenda pii homines contulerant; vespere autem exhausto labori diurno nocturnae vigiliae succedebant, per quas conscribendis, decumbentium loco atque nomine, litteris commodabant. Neque igitur mirum eos interdum deficientibus viribus quasi exanimes corruisse, Sociorumque nostrorum 196, qui agmen secuti fuerant, circiter 60, in nosocomiorum ministeriis obeundis, morbum alios aliis graviorem contraxisse. Immo vero, ista caritatis causa, morti occubuerunt e Nostris quatuor: Pater unus, Scholastici 3. Advigilabat tamen servis suis providentissimus Deus, ut qui ad istiusmodi labores, inter caedes et vulnera tolerandos, sua vitae ratione quam minime parati accessissent, fortes tamen in sua quisque statione permanerent, ne latum quidem digitum ab officio recedentes. Ad Patrem certe quemdam, qui sub Parisinis moenibus confessionem moribundi excipiebat, cum aliquis militaris officii Praefectus dixisset: « Cito arripe fugam », respondens ille: « Quid vero, ait, mali accidere mihi potest? a Gallis enim captus Parisios visam; occisus aspiciam coelum »[1]. Quam Sodalium nostrorum fortitudinem conspicati, medici lacrimis non temperabant. Accidit etiam ut, posteaquam prima proelia commissa fuerunt, videns Protestans aliquis immensas illas castrorum miserias, unum e Scholasticis nostris parumper avocaret; tum vero obortis lacrimis: « Ut verum, inquit, fatear, Protestans equidem sum; at fratres tamen sumus, maxime in bello; vos tam multa officia tanto vestro dispendio confertis; vellem et ego miseris hominibus impendere

[1] Cf. M. Meschler, S. J., *Die Gesellschaft Jesu.* Freiburg 1911, p. 285.

aliquid ». Quibus verbis dictis, arreptam Scholastici manum comprimens implevit solidis nummis »[1].

Fieri non potest ut, quae testimonia numero plurima laudibusque insignia caritati Nostrorum exhibita eo tempore fuerunt, hoc loco expendamus. Tantummodo igitur paucas aliquorum sententias referre licebit. Qui quidem a coetu Melitensium S. Joannis equitum editus commentarius fuerat, haec consignata tradebat: « Plane magnanima exstitit utriusque Ordinis Franciscanorum et Societatis Jesu liberalitas; rogati enim illi quot Socios in promptu habere vellent, utrique responderunt: universam, si quid opus, Provinciam. Qui nisi animo tam generoso fuissent, longissime sane aberat ut necessitati posset occurri. Tunc illi seponere studia, insolitisque aegrotantium curis se tradere; cui muneri neque ipsi Sacerdotes defuerunt, atque eo quidem successu ut mox diceres, haud aliud unquam officii munus illis fuisse. Paratissimus nimirum ille atque obediendi patiens animus id plane efficiebat, quod solo rerum usu docti praestare nequaquam valuissent »[2]. Ille porro Nostrorum labor tam egregie impensus caritatis operibus fuit, ut ad quos id publice pertinebat, hunc nuntium miserint Berolinum: « Praestantissima procul dubio officia ab iis aegrotantium ministris, sive viris sive feminis, exhibita fuerunt, qui ad certos hominum ordines pertinerent; exempli causa ab Ordine Societatis Jesu, a Sororibus S. Caroli Borromaei et Sancti Vincentii, tum a Diaconissis Anglicis et Germanicis; quippe qui, ad aegrotantium curam gerendam antea conformati, in quolibet genere illarum rerum usum haberent »[3].

Quam laudem confirmans, Imperator Nostris hominibus 168 militarem nummum, Patri autem Aschenbrenner ipsam ferream, quae dicitur, crucem, atque omnibus simul egregie in aegrotantium officiis exhibitae generositatis testimonium impertiit. Dolendum vero, istiusmodi praemia diebus tantum 2 Octobri et 6 Decembri anni 1872 advenisse, cujus nimirum anni die 4 Julio, lege lata, ab ipsa in patria terra commoratione Nostris interdictum fuerat. At. Dominus Deus, qui in libro vitae consignavit egregia eorum facinora gravissimasque aerumnas, copiosissimam filiis suis mercedem in caelesti patria retribuet.

[1] RIST., l. c., p. 65.
[2] RIST., l. c., p. XII.
[3] *Ibid.*

Neo-Eboraci in America valetudinaria omnigena publicae caritatis, asyla mente captorum, carceres, etc., longa serie in insulis fluminis East River posita sunt, in quibus multa millia hominum degunt, multiplici miseriae obnoxia. Horum omnium curam spiritualem Patres Societatis gerunt, ut plurimum in insulis residentes. Quae quidem opera quasi silentio praetereuntur ipsisque Nostris vix nota sunt, at zelo tamen animarum et sui sacrificio magnifica exsistunt, inter decrepitos dico, moribundos, mente captos, hebetes, publice damnatos ob pestilentiam (variolam) segregatos.

In bello civili Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Patres nostri pro viribus rem gesserunt labori strenuo, hic illic sparsi, nusquam parcentes.

Laudem porro A. R. P. Nostri meruerunt PP. Josephus Tarragò et Raimundus Perugu atque Frater Coadjutor Damianus Jaume, qui in insula Culion Missionis Philippinae 6300 leprosos curant; dum idem caritatis opus exercent Patres Ferris et Faura et Frater Coadjutor Pradas, in valetudinario S. Francisci Borgiae ad Fontilles.

Denique praeclarum hunc censum absolvemus referendo numero illorum Sodalium nostrorum, qui, a restituta Societate ad hunc usque diem, vires suas ipsamque vitam in caritatis ministeriis exercendis profuderunt. Qui plenus quidem numerus eo non est, quod multi eorum, qui Christianae caritatis causa mortem fortiter obierunt, soli Deo noti exsistunt. Sedula igitur vestigatione adhibita[1], inde ab anno 1814 occubuisse adhuc inventi sunt e nostris hominibus 130. Neque tamen ii omnes grassantis pestilentiae tempore, quales morbos modo descripsimus, mortui sunt, quippe quae rarius serpant calamitates, dum in Missionum praecipue regionibus, in India inquam, in Sinis, in insulis maris Indici, in Australia, in Africa, in America Meridionali, aliis quoque locis, magnanimis illa aegrotantium cura vix non quotidie recurrit exercenda. Quo sane modo in Philippinis insulis, anno 1892, cholera morbus saeviit; in Brasiliae loco Itù, eodem anno, flava quae dicitur febris; annis quoque 1890, 1891, 1894 Armeniam et Syriam invasit cholera morbus, cum Socii nostri aegrotos Berythi, Caesareae, Aleppi, Homs, Tokat atque alibi curarunt. Ultimis porro annis Patres in insula Madagascar instituta duo condiderunt leprosis excipiendis,

[1] Ign. H. Dugout S. J., *Victimes de la charité*, Paris 1907. Cf. *Woodstock Letters*, 1898, p. 42 ss.

in quibus tum Pater Isidorus Dupuy, Gallus, 9 Octobris 1912 obiit, tum Pater Joannes Beyzym, Polonus, eodem mense. Prior ille per 17 annos se dedidit servitio leprosorum in insula Madagascar; per 14 annos alter: uterque vero horrendi morbi istius consectariis absumptus est. Quo etiam munere prospiciendi leprosis, in Missione Bombayensi fungitur Pater Theodorus Peters, Germaniae Provinciae Socius, ac laudandus praeterea Pater Augustus Müller, Provinciae Marylandiae, leprosorum medicus et apostolus, qui in Missione Mangalorensi hospitium leprosorum dirigebat; obiit autem 1 Novembris 1910. Sed neque in ipsis civitatibus cultu praestantiori frequentique populo conspicuis, quas Nostri sive in Europa sive in aliis mundi partibus incolunt, putaverit quisquam deesse, quibus periculis se Sodales objiciant, hospitia visendo constanter adeuntes, ubi aegrotos pestilenti vel alio morbo correptos solantur atque sublevant. Immo vero, nec laboribus ullis neque ipsi vitae parcentes, in qualibet mundi parte Societatem Jesu iidem illustrant, cujus nimirum spiritu ducti, qui ipse Christi spiritus sit, et strenue adlaborare norunt et mori fortiter.

## CAPUT X

### Societatis Jesu restitutae spiritus

Qui perductam hucusque *Libri Saecularis* narrationem non modo attenta mente perlegerit, verum legendo admiratus etiam fuerit, qua ratione plane eximia restitutae Societati adesset Providentissimus Deus, haud scio an non dubius ille haeserit, quid tandem attineat, novo nunc addito capite, de spiritu Societatis praeterea disserere, sermonemque disserendo producere. Ac sane quidem si illum tam felicem Societatis progressum, quem, egregiis sanctisque viris moderantibus, obtinuit, diligenter semel consideraveris; si intimum illum amorem eximiamque benevolentiam perpenderis, qua eam saeculi istius Pontifices praestantissimi perpetuo prosecuti fuerunt; si intellexeris, sicut Ecclesiam Christi, ita Jesu Societatem, persecutioni acerbissimae semper fuisse objectam; si perspexeris, quibus laboribus gravissimis in exteris Missionibus Societas se dederit; tum, quam sedulam, in Collegiis atque Universitatibus, multa ejus filiorum millia studiis excolendis educandaeque juventuti operam impenderint; si porro auctoritatem aestimaveris, quam in re scientifica atque ascetica, periodicis lucubrandis, adepti fuerunt; si tot numero doctos viros ejus et Scriptores, in prima militantis Ecclesiae acie decertantes, suspexeris; si tandem, haud usquam immoto animo, consideraveris, quos illi in animarum salute temporalique proximorum incolumitate procuranda conatus adhibuerunt; his, inquam, rebus omnibus perpensis, jure tuo censere jam potueris, supervacuum esse laborem, quo quis, rem actam agendo, de Societatis illius spiritu denuo dicere aggrediatur.

At vero nec nobis propositum aliud nunc est, quam ut, quasi corollarii loco, integrum laborem, perorando, resumamus. Quid enim? Societatis filio quis possit invidere, si, restitutae Societatis perpensis undique rebus illis omnibus, quas per integrum hoc saeculum Deo bene juvante gesserit, si inquam, profuso gaudio secum ipse statuere voluerit, ipsum spiritum Jesu Christi, cujus adorando nomine Societas sit insignita, etiamnunc in eadem egregiis plane

rationibus vigere, quemadmodum semel ab Ignatio fundatore imbuta fuit?

Quo tamen aptiori ordine procedamus, atque capiti huic universoque operi diligenter simul ac perspicue suum finem imponamus, hoc videtur ostendendum prius, quis tandem ille, inde ab ortu, atque ipso etiam Suppressionis tempore, spiritus fuerit Societatis. Tum vero commonstrandum per singula erit, eodem quo Ignatii tempore agebatur spiritu Societas Jesu, etiamnunc restituti Ordinis nostri universum coetum ipsosque Socios duci et suis ubique operis incumbere ad majorem Dei gloriam.

Ipsam primum nascentem Societatem fuisse Christi spiritu plenam, testis est ipse S. Pater Noster Ignatius; quippe qui tum in *Prooemio Constitutionum* tum in *Formula Instituti* ita plane pronuntiaverit: « Summa enim, inquit, sapientia ac bonitas Dei, ut eam dignata est inchoare, ita conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem Jesu », atque eam dixerit « natam esse sub vexillo crucis Deo militare ». Ejusdem rei argumentum alterum, magis etiam obvium, hoc habes: spiritu Christi plena esse Sancti Ignatii Exercitia, sane nemo negaverit; quibus rectius etiam dixeris, ipsum Christum tanquam acquirendae perfectionis exemplar ita proponi, ut simul, qua quis feliciter eo pertingat, plana via ostendatur. At vero quis ignorat, eumdem esse Constitutionum Societatis, qui Exercitiorum spiritum, dico ipsius Christi?

Ac porro in eodem argumento versatus, ille Sancto Fundatori Nostro prae ceteris carissimus discipulus, Petrus Ribadeneira: « Cum ipsa Societas, inquit, per varias tum mundi regiones dispersa et gravissimis fidei ac religionis negotiis occupata esset, suo primo auctori et institutori, Patri Nostro inquam Ignatio sanctae memoriae, in Urbe manenti hoc conscribendarum ac ferendarum Constitutionum negotium jure optimo demandavit. Is vero impositum atque in se susceptum munus tam diligenter, tam sapienter sancteque obivit, ut per multos annos in hanc unam curam potissimum incumberet, et multis lacrimis, ferventissimis precibus, assiduis Missarum sacrificiis Spiritus Sancti unctionem a Domino efflagitaret, ut, illo inspirante et duce, id quod humano consilio non poterat, divino munere consequeretur ». Tum vero etiam, quasi sub oculos eamdem suam sententiam subjecturus, Ribadeneira summo

colore jam illustrat, quo spiritu duci necesse sit Socios, qui animo generoso diligentique cura voluerint nostrarum Constitutionum vim plenam in seipsos suscipere. Ait enim: « Atque ut paucis multa dicam, homines mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus, Constitutiones nostrae nos esse volunt; homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut justitiae viverent; qui, ut Divi Pauli verbis utar, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant, et per arma justitiae a dexteris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera et adversa, magnis itineribus ad coelestem patriam contendant » [1]. Haec quippe est summa, hic scopus nostrarum Constitutionum, ut Christi spiritu formetur in nobis ipse Christus.

Atque ille etiam praeclarus Societatis Praepositus Generalis, Pater Claudius Aquaviva, suis nervose dicendi modis usus, eamdem sententiam persequitur; ut cum ipsam Societatem cuidam quasi corpori similem facit, quod spiritu Dei vegetetur atque vivificetur; ac magis, ubi, gloriosum martyrem Ignatium secutus: « Si, inquit, Spiritu Sancto ut linea et perpendiculo utamur ad nostras actiones moderandas et dirigendas, videbimus cum ejus gratia, recte ac suo ordine dispositis lapidibus vivis, admirabilem structuram ad Jesu Christi gloriam consurgere. Habent nostrae Constitutiones architecturam sane singularem in hac fabrica Societatis, cujus exemplar quoddam perfectum et absolutum Spiritus Sanctus B. Patri nostro ostendit in monte, nempe quod in Constitutionibus expressum ac designatum cernimus » [2].

Quae testimonia si etiam plurium auctoritate multiplicare opus quid esset, ostendere poteramus effata ipsorum Pontificum, qui Societatem sive primum approbarunt sive postea saepius confirmare voluerunt. Sanctum enim Ignatium primosque illius Socios « Spiritu Sancto afflatos » [3] dixerunt, atque exclamans Paulus PP. III « digitus, inquit, Dei est hic ».

[1] *Epistola*, quae Patri Ribadeneira adscribitur, praemissa *Instituti nostri* Tomo II.

[2] *Epist. Gen.*, Tom. 1, ed. alt., Rollarii 1909, p. 92.

[3] Const. *Regimini militantis*, etc., in *Instit. S. J.*, Tom. I, p. 3, etc.

Hunc igitur Sanctum Spiritum, Spiritum inquam Christi, in se susceptum ipsa sua generosa conversione, Ignatius Exercitiis deinde Spiritualibus in Manresano specu persolvendis excoluit, atque constanti animi liberalitate vitaeque sanctitate ita usque firmavit ut, ad perfectiora semper enitendo, simul etiam propius in dies accederet ad condendam Societatem illam Constitutionesque scribendas, quae ipso Jesu Christi spiritu penitus animarentur.

Porro, ut suo quisque modo viri sancti, spiritu Christi animati, non solum vivunt, verum etiam tum scriptis tum gestis suis eumdem spiritum propria ratione exserunt, ita Sanctus quoque Parens noster, sive in condenda Societate sive in Constitutionibus ejus conscribendis, suo, id est Ignatiano plane modo, Christi spiritum expressit. Qui igitur in Societate Jesu Constitutionibusque ejus spiritus vivit atque operatur, Christi ille spiritus est, militari quidem Ignatii modo conformatus. Hunc sane spiritum jam commonstrando secundus ille Societatis Jesu Praepositus Generalis, Pater Jacobus Lainez, suos enixe hortabatur ut, sive in Missionibus constituti, sive in justa regularium Domo versantes, eumdem confovendo servarent [1]. Qui porro tertius Societatis Praepositus Generalis erat, Sanctus Franciscus Borgias, ad Socios scribens, spiritus illius fideliter conservandi atque firmandi media diligentissime prosecutus est [2]. At neque ullus unquam Societatis Praepositus Generalis fuit, qui eidem spiritui promovendo sedulam curam non impenderit. In quo quidem argumento praeclare versatus, Pater Aloysius Centurione, scribens anno 1756: « Cum ego, inquit, nostrae vocationis spiritum, tanquam praecipuum divinae gloriae serviendi ac laborum ea causa strenue suscipiendorum incitamentum propono, nemo non videt, me non aliud hoc loco intelligi velle quam mirificum quemdam ac sanctum animi ardorem a divina gratia, cum ea nos ad hanc vitae communionem vocavit, in nobismet ipsis excitatum; quae quidem ab initio sic nos illexit, ut celsissimo illo fine, quem Societas propositum habet, et majoris Dei gloriae et salutis animarum, nihil expetibilius nobis atque amabilius videretur. Hic porro ardor semel in animis nostris accensus, deinceps fovetur, conservatur etiam et cooperatione nostra augescit; praecipue vero viget si finem illum, cui unice in Societate vivimus, in memoriam

[1] P. Lainez *ad PP. et FF. S. J.*, in *Epist. Gen.*, Tom. I, p. 52-53.
[2] S. Fr. Borg. *ad PP. et FF., ibid.*, p. 54 ss.

revocemus. Atque hac ratione cum ardor ille in animis nostris minime intepescat, non solum cupidos, sed promptos et alacres efficit ad omnia Societatis munia strenue ac fortiter obeunda » [1].

Vides, Patri Centurione sermonem hic esse de Societatis spiritu, qualis ille in ipsis Sociorum animis vivat. Recte ille quidem. Qui enim vere Dei spiritus est, in animis ille vivit atque operatur: quod proinde de Ignatii quoque spiritu pari ratione erit pronuntiandum. Hic igitur ipse scopus erit, cui Constitutiones subserviant oportet. Qua etiam mente ipse Sanctus Pater Noster « amoris illius legem, quam sanctus Spiritus scribere, et in cordibus imprimere soleat, potius quam ullas externas Constitutiones » ad vocationis nostrae finem obtinendum dicit adjuturam [2].

Demonstraturus porro Pater Centurione spiritum illum operosum esse atque apostolicum, *Formulam Instituti* ostendit, Paulo Papae III oblatam, qua S. Pater Noster: « Quicumque in Societate nostra, inquit, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare .... proponet sibi in animo, se partem esse Societatis ad hoc institutae, ut ad Fidei defensionem et propagationem, et ad profectum animarum in vita et doctrina Christiana praecipue intendat » [3].

Integrum igitur divinae Christi personae spiritum in Societate vigere voluit Ignatius, ut Socii non solum orationem, virtutem, sui abnegationem excolerent, verum etiam apostolicum illum Christi spiritum, atque adeo integrum Christum suo vivendi genere referrent, Christum inquam in praesepio humilem, in domo Nazarethana obedientem, per vicos et oppida praedicantem, insectationes constanti patientia perferentem, nudum denique opprobriisque petitum in cruce morientem. Quem proinde spiritum, quicumque in Societate hac vitam degere voluerint, suis ipsi animis ita imprimere conabuntur, ut, apostolicos mores sectantes, suae perfectioni proximorumque saluti se totos impendant, ad majorem Dei gloriam.

Jam vero quaestio exoritur, utrum genuino illo Ignatii spiritu reapse animetur *restituta Societas?* Cui rei hoc omnium primum respondendum videtur, magnum praestantium Sodalium numerum, quos jam ante Suppressionem Societas conformasset, ad eamdem

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 229-230.
[2] *Prooemium Constitutionum.*
[3] Bulla *Regimini militantis Ecclesiae*, Instit. S. J., Tom. I, p. 4.

restitutam ita se denuo adjunxisse ut genuinum illum Ignatianum spiritum egregie continuandum promoverent. Attendendum tamen etiam magis est, florentem in Alba Russia Provinciam, auspice paterna Dei providentia, fuisse conservatam, unde ad restitutam Societatem derivari verus ille Ignatii spiritus posset. Fuisse autem Patres illos rei tanti momenti procurandae omnino pares, ex iis rebus constat omnibus, quarum memoria nobis fuit conservata. Vix enim in universis annalibus nostrae Societatis invenies quicquam, quo praestantioris virtutis exempla Socii exhibuerint, quam quibus in Alba Russia annis illis 1773-1814 eminuerunt: Vides sane ut divinae voluntati pie totos se committant; ut zelo flagrent per universam Russiam propagandae gloriae Dei; ut summa patientia ferant carissimae Matris suae, Societatis, opprobria; at maxime vero omnium, ut ingenua illa Societatis nota conspicui effulgeant, obedientia dico fortissima, qua nostri in Albae Russiae Provincia superstites Sodales cum reliqua Societate interire quam erga Pontificem detrectati obsequii noxam contrahere maluerunt: « Deberi, ajebant, isti genti exemplum obedientiae, qua quodlibet singulare membrum Ecclesiae et praesertim religiosi viri caput suum revererentur eique in simplicitate et humilitate subjicerentur »[1].

Atqui hunc ipsum Societatis Jesu spiritum nostri in Alba Russia Sodales non solum diligentissime conservarunt, verum etiam novo quasi splendore ideo auxerunt, quod, Deo freti, firmissimam Sacro Jesu Cordi fiduciam habebant, fore ut servatas reliquias illas augeret aliquando Deus, per universum orbem restituenda Societate. Cujus sane fiduciae simul atque conservati Societatis spiritus testem invocare licet, prae ceteris praestantissimum, ipsum Patrem Joannem Philippum Roothaan, qui ad Societatem postea scribens: « Ego, inquit, multo antequam Societas a Sanctissimo Patre Pio VII novae vitae redderetur, cum ad eam in solo tunc Rossiaco Imperio superstitem, singulari et eo quidem tempore valde raro Dei beneficio admissus essem, illam in omnium nostrorum animis haerentem ac defixam sententiam reperi: Quod conservata illic esset non sine prodigio Societas, quodque paulatim augeri coepta esset, id Sacratissimo Cordi Jesu in acceptis referendum esse, et porro, quod sperabatur de futura ejus restitutione in universum orbem, id pariter

[1] *De conservata in Alba Russia Societate Jesu commentarius*, Parisiis 1872, p. 123 s. Vide n. 14, p. 123-124.

ab eodem Sacratissimo Corde unice sperandum. Id coelitus dato indicio, minime vano, pro certo habebatur. Hinc peculiaris quaedam Sacratissimi Cordis colendi ratio pluribus ante praescripta servabatur inter Nostros, ejusque cultus omni studio promovebatur apud externos, piis Sodalitatibus in quovis Collegio institutis, festoque Sacratissimi Cordis die omni cum solemnitate celebrato. Omne Societatis incrementum inde potissimum pendere, si magno zelo cultus hic, tum in Nostris, tum in aliis promoveretur, omnibus erat persuasum » [1].

Quae porro de excolenda fiducia illa deque pietatis exercitiis, ad honorem Cordis Jesu Pater Stanislaus Czerniewicz eo tempore praescripsit, ea ipse Pater Roothaan, quae Dei benigna providentia erat, Societati Praepositus Generalis datur, continuando promovit, devotionem videlicet Jesu Cordis una cum Societatis ingenuo spiritu perpetuis augmentis confirmaturus.

Dicimus autem non solum ab illis antiquae Societatis Provinciaeque in Alba Russia superstitis Sociis ingenuum spiritum ad Societatem restutam transmissum fuisse, verum etiam hodiedum in eadem eum esse atque operari, primaevum spiritum Ignatianum. Etenim iisdem quibus olim principiis duci hodiernam Societatem, ipsae res ejus universae satis ostendunt: Est sane idem ei dux ipse Jesus Christus; eodem Exercitiorum libro instaurantur Sociorum animi; iisdem S. Ignatii Constitutionibus et Declarationibus reguntur; eaedem ab omnibus observantur regulae; eodem plane modo Superiores utrisque, Constitutionibus inquam et Regulis, observandis advigilant: restat ut profiteamur, eumdem in Societate esse atque operari primaevum spiritum.

Nobis vero, Superiorum vigilantiam nominantibus, hoc loco obvius statim sistitur, inter primos eminens, Pater ille Joannes Roothaan, cui Societas restituta hoc maxime in acceptis refert, quod, ad eximium splendorem efferendo Exercitiorum Spiritualium cultu, simul etiam primum ac praecipuum modum primaevi spiritus confirmandi eidem contulit. Ac recte profecto dixeris, a provido Deo sententiam illam Patri Roothaan suggestam ardoremque esse inspiratum. Haec quidem ille: « Saepe, inquit, ac multum cogitanti mihi, immo vero assiduo animo volventi, quanam maxime ratione in renata abhinc paucis annis ac sensim adolescente Socie-

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 4-5.

tate Spiritus ille, vel exsuscitari ubi opus sit, vel conservari, foveri, promoveri possit, qui ejus tum primordia tum incrementa tam laeta reddidit Ecclesiae Dei, tam fructuosa ad innumerabilium hominum salutem, illud jamdudum occurrebat, nihil fore ad convertenda corda Patrum in filios, ad filios, inquam, Patribus reddendos quam fieri posset simillimos, aptius atque efficacius, quam Sancti Patris nostri Exercitiorum Spiritualium diligens studium et accuratum usum »[1].

Patri Roothaan autem, subsidium illud omnium aptissimum atque effacissimum diligenti constantia adhibenti, rem egregie successisse, nemo sane unus est, qui id negare voluerit. Sua enim Exercitiorum Spiritualium praeclara editione monitisque plane paternis hoc providit ut, abjectis sarcinis, ex ipsius Ignatii mente Exercitia instituerentur: istam enim jure putavit unicam esse viam, qua ingenuus ille et primaevus Ignatii spiritus in Societate conservaretur. Ac reapse cum Praepositi cura non in eo solum vertatur ut quae praesentia sunt rerum commoda regat, verum magis etiam ut futura praevidendo disponat, huic quoque ipsi rei prospiciendum Pater Roothaan haud immerito censuit. Quantae enim, annis istis amplius 40, qui inter suppressam Societatem eamdemque restitutam intermedii erant, rerum evenerant mutationes! quantae vel ipso Societatem gubernante! Ratio certe atque inclinatio temporum quasi toto caelo diversae ab illis erant, quibus ante rerum publicarum in Gallia eversionem, per tria ferme saecula, hujus mundi cursus institui solebat. Nam haud solum civilis, quae dicitur, Constitutio per universam Europam invaluerat, ut validioris jam populi vires adversus ipsos principes succrevissent, verum etiam ipsa hominum consociatio vitaeque consuetudo libertate eadem vulgo admisceri coeperat. Porro in litteris quoque, in artibus, in scientiis, in quolibet denique cogitandi genere libertas ista dominatum jam occupabat. Num igitur Societati disciplinis ejusmodi abstinendum erat? Minime sane; at e contra concedendum omnino recentioribus studiis istis, concedendum inquam scientiarum progressui, ita tamen ut primaevi spiritus sui semper esset tenacissima. Atque hoc ipsum Patri Roothaan propositum maxime erat, iteratis vicibus insistenti ut spiritum illum Societatis filii excolerent; ajebat enim: « Bonus hic spiritus, verus spiritus Societatis Jesu, fiet

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 365-366.

in nobis fons aquae salientis in vitam aeternam, venientque nobis omnia bona pariter cum illo » [1].

Cujus rei ipsius quanta esset necessitas, ut nimirum inter mundi hujus mutationum vicissitudines in suo spiritu perstaret Societas, haud scio an quis expressius elocutus fuerit quam eminentissimus ille vir, qui Patri Roothaan successit Praepositus Generalis Societatis. In sua sane secunda ad Societatem data epistola, « multa quidem, inquit, in rebus humanis commutari quotidie videmus, atque temporibus aliis alia ad finem qui nobis propositus est adminicula utiliora et efficaciora esse possunt. Quapropter a sapientissimis quibusque viris merito laudatur eximia S. Patris Ignatii prudentia, qui ex his ad finem consequendum adminiculis aliqua non legibus definiri, sed sive a Societate universa, sive etiam a Superioribus singulis temporum ac locorum personarumque rationi accommodari voluerit. At vero intimum illum de quo loquor, et proprium quo S. Pater operabatur spiritum, quaecumque sit rerum humanarum varietas et inconstantia, eumdem semper esse in Societate et immutabilem perseverare oportet » [2].

Hujus quidem aliorumque Praepositorum Generalium omnium doctrinas suis ipsa rebus gestis Societas exsecuta est; quibus efficacius sane quam omni verbis contexta demonstratione ostenditur, quanta fide in suo primaevo spiritu ipsa perseveret.

Ducem igitur suum Jesum Christum, haud equidem minus ac fortassis etiam magis quam ante Suppressionem, Societas per viam crucis incedendo comitatur, vel potius suam in ipsa cruce passionem cum illo producit. Ac profecto, si certum quodpiam signum quaesieris, quo planum tibi fiat, Christi spiritu Societatem reapse animari, persecutiones illae sunt, opprobria, calumniae, quibus ipsa continuo objecta patet. Quid enim causae esse putabis, quare Societatem adversarii insectentur, nisi quia, a Christo illa stans, Christi conditionem sortitur atque fortunam? Quoniam enim Christum internecivo odio prosequitur mundus, furore correptus, Jesu Societatem insectatur. Ecclesiae sane partes amplexa Societas, solum Christum ipsa praedicat, et hunc crucifixum. Christum igitur doctorem, sacerdotem regem mundo ostentans, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, quid aliud ab isto mundo Societas nisi

[1] *Ibid.*, p. 384.
[2] *Ibid.*, Tom. III, p. 88-89.

odium consequatur oportet? Etenim *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* [1]. Dubium haud ullum quin, ut minus sapiens dico, si Christo valedicere ejusdemque dimittere spiritum voluisset Societas, summis amicitiae significationibus eam mundus excepturus fuerit. At vero, Christi vexilla constantissime obtinentes, Societatis filii, quemadmodum priores illi Christi Regis Apostoli, ire pergunt et ipsi *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* [2].

Jam ecce novum conservati a Societate primaevi spiritus argumentum, viam dico quam in persecutionibus perferendis tenet. Ac primum quidem nihil adeo mirum Societati videtur, si mundi insectationibus ipsa pateat. Etenim si de *mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* [3]. Ad Christum igitur intentis oculis, non cum patientia solum verum etiam cum gaudio durissima quaeque perfert; aut si quando innocentiae suae jura reclamando tutari voluerit, S. Pauli secuta exemplum [4], aliud non agit quam ut majoris Dei gloriae procurandae momenta sectetur. Utcumque injuriis, molestiis, insectationibus petita, animo tamen despondet nusquam; sed, ex quo labore deturbata alicubi fuerit, eumdem vel alium quemcumque alibi mox iterum assumet. Quod si etiam operandi via atque ratio ei intercluderetur omnis, at certe orandi patiendique campus patet vastissimus, ut quod labor apostolicus obtinere non potuerit, id martyris impetret oratio. Ac sane ad animarum salutem comparandam longe efficacior vis orationi patientis inesse solet quam sermoni concionantis, dum ad suae ipsius vitae sanctitatem nulla re melius quis promovetur quam ipsis fortiter toleratis rebus adversis.

Ita quidem, suos litteris monens, Pater Beckx: « Ut spiritualis homo, inquit, persaepe tribulatione nascitur, ita hoc pane nutritur, augescit, roboratur. Hinc mira illa majorum nostrorum humilitas Societatis hominibus adeo necessaria, ut humana laude et confusione contempta, Dei solius honorem et gloriam ex animo consectarentur. Hinc eximia illa caritas, qua ingenio, studiis, natione di-

[1] JOAN., XV, 18.
[2] *Act. Ap.*, V, 41.
[3] JOAN., XV, 19,
[4] *Act. Ap.*, XXII, 23 ss.

versos tanto arctius semper in Domino conjunxit, quanto acrioribus improborum odiis impetebantur. Hinc mundi contemptus; hinc flagrans Dei amor veraque illa sapientia, quae quicquid momentaneum et caducum est despiciens, ad sempiterna anhelat, solumque Deum pura mente sectatur. Quapropter mirum vobis videri non debet, hisce ipsis insectationibus, cum alios multos tum nominatim S. Franciscum Borgiam, ad Societatem allectos fuisse, quod scilicet eam a mundi amatoribus tam acriter et injuste oppugnatam atque afflictam viderent. Spectaculum enim ipsa quoque facta erat Deo, angelis et hominibus. Qua de causa merito gratulari nobis ipsi debemus, ac singulares Deo gratias persolvere, quod haec tempora Instituti nostri primordiis hac ex parte plane respondeant; nec propterea, quod a mundo vexamur, de virtutis studio et in Deo fiducia quicquam remittere fas est; sed majorum instar eo diligentius tempore malo ad perfectionis nostrae augmentum uti, atque eo vel magis Deo fidere debemus, quo iniquiora nobis moventur certamina. Reminisci oportet verba Domini admonentis: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, Ego vici mundum* »[1].

Quod si quando Societatem alicubi persecutionibus minus vexari contigerit, conservatum tamen in ea primaevum spiritum fuisse testabitur ipsa diligentia ejus atque patientia laboris. Quo in genere primum ostendere licebit nostras in exteris regionibus Missiones; neque enim ad istiusmodi suscipienda opera mundano spiritu incitari quis solet, quippe quorum gratia relinqui oporteat omnia fere quae homini sunt carissima: patriam, propinquos, amicorum consuetudinem, cultioris vitae utilitates; succedunt autem eorum loco in peregrina regione commoratio, ab amicis remota, inter incultos homines, quorum nec sermonem intellegas neque usus vitae noveris; ingrati ut plurimum labores et saepe infoecundi, aut certe quorum ipse nullos fructus aspicias. Vix non perpetua vitae inopis incommoda, atque ipsius rudissimi cibi privatio, laborum praeterea itinerumque gravissimorum molestiae. Quibus sane rebus omnibus tolerandis par nemo unus invenietur, nisi qui, Dei hominumque amore flagrans, ipsas Christi Domini passiones aemulari secum ipse firmiter statuerit: En ipsum argumentum habes, quo constet vigere in nostris hominibus ingenuum illum Christi spiri-

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 107-108; JOAN., XVI, 33.

tum, quem ab Ignatio Patre acceptum etiam hodierna Societas Jesu, viribus vegetum fructibusque foecundum, conservarit.

Has ipsas proinde in nostris Missionariis dotes requirere solebat Pater Roothaan: Virtutum, inquam, solidarum praesidium; purum intentionis oculum, quo sola Dei spectaretur gloria et animarum salus; animum ab omni rerum insolitarum cupidine alienum; puritatem conscientiae et studium orationis; caritatem ac patientiam, qua ferrent molestias vitae communis, facile se aliorum ingenio accommodarent, pacifice contradici sibi aut etiam aegre sibi fieri paterentur, qua denique etiam miseris praesertim, egenis, sordidis hominibus, in carcerum ac nosocomiorum squalore ac faetore adesse ac ministrare consuevissent; tandem maximam in Deum fiduciam. Haec quidem ille, in sua epistola *De Missionum exterarum desiderio excitando et fovendo* [1].

Christi igitur, non mundi spiritu Missionarium duci liquido apparet; istas autem cum mundo inimicitias omnino gerendas esse, ipsis iterum verbis testatur Pater Roothaan, dum statuit: « Contraria contrariis omnino esse opponenda, superbiae scilicet humilitatem, effreni libertatis cupiditati religiosam obedientiam, mundi fastui spiritum paupertatis, voluptatum libidini crucis Christi ejusque mortificationis amorem » [2].

Qua ratione comparatos Missionarios suos Societas numero plurimos in universum orbem dimittit, totos se tradituros labori isti molestissimo, cui humana solatia saepe vix ulla admixta sunt, prosperi autem successus haud alia lege tribui solent nisi ut, Christi spiritu ducti suorumque commodorum obliti, usque impendant et superimpendantur. Ac proinde jam licet nos, matris nostrae laude pie laetos, colligere, Missionarios illos 3619, qui, pro Christo desudantes, Christi doctrinam per universum orbem, ipsius Christi spiritu animati, propagant, argumento esse, primaevum Societatis spiritum, etiam in restituta Societate, nativo plane vigore vim suam atque efficaciam exserere.

Nec minus explorata res erit, primaevo inquam spiritu suo etiamnunc vigere Societatem, si quis justae Provinciae labores, qui a Sociis obeuntur, attenderit. Quo loco primum statim considerandа venit juventutis institutio, quae procuratur in Collegiis et

[1] *Epist. Gen.*, Tom. II, p. 355 ss.
[2] *Ibid.*, p. 364.

Universitatibus. Ac sane quidem habet ea in re Societas, quibus innitatur, sua per trium saeculorum spatium experiendo acquisita principia, ut laboris delicatissimi prosperos successus exspectare facilius possit. At nihilo tamen minus veritate viget semper S. Joannis Chrysostomi sententia haec: « Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret » [1].

Huic igitur perficiendae rei gravissimae suas sibi, temporum decursu, normas Societas statuit et *Ratione Studiorum* ita composuit ut juvenum ingeniis simul atque animis conformandis sint aptissimae. Jam enim ipsa prima *Rationis* regula pronuntiatur: « Ex primariis Societatis nostrae ministeriis esse, omnes disciplinas Instituto nostro congruentes ita proximis tradere, ut inde ad Conditoris ac Redemptoris nostri cognitionem atque amorem excitentur » [2]. Vides prodeuntem statim Ignatii spiritum illum, quo, quidquid Societas suscipit, cognitio atque amor Jesu Christi semper intendatur. Neque enim sua solius gratia unquam excolitur inter nos scientia, nec temporalis emolumenti causa Collegia instituuntur et Universitates; verum Instituti nostri universi hic unice finis ut sua Deo atque Jesu Christo major gloria tribuatur. Ideo enim Collegia et Universitates Societas amplectitur, quae sunt nostrae *Rationis studiorum* verba, « ut in his Nostri commode possint et doctrina ceterisque rebus, quae ad adjuvandas animas conferunt, instrui; et quae didicerint ipsi communicare cum proximis; post religiosarum et solidarum virtutum curam, quae praecipua esse debet, in illud maxime incumbat, ut finem hunc, quem in Gymnasiis admittendis Societas sibi proposuit, Deo adjuvante consequatur » [3].

Unusquisque porro Societatis Magister, quaecumque commode potuerit, praestabit « ad auditores suos ad obsequium et amorem Dei ac virtutum, quibus ei placere oportet movendos, et ut omnia sua studia ad hunc finem referant ». « Discipulos praeterea juvet crebris apud Deum precibus ac religiosis vitae suae exemplis.... Hortetur potissimum ad orandum Deum, ad excutiendam conscientiam vesperi, ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequenter

[1] In MATTH., *Hom.* 60.
[2] *Reg. I Prov., Instit. S. J.*, Tom. III, p. 158.
[3] *Ratio Stud., Reg. I Rect., Instit. S. J.*, Tom. III, p. 166.

ac rite obeunda, ad Missam quotidie, concionem singulis diebus festis audiendam, ad vitandas noxias consuetudines, ad vitiorum detestationem, ad virtutes colendas Christiano homine dignas » [1].

Vides, non ipsos Sodales solos, verum etiam alumnos nostros spiritu Christi imbuendos esse. Dicat forte quispiam, praecepta ista ex antiquiore illa *Ratione Studiorum* desumpta esse, cujus jam anno 1599 usus in Societatem invectus fuerit. Ac recte ille quidem; dummodo reputare velit, non, sicuti multa statuta, quae ad litterarum scientiarumve disciplinam pertineant, ita etiam ea, quae animorum conformationem spectent, mutationi obnoxia fuisse. Etenim non solum urget semper, in solida juvenum educatione, ipsius antiquioris illius *Rationis Studiorum* obligatio, verum etiam enixe eamdem Pater Roothaan, anno 1832, denuo commendavit, dum haec scribebat: « Ad grande munus studiosae juventutis instituendae strenue quisque pro gradu et officio incumbamus ». Tum vero, posteaquam affirmavit, hac ipsa de causa restitutam a Pio VII Societatem fuisse, sicuti principes eorumque populi ut restitueretur instanter rogaverant, mox sermonem prosecutus: « Deo Optimo Maximo, inquit, quod caput est, operam nostram probemus: cui equidem multis sacrificiorum millibus e Societatis thesauro oblatis supplicare pro felici hujus tanti operis successu non destiti, nec porro desistam et in hoc eodem negotio supplices mecum apud Dominum vos cupio » [2].

Cui juventutis institutioni procurandae, tali quidem ut ad Jesu Christi regnum propagandum adolescens aetas conformaretur, omnes deinceps Praepositi Generales vehementer institerunt, quippe cum ille ipse potissimum finis esset Universitatum, Collegiorum, Convictuum, et Scholarum quascumque moderandas restituta Societas suscepit. Ac postrema quoque Congregatio Generalis eumdem praecipuum finem diligentissima cura ob oculos nobis posuit. Concedens enim ut sua cuique Provinciae, ubi e publicae instructionis adjunctis ita postularetur, nova conderetur *Ordinatio de studiis inferioribus*, mox tamen haec addit: « In his autem Ordinationibus conficiendis ratio habeatur, ut par est, ejus imprimis finis, quem sibi in suis Collegiis Societas proponit, ut nempe non tantum discipulorum nostrorum facultates omnes apta methodo

[1] *Ratio Stud., Reg. 1, 3 comm. omnibus Prof., Instit. S. J.*, Tom. III, p. 172-173.

[2] *Ratio Stud. Praefatio;* PACHTLER S. J., *Monumenta Germ. paed.*, Tom. II. Berolini 1887, p. 233.

evolvantur, verum praesertim ut ipsi educentur ad fidem et pietatem ac bonos mores, assuescant disciplinae, discant ex virtute agere. Proinde ante omnia curandum, ut Doctrinae Christianae docendae et Sacerdotes quatenus fieri potest applicentur et tempus congruum tribuatur; utque Congregationes Marianae rite instituantur, foveantur ac bene dirigantur. Ad alias vero disciplinas tradendas, si quando magistri externi adhibendi sint, non admittantur nisi viri probatae fidei et virtutis »[1].

Constat proinde, etiam in hoc gravissimo educandae juventutis opere, internum illum spiritum, quem ab Ignatio Parente Societas nativum accepit, ita conservari atque foveri ut, eodem in juvenum animos infundendo, adnitatur *instaurare omnia in Christo.*

Verum cum etiam adultos homines, peccatores haud minus quam justos, ejusdem spiritus participes fieri cupiat Societas, in Residentiis suis Domibusque Professis animarum saluti procurandae diligentissimo labore tota incumbit. Quibus ipsis iterum laboribus, dum omnibus omnia fieri conatur, praeclare ostendit primaevum illum spiritum Ignatii, a se esse conservatum. Ejusdem sane spiritus exemplar egregium, primis illis Societatis temporibus, exstitit S. Franciscus Xaverius; nec mirum, quippe cum noverimus omnes, quam bene omnibus in rebus Ignatii et Xaverii sensus inter se congruerent; « nam, inquit Pater Beckx, etsi infinito propemodum intervallo essent disjuncti, quaecumque Ignatius Romae ad Societatis utilitatem et incrementum mente concipiebat, ea Xaverius eodem tempore in India praecipiebat et exsequebatur: unus quippe idemque spiritus illa utrique dictabat, utrobique Societatem ad certam formans disciplinam coelestemque ambobus prudentiam et agendi rationem inspirans: quod quidem omnes historici nostri observant et testantur et facta ipsa evidenter confirmant »[2].

Eo igitur spiritu repletus, Xaverius praecipiebat ut zelus animarum primum omnium excoleretur « erga fratres nostros et alumnos Domus ». Cui praecepto constanter inhaerens, Societas e Nostris optimum quemque spiritualis vitae ducem Sodalibus praeficit, virum inquam egregiis dotibus ornatum illis, quas S. Ignatius in muneris hujusmodi gravissimi praefectis requirit. Ad externos porro quod attinet, haec est aurea S. Francisci Xaverii regula,

[1] *Congr. Gen. XXV* (1906), Decr. XII, 3.
[2] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 248.



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« ut ii prae ceteris excolantur a nostris operariis, qui majore indigent auxilio, et ii in quibus fructus insignior et diuturnior atque universalior utilitas sperari queat ».

Excolendi proinde sunt pueri. Cui negotio Societas reapse tota incubuit, cum in Collegiis tum per alias, quaecumque offeruntur, opportunas rerum conditiones. Cogita ingentes utilitates illas, quae in rem Christianam innumeris Congregationibus sive studiosae juventutis, sive operariorum adolescentium sive aliorum quorumcumque juvenum, conferuntur. Immo nec civitates desunt, in quibus ipsos pueros instituendos suscipiens Societas, in Congregationes colligat, memor scilicet ipsa Dominici verbi hujus: *Sinite parvulos venire ad me* [1].

Tum deinde virorum maxime curam commendat Franciscus Xaxerius: etenim « cum iis, inquit, quod confeceris, fixum stabit; si quid promiserint, praestabunt. Illi Deo adjuncti et uxorem et familiam component totam ». Eidem igitur operae Generales quoque Praepositi et alii Superiores Societatis enixe semper institerunt: ingenuus enim Societatis spiritus hic est, ut virorum coetus et Sodalitia ad pietatem excitentur, ut pauperes et rudes imbuantur praeceptis, ut homines peccatorum laqueis irretiti exsolvantur et ad bonam frugem reducantur. Ac sane rationes multae sunt, cur Societatis filii restitutae Matris suae Provincias laeti circumspiciant. Societatis enim domicilium vix ullum reperies, cui adjuncta non sit aliqua virorum Congregatio; atque etiam Domus nonnullae sunt, in quibus duas atque etiam tres invenias hujusmodi Congregationes, quibus variae hominum conditiones distinctis curis eruditantur pietate, virtute revera virili instruantur, ita demum conformentur ut ad impigre agendum evadant quam aptissimi; quibus, inquam, operarii pueri atque adolescentes ita instituantur ut seductoriis socialistarum commentis valeant resistere; quibus porro studiosis aliisque melioris conditionis adolescentibus, juvenibus, viris commendetur, una cum reliqua virtute Christiana, aequa cum operariis exercenda commiseratio et caritas; quibus denique viri primores atque auctoritate pollentes, publicisque muneribus gravissimis haud raro insignes, vera doceantur principia Christianae pietatis, justitiae, habitudinis, quae Ecclesiam inter et Statum civilem intercedat, artis quoque politicae Catholicae excolendae.

[1] Marc., x, 14.

Quamquam reticendum non est, qualem quantamque curam femineo sexui adhibuerit Societas, frequentem tamen et continuam curam, ut Ignatius sic Franciscus Xaverius quoque, Societati, tanquam minus fructuosam, haud ita convenire judicarunt. Qua de re Xaverius quidem: « Causa mihi, inquit, sic judicandi est, quod inconstantes in propositis, verbosae in congressibus fere sunt feminae: unde sequitur et temporis plurimum iis alloquendis perdi, et certi ac securi fructus colligi perparum ». Neque aliam fuisse Ignatii Parentis mentem, nemo inter nos est qui ignoret; expertus enim ipse, feminarum aliquot praecipuarum, quarum tamen beneficentiae multa se debere profiteretur, curam aliis dimisit; interdixit quoque ne feminarum conventibus Nostri moderando praeessent eorumve ex ordine confessarii constituerentur. Ille porro Ignatii spiritus hodiedum etiam ita in Societate viget ut, nisi contraria urgeat necessitas, puta in locis Missionum, Patris nostri praecepto fideliter inhaereamus. Immo Adm. R. P. Petrus Beckx, anno 1875, praeclara illa epistola sua, *De animarum zelo et ratione eas juvandi*, istas Sanctorum Ignatii et Xaverii leges denuo proposuit, utque summa cum diligentia servarentur vehementer commendavit. Ipso igitur hodierno Societatis spiritu, qui sit « zelus secundum scientiam », incitantur Socii, verba haec fere sunt Patris Beckx, non ad humilia et obscura declinanda, neque ad speciosiora ministeria, quae plus habeant laudis et pompae vindicanda, verum ad usum et consuetudinem vilis plebeculae, ad rudes et pauperes, in vicis civitatis ignobilibus habitantes, ad virorum coetus excolendos; atque haec quidem ita ut tamen ceteros minime negligere Nostri debeant ac respuere, enixe vero moneantur esse eos parcius conveniendos.

Aegrotantium porro ministerium, quippe quod capite proxime superiore pluribus ostenderimus, nullo tempore a Societate nostra excultum non fuisse, non est cur repetendo nunc describamus. Sed neque dictu opus est, quo illud spiritu a Nostris obeatur. Ubi enim hominem videris, qui in nosocomiis diligentissimus adstet aegrotantium lectis, qui sua caritatis ministeria, periculis illa quidem plena, impendat pestilentia vel cholera morbo decumbentibus, qui ipse superimpendatur ne quid misellis hominibus desit, qui ad finem usque ita iis adsit ut, antea quam ex vita hac miserrima ad aeternam felicitatem eos transmiserit, nusquam recedat; haec, inquam, ubi videris, numquid ex homine illo quaerere voles, utrum

solius Christi Domini amore ipse ista praestet? Dum enim, imminentis mali periculo perculsi, fuga circumcirca dilabentes conspiciuntur omnes, dum ipse solus remanet, ut praesto sit nimirum homini isti miserrimo, in quo ipsum Dominum suum ac Magistrum agnoscit Jesum Christum, obstupefacti profecto omnes collaudabunt Ecclesiam, quae spiritu Christi conformarit viros illos fortissimos. Ac Deo quidem gratias, qui tales Societati, nostris etiam diebus, dederit plane multos. Neque enim toto hoc restitutae Societatis saeculo ingenuum filium ejus reperies ullum, qui fugiendo laborem ejusmodi, a Christo Duce sibi oblatum, detrectare unquam voluerit. Sane quidem, quae sive ex omnibus Provinciis nostris, sive magis etiam ex universis Missionibus innumera argumenta retulimus, rem plane demonstratam relinquunt.

Quin autem ea ipsa vis atque efficacia sit e spiritu Christi, quis est qui dubitet? Pater Beckx quidem, filios suos allocutus: « Hanc agendi rationem, inquit, didicit vir apostolicus a Christo Domino, qui turbas et infimae plebis homines singulari benignitate prae ceteris amplexus est; ideoque discipulis Joannis Baptistae interrogantibus an ipse esset qui venturus esset, sive Messias, non aliud dedit certissimum sui indicium quam illud: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* [1]. Ostenditque in se impleri prophetiam Isaiae: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* [2]. Nec infimum tantum, sed perditissimum hominum genus ardentissima caritate prosecutus est Unigenitus Dei Filius, dicens de se ipso: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt Domus Israel. Non enim veni vocare justos, sed peccatores* [3]; adeo totus erat in criminosis hominibus ad se trahendis, ut a perfidis pharisaeis ei gravi vitio verteretur, quod peccatores reciperet, inter illos continuo versaretur, ac manducaret cum eis. Eodem prorsus modo se gesserunt Apostoli et quotquot eis successerunt in conversione gentium: neminem a caritate exclusum voluerunt; quin etiam potior eorum cura et ardentius studium positum fere erat in excolendis rudibus, peccatoribus, iisque omnibus qui majore in spiritu necessitate premebantur » [4].

[1] Matth., xi, 5.
[2] Luc., iv, 18.
[3] Matth., xv, 24, ix, 13.
[4] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 253-254.

Quibus rebus ita pertractatis adducimur, ut jam dicamus de argumento illo omnium praeclarissimo solatiique maxime pleno, quo efficiatur nativum Christi spiritum conservatum esse in Societate, de illo, inquam, amoris spiritu, quo tanquam vinculo colligati inter se devinciuntur filii Societatis. Etenim *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* [1]. Ac reapse intimum illum amorem mutuum semper fuisse Societatis Jesu quasi notam singularem, testantur « exempla praeclara primorum Patrum, qui licet collecti ex variis nationibus et eo tempore inter se dissidentibus, tamen adeo usque ad mortem perstiterunt vinculo charitatis conjuncti, ut essent *Cor unum et anima una:* unde potuit S. P. N. Ignatius, nulla habita ratione nationis, provinciae, antiquitatis, Romano Collegio Gallum imponere, Hispanum Parisiensi, Perusino Belgam, Florentino Sabaudum, Mutinensi Hibernum, et Romanae Provinciae Paschasium Broët, Jacobum Laynez, Christophorum Rodriguez, et sic in aliis locis, nullo non solum reclamante, sed mirum in modum omnibus probantibus. Quam Sancti Patris agendi rationem secuti sunt ejus immediati successores, ut videre est in elenchis Provincialium et Superiorum, qui continuo ad nostra ferme tempora praepositi sunt » [2].

Quo loco nostris etiam diebus sunt res Societatis, quippe in qua mutui amoris atque obsequii fraterni quasi contentio obtinere videatur. Ista nimirum caritate fit ut te in aliena regione constitutum levius feras, immo ut in ea Societatis Domo, ad quam diverteris, mox quasi Domi tuae esses te reperias, dum laetus mox animadvertes quantum fraterna caritas illa distet ab isto frigido sui ipsorum amore, quo, qui mundi hujus sectantur principia, ut plurimum ducuntur. Ipsa tibi caritas illa levamen affert laboris, ipsa fratribus tuis suggerit alacritatem auxiliandi, ipsa, cum sit « vinculum perfectionis », operibus omnium, quae ad majorem Dei gloriam susceperunt, perfectionem conciliat singularem. « Societatem, inquit aliquis, prius non noveram; at hoc tamen unum constat, inventum a me idipsum fuisse, quod quaerebam, spiritum benevolentiae, consuetudinis intimae, ingenui obsequii atque amoris ».

Qui, quamvis omni tempore ac loco et per quaelibet temporum adjuncta in Societate vigeat, maxime tamen vim suam persecutio-

[1] JOAN., XIII, 35.
[2] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 276-277.

nis tempore exserit. Nam pro Christi nomine sannis probrisque petitos, expulsos, disjectos, obvium est illos, dum communis suae vocationis amore quoddam quasi martyrium experiuntur, strictioribus animorum vinculis inter se colligari. Eadem enim fide, eadem vocatione, eodem spiritu socii omnes passionum Christi efficiuntur, qui ipse sui amoris vinculo universos devinctos tenet. Quo jam fit ut sacro quodam quasi fervore correpti, omnes ingenti fortitudine exhaurire norint quaecumque, sive labores, sive aerumnas, sive persecutiones, sive odia pro Christi nomine atque amore subierunt. Nec mirum igitur a S. Francisco Xaverio, qui eumdem Christi spiritum expertus fuisset, Societatem Jesu esse *Societatem amoris* nominatam.

Ac sane res admiratione plane digna est, quamque immoto animo haud facile quis enarratam videat, quanta liberalitate ac munificentia Nostri hospitalitatis jura exercuerint cum iis, quos persecutorum rabies oppressisset. Nam ab ipsis exordiis restitutae Societatis statim illum amoris spiritum egregie viguisse conspicimus. Vixdum quippe exorta, Provincia Belgica in nostra Helvetiae domicilia recipitur; ex Hispania deinde fugere compulsi, Patres a Galliae Sociis profusa caritate recipiuntur, quorum diuturno hospitio usi quasi alteram inter illos invenisse patriam videri sibi possent; tum, disjectae rerum civilium perturbatione Provinciae Italicae in aliis, quam late patet, Societatis partibus amoris simul atque domicilii communitatem nanciscuntur. Et nostra etiam aetate, quanto amore et liberalitate confessores fidei illi Lusitani a diversis Societatis Provinciis recepti sunt! Enimvero non vanis verborum et assentationum lenociniis, qualium inter mundanos homines invenias profusionem, sed ipsis rebus gestis mutuum amorem demonstratum in Societate vides, quo quidem fit ut, fratrum suorum gratia, Nostri ipsis sibi commodorum carentiam multiplicem imponant, haud quidem quasi coacti devotionisque suae speciem publice prae se ferentes, verum hanc felicitatem suam factumque sibi favorem esse professi, quod liceat, Christi Regis et divinae vocationis causa ejectos, fratres communibus sedibus recipere atque confovere. En habes profecto cur Romanorum illud vetus dictum usurpes: Vide quomodo inter se ament! Amant quippe fraterno amore illo, qui, ex ipsius Christi spiritu origine ducta, in universam deinde Societatem propagatus, viget atque operatur, ingenuam-

que, juxta mentem Ignatii Parentis, Jesu Societatem eam constituit.

Restitutae autem Societatis ingenuum spiritum prae reliquis magis ii confirmarunt, quorum, egregia virtute virorum, causa beatificationis coram Congregatione Romana agitur. Societatis quippe nostrae processus ad caelestes decernendos honores instituuntur nunc omnino 30, quorum restituti Ordinis nostri sunt hi decem: Ven. P. Josephus Pignatelli (ob. 1811), qui fuit e ditionis Neapolitanae restituta Societate. In ejus causa celebrata est anno 1908 Congregatio antipraeparatoria de virtutibus heroicis, praeparatoria anno 1910.

Ven. P. Aloysius Solari (ob. 1829), e Provincia Neapolitana. Latum est decretum introductionis causae.

Ven. P. Paulus Cappelloni (ob. 1857), e Provincia Neapolitana. Ejus introducta est causa.

P. Petrus Josephus de Clorivière (ob. 1820), e Provincia Galliae. Ejus autem causa, ob extrinsecas difficultates, quiescit.

P. Paulus Ginhac (ob. 1895), e Provincia Tolosana; de cujus causa informationes ad Congregationem datae sunt.

Ad quos addere licet, e sententia quidem postulatoris causarum, Patres illos 5, Petrum Olivaint, Anatolium de Bengy, Alexium Clerc, Leonem Ducoudray, Joannem Caubert, qui occisi omnes sunt Parisiis, 24 Majo 1871[1].

Porro gloriosa morte vitam absolverunt etiam martyres illi 44, qui, inter annos 1822 et 1902, vitam pro Christo profundentes, tum vegetum semper Societatis spiritum tum suum fidei propagandae zelum vocationisque amorem contestati sunt. Erant autem:

Ex *Assistentia Italiae:* P. Ferdinandus Bonacini (ob. 1860); P. Ludovicus Massa (ob. 1860); P. Januarius Pastore (ob. 1887); P. Aemilius Moscoso (ob. 1897).

Ex *Assistentia Germaniae:* P. Antonius Terörde (ob. 1880); P. Stephanus Czimmermann, P. Josephus Platzer, Fr. Clemens Wigger, qui annis 1894-1895 a Cafris interempti sunt.

Ex *Assistentia Galliae:* R. D. Benedictus Planchet (ob. 1859); P. Eduardus Billotet (ob. 1860); P. Elias Jounès (ob. 1860); Fr. Habib Maksoud (ob. 1860); P. Alphonsus Habeisch (ob. 1860); mar-

[1] Camillus Beccari. S. J., *Stato presente delle cause di Beatificazione e Canonizzazione dei Servi di Dio appartenenti alla Compagnia di Gesù*, Roma 1909.

tyres illi, quos jam nominavimus, ex tumultu Parisiensi (ob. 1871); Fr. Martinus Brutail (ob. 1883); P. Gasto de Batz (ob. 1883); P. Ambrosius Amirdanader (ob. 1894); P. Jacobus Berthieu (ob. 1896); P. Remigius Isoré, P. Modestus Andlauer, P. Leo Ignatius Mangin, P. Paulus Denn, anno 1900 occisi ab iis, qui in Sinis dicuntur Boxer; P. Victor Lomüller, ab iisdem ibidem occisus anno 1902.

Ex *Assistentia Hispaniae:* P. Castus Fernandez, P. Joannes Sauri, P. Joannes Artigas, P. Josephus Fernandez, Fr. Joannes Elola, Fr. Josephus Urrieta, Fr. Dominicus Barreau, Fr. Josephus Garnier, Fr. Josephus Sancho, Fr. Petrus Demont, Fr. Firminus Barba, Fr. Martinus Buxons, Fr. Emmanuel Ostolozza, Fr. Joannes Ruedas, Fr. Vincentius Gogorza, qui omnes Matriti, anno 1834, vocationis suae causa occisi sunt; R. D. Lizarzarburu (ob. 1877) [1].

Ex *Assistentia Angliae* denique, cujus, saeculis illis primis, tam ingens martyrum numerus fuit, post restitutam Societatem nomen martyris, qui quidem innotuerit, refertur nullum. Sed neque elenchus hic, ex eorum sententia, qui dato negotio diligenter inquisiverunt, completus esse putandus erit. Profecto enim « sunt, quos solus Deus noverit, nobis caelesti lumine illo tandem aliquando revelandos ».

Hi igitur omnes magnanimi viri atque fortissimi, una cum reliquis Societatis nostrae in caelo triumphantis Sodalibus, ipso S. Ignatio duce, restitutae Societatis primo saeculari festo laetantes, grata mente jam respiciunt annos istos, quibus Jesu Christi spiritu, qui ipse restitutae Societatis spiritus esse perseveraverit, animati, tum ipsi tum per ipsos multa hominum millia ad aeternae felicitatis apicem pervenerunt. Nos porro, suos in terris etiamnunc constitutos Socios, iidem invitant ut, saecularia sua ipsorum atque nostra festa agentes, laeti confidamus fore ut aliquando ad eamdem in caelis jam triumphantem Societatem Jesu valeamus pertingere. Etenim:

« Vocat nos de coelesti gloriae throno, qui paterno nos et tenerrimo amore complectitur Ignatius, et crucis vexillum pandens aspicere nos jubet *in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* Acce-

[1] J. H. Dugout, S. J,, *Nos Martyrs. Catalogue des Pères et Frères de la Comp. de Jésus, qui dans les fers ou dans les tourments ont sacrifié leur vie pour la foi ou leur vocation,* Paris 1905.

damus, nec inferamus crimen nomini nostro. Dies mali sunt, et adversarii multi; sed *fidelis Deus*, qui nos vocavit *in Societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri*. Non est quod timeamus, duce Ignatio Jesum sequentes. *Fidelis Deus*, ac si nos ei fuerimus fideles, faciet ipse cum tentatione proventum. Ad certamen appellat, sed certantes quoque ipse confirmat ac protegit atque ad certum triumphum deducit. Accedamus ad Patrem suavissimum, eique nos et nostra omnia ac universam quam ipse instituit Societatem commendemus, ut eam potentissimo suo suffragio defendat et salvet, suumque spiritum in omnes nos effundat, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris coronari tandem cum ipso mereamur in coelis »[1].

[1] *Epist. Gen.*, Tom. III, p. 100-101.

# INDEX ALPHABETICUS

## PERSONARUM ET RERUM


**Abad**, R. P. Mathias: Assistens Hispaniae, 149.

**Abel**, P. Henricus: Concionator et Scriptor, 455.

**Acholei**, Collegium S.: Dire tractatur, 222, sq.

**Adamski**, P. Stanislaus: Scriptor, 454.

**Aegaei**, Maris Insulae: A Nostris evangelizantur, 272 — Missio superstes ex antiqua Societate, 310.

**Aegyptus**: Missio erigitur, 915 — Seminarium Copticum, 315 — Residentiae, 315 — Scholae, 375 — Pertinet ad Provinciam Lugdunensem, 315.

**Aequator**, Missio: Garcia Moreno Nostros vocat, 280.

**Africa**, ignota: Missio quaeritur, 317 — Deceptio, 317, sq. — Iter in Kartoum et ultra, 318 — Inveniuntur pagi, 318.

**Africanae**, Missiones: Describuntur, 285, sqq.

**Agusti**, P. Vincentius: Scriptor, 486.

**Aix**, Lettres d': 401.

**Alarcón y Melendez**, P. Julius: Scriptor, 488.

**Alaska**, Missio: Jungitur Provinciae Canadensi, 161 — Missio erigitur, 278, sq.

**Alba Russia**: Societas in Alba Russia, 5, sqq.

**Albani**, Cardinalis et S. Collegii Decanus: Vota restaurationis Societatis, 10.

**Albania**: Missio pertinet ad Provinciam Venetam, 311 — Eleya i Zemers, 408.

**Albers**, P. Petrus: Scriptor, 453.

**Albertus**, Bavarus: Testatur de Societate, 553.

**Aleni**, P.: Scriptor, 479.

**Alet**, P. Victor: Scriptor, 464, sq.

**Algeria**: Missio Provinciae Lugdunensis, 101 — Erigitur, 313 — Difficultates, 314 — Orphanotrophia, 314, sq. — Pertinet ad Provinciam Lugdunensem, 311.

**Algué**, P. Josephus: Scriptor, 484, 495.

**Allard**, P. Hermanus: Scriptor, 450.

**Alosti**: Collegium oritur, 87.

**Altieri**, Princeps: Societatem ingreditur, 31.

**America**: Periodicum hebdomadarium, 412 — Omnium optimum, 412 — Propagatio, 412, 500 — In Statibus Foederatis Missio Societati in Europa aggregata, 87 — Pontificis auctoritas agnita, 87, sq.

**America Meridionalis**: Missio describitur, 279, sqq.

**America Foederata Septentrionalis**: Hujus nominis Provincia rogata, sed nunquam erecta, 88.

**America Septentrionalis**: Missio describitur, 277, sqq.

**Americanae**, Provinciae Novae: Iure communi augentur, 65, sq. — Status florentissimus, 166.

**Americanum**, Collegium Pio-Latinum: erectum, 192.

**Amirdanader**, P. Ambrosius: Martyr occumbit, 600.

**Amstelodamum**: Collegium Patrum Fidei Jesu, 12 — Stationes duae Missionis Hollandicae, 87.

**Anagninum**, Collegium: Traditur Societati, 201, sq.

**Anderdon**, P. Gulielmus H.: Scriptor, 489.

**Anderledy**, R. P. Antonius Maria: Eligitur Vicarius 134, sq. — Faesulis residet, 136 — Vita et virtutes, 137, sq. — Epistolae encyclicae, 139, sq. — Breve *Dolemus inter*, 140 — Mors, 140 — Epistola obsequii erga Leonem XIII, 194 — Collaborat erectioni periodici *Stimmen*, 381 — Commendat Congregationes, 540 — Favores petit, 540, sqq. — Statuta generalia concedit, 542 — Quae, 542 sqq.

**Andlauer**, P. Modestus: Martyr occumbit, 600.

**Andreae**, S.: Commoratur R. P. Beckx et moritur, 136.

**Angelini**, P. Antonius: Scriptor, 426.

**Angiolini**, P. Cajetanus: Ejus amor erga Societatem, 7 — Tendit Vindebonam, Romam, Neapolim, 16— Tractat restaurationem, 16, sq. — Non accipit Bullam *Sollicitudo*, 29. — Consultor Congregationis Rituum, 29 — Libellum supplicem moderatoribus porrigit pro Societate, 38.

**Anglia**: Et regiones Anglica lingua utentes pertinebant ad Assistentiam Germaniae, 107.

**Angliae Assistentia**: Erecta in Congregatione Generali XXII, 107 — Universitates, Collegia et Convictus, 350, 352, sqq. — Quot Collegia, 353 — *The Messenger*, New York, 409 — *The Messenger*, Wimbledon, 409 — *The Messenger*, Australian, 409 — *The Messenger*, Irish, 409 — *The Messenger*, Canadian, 409.

**Angliae**, Provincia: Strenuam impendit operam, semper magis ad Instituti normam efformatur, 116.

**Anhalt-Koethen**: P. Beckx confessarius Ferdinandi Ducis, 109.

**Ankwicz**, Andreas Aloysius: Metropolita Leopoliensis, 70 — Nostros benigne excipit, 70 — Spiritu Josephi II imbutus, 71.

**Annus saecularis**: A fundatione Societatis, 79 — A morte S. P. Nostri Ignatii, 112.

**Antoniewicz** P. Carolus: Scriptor et concionator, 454.

**Antonius**, Saxoniae Rex: Amicitia conjunctus cum Patre Fortis, 67 — Laudat Patrem Fortis, 73.

**Apostolatus Orationis**: Fundatio, 407 — Periodica, 407, sqq. — Ubi et quomodo ortus, 511 — Commentarius, 511 — Finis, 512 — Propagatur, 512 sq. — In toto mundo, 513 — Statuta approbata, 520 — Moderator Generalis, 520 — Non est totus cultus SS. Cordis, 520 — Non stricto sensu proprium Societatis, 520.

**Aquaviva**, P. Claudius: Ejus fortitudo, 106 — Primo regulam Congregationis approbat, 537.

**Archipelagus**: Missio ad Provinciam Siculam pertinet, 310, sq.

**Arcos**, P. Angelus M.: Scriptor, 480.
**Arevalo**, P. Faustinus: Scriptor, 485.
**Argentinia**: Missio describitur, 280, sq. — Prohibentur Reductiones, 281 — Pertinet ad Provinciam Aragoniae, 281.
**Armenia**: Missio erigitur, 315, — Leo XIII, 315, sq. — Residentiae, 316 — Turci, 316 — Cholera morbus, 316 — Scholae, 316 — Crudelitas Mahumetanorum, 316.
**Arndt**, P. Augustinus: Scriptor, 435.
**Arnoudt**, P. Josephus: Scriptor, 491.
**Artigas**, P. Joannes: Trucidatur, 227 — Laudes, 229.
**Aschenbrenner**, P.: Milites curat, 576 — Accipit crucem ferream, 576.
**Asseline**: Episcopus Bononiensis in Gallia, 10.
**Assistentes**: Nominantur novi quinque, 58 — Universi sunt septem, 58 et nota — Ipso facto Congregationis XX deponuntur, 60, sqq.
**Associatio Perseverantiae**: In Italia, 530.
**Astrain** P. Antonius: Scriptor, 487.
**Astrakan**: Nostrorum Missiones, 273.
**Audientia**: Apud Leonem XIII (1888), 198, sqq.
**Augry**, P. Hippolytus: Concionator, 476.
**Australia**: Missio erigitur, 290, sq. Patres Provinciae Austriae, 291 — Patres Hiberni, 291 — Floret, 291 — Pertinet ad Provinciam Hiberniae, 291.
***Australian Missions***, 405.
**Austria** (1848): Male tractati, 239 — Dispersi, 239, sq.
**Austriaca**, Provincia: Nominatur Austriaco-Hungarica, 132 — Provincia praeparatur, 95 — Primi Socii ex Galicia, 95 — Primae Domus, 95, sq. — Diversitas nominum, 96 — Separatio a Provincia Galiciana, 96 — Numerus Sociorum et Domorum, 96 — Incrementum, 166 — Numerus Domorum, 166 — Locorum spatia dissita, 166, sq. — Dividitur, 167.
**Austriaco-Galiciana**: Provincia Societatis, 96.
**Austriae**, Provincia; Mittheilungen, 398 — Gedenkblätter, 398 — Nachrichten, 398.
**Avogadro**, R. P. Joannes Andreas: Fuerat Episcopus Veronensis, 54 — Procurator Generalis R. P. Th. Brzozowski, 54.
**Awelange**: Rector Universitatis Lovaniensis, 10.
**Aylmer**, P. Carolus: Superior Missionis Hiberniae, 83.
**Ayroles**, P. Joannes B.: Scriptor, 472.

**Badeni**, P. Joannes: Scriptor, 458.
**Ballerini**, P. Antonius: Scriptor, 418.
**Ballerini**, P. Raphael: Scriptor, 427.
**Baltimorensis**: Dioecesis Sacerdotes fere omnes e Nostris, 88.
**Barat**, P. Ludovicus: Ex primis in Provincia Galliae, 42.
**Barba**, Fr. Firminus: Trucidatur, 227.
**Barello**, P. Philippus: Scriptor, 423, sq.
**Barrau**, Fr. Dominicus: Trucidatur, 227.
**Barruel**, P. Augustinus: Scriptor, 469.
**Barther**, P. Franciscus: Concionator, 476.
**Basiliana**, Familia: Nostris reformanda traditur, 202, sqq.
**Baudiss**, P. Adalbertus Maria: Reformat Ordinem S. Basilii, 203.

**Baumgartner**, P. Alexander: Scriptor, 458.
**Bayma**, P. Josephus: Scriptor, 428.
**Bearne**, P. David: Scriptor, 494.
**Beauregard**, P. Joannes Nicolaus: Ejus amor erga Societatem, 7.
**Beccari**, P. Camillus: Scriptor, 425, sq.
**Becker**, P. Gulielmus: Milites curat, 573.
**Beckers**, P. Adam: Confessarius et educator R. P. Roothaan, 75 — Cui inserviebat sacra facenti P. Roothaan, 97.
**Beckx**, R. P. Petrus: Eligitur, 106 — Epistola prima, 106 — Praesidet Congregationi, 106, sq. — Vita, 108, sq. — Recipit epistolam principis Metternich, 110 — Ejus epistolae ad Societatem, 110, sqq. — Allocutio ad Procuratores, 114, sqq. — Multas erigit Provincias, 121, sqq. — Roma ejicitur, 133 — Faesulis moratur, 133 — Aedificatio, 133, sq. — Electionem Vicarii curat, 134, sqq. — Mors, 136 — Laudes, 136, sq. — Protestatio missa ad Victorium Emmanuelem, 188 — Epistola ad Victorium Emmanuelem, 243, sq. — Ad Patres et Fratres epistola, 244, sq. — Ordinatio de evulgandis Nostrorum libris, 414, sq. — Regulam secundam Congregationis approbat, 537, sq. — Approbat regulam Primae Primariae, 538.
**Begin**, P. Christophorus: Scriptor, 474.
**Behrens**, P. Henricus: Instructor tertiae Probationis, 456.
**Beissel**, P. Stephanus: Scriptor, 450.
**Belgica**, Provincia: Erectio praeparatur, 85, sq. — Per tredecim annos caret noviciatu, 86 — Tamen numerus Sociorum augetur, 86 — Erigitur Provincia, 87 — Prospere crescit et strenue laborat, 115 — Collegium Lovaniense, sedes studiorum specialium, 171.
**Belgique**, Echos de: Indoles, 399.
**Belgium**: Sub ministerio liberali numerosae vexationes, 242.
**Belot**, P. Joannes B.: Scriptor, 460.
**Beneventanum**: Collegium, 72.
***Bengale, Mission Belge du***: Relatio, 398 — Continuatio, 399.
**Benislawski**, Joannes: Romae Orator Catarinae II, 7.
**Beringer**, P. Franciscus: Scriptor, 437.
**Bernardelli**, P. Franciscus: Scriptor, 427.
**Bernetti**, Cardinalis: Urbem Romam contra tumultuantes defendit, 223.
**Berthieu**, P. Jacobus: Martyr occumbit, 600.
**Bertrand**, P. Josephus: Scriptor, 474.
**Berythum**: Universitas accipit facultatem conferendi gradus, 193.
**Besi**, Ill. Ludovicus de: Nostros in Sinas vocat, 295 — Gratias agit Patri Roothaan, 295 — Erigit Seminarium, 296.
**Besse**, P. Augustinus: Concionator, 476.
**Bessmer**, P. Julius: Scriptor, 441.
**Betagh**, P. Thomas: Ultimus Missionarius in Hibernia de Suppressa Sociatate, 81.
**Beyzym**, P. Joannes: Leprosos curat, 578.
**Biblia**, Arabica: Berythensis, 460.
**Biblica Societas**: In Russiam inducitur, 49, sq. — Accedit ad eam Siestrzencewicz, 49 — Jesuitae recusant, 49 — Propagatur, 49, sq. — Alexander, imperator, eidem favet, 49.
**Biblicum**, Pontificium Institutum: Erigitur, 210, sqq. — Constitutio, 211, sq. — Instruitur, 211, sq. — Villam accipit, 212 — Institutum

subsidiarium, 212 — Describitur, 354 — Historia et incrementum, 354, sq. — Lucubrationes, 354, sq.

**Bibliotheca**, Scriptorum Societatis: Ut continuetur, postulat Congregatio XXI, 414.

***Bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J.***: Describitur, 446, sq.

**Bilbaënse**, Collegium: Traduntur disciplinae Lycei magni, 360.

**Billot**, R. P. Ludovicus: Promovetur ad Cardinalatum, 213 — Scriptor, 461.

**Billotet**, P. Eduardus: Martyr occumbit, 599.

**Blanc**, Ill. Dom.: Favet Missioni Neo-Aurelianensi, 159.

**Blanchard**, R. P. Gulielmus: Assistens Galliae, 135.

**Bliard**. P. Petrus: Scriptor, 472, 474.

**Blume**, P. Clemens: Scriptor, 457, 459.

**Boedder**, P. Bernardus: Scriptor, 441.

**Boero**, P. Josephus: Scriptor, 425.

**Bokser**: Devastant Missiones Sinarum, 300, sq. — Interfecti milleni, Missionarii quinque, 300.

**Boliviana**, Missio: Pertinet ad Provinciam Toletanam, 280.

**Bollandiana**: Acta Sanctorum, 364, sqq. — Analecta, 364 — Qualia sunt, 367.

**Bolsius**, P. Henricus: Scriptor, 445, sq.

**Bombay**: Erigitur Missio, 304 — Magnae difficultates, 304, sq. — Erigitur in archidioecesim, 306, sq. — Pertinet ad Provinciam Germaniae, 306, sq.

**Bonacini**, P. Ferdinandus: Martyr occumbit, 599.

**Bonae mortis**, Congregatio: Erectio, 549 — Titulus, 549 — Post restitutam Societatem, 549, sq. — Novae indulgentiae, 550 — Aggregari debent Primariae Romanae, 550 — Nova praescripta, 550, sq. — Novum Summarium indulgentiarum, 551 — Incrementum indulgentiarum, 551.

**Bonaud**, Ill. D.: Vicarius Apostolicus Pondichery, 303.

**Bonavenia**, P. Josephus: Scriptor, 422.

**Bonhomme**, P. Victor: Concionator, 476.

**Bonna**, Domus Provinciae Germaniae, 102.

**Boone**: P. Joannes Baptista: Ex primis novis Sociis Bollandianis, 366.

**Borgia**, S. Franciscus: Ejus humilitas, 106.

**Borgniet**, P. Andreas: Vicarius Apostolicus provinciae Kiang-nan, 299 — Mors, 299.

**Boubée**, P. Josephus: Scriptor, 465.

**Boucher**, P. Henricus: Ex primis Missionariis in Missione Japonica, 302 — Scriptor, 478.

**Bougeon**, P. Joannes Fr.: Concionator, 476.

**Bouman**, P. Rutgerus; Scriptor, 440.

**Bourget**, Ill. Dominus: Favet Missioni Canadensi, 157.

**Boylesve**, P. Marius; Scriptor, 466.

**Brasilia**: Contra Societatis restitutionem reclamat, 37 — Missio: Erectio, 282 — Difficultates, 282 — Ex Austria Patres transmittunt, 282 — Patres e Provincia Germaniae, 283 — E Provincia Romana, 283 — In Missionem transmittunt Patres Lusitani, 284 — Nova divisio a P. N. Francisco Xaverio Wernz facta, 284, sq. — Pendet a Provinciis Germaniae, Romanae, Lusitanae, 284, sq.

**Braun**, P. Carolus: Scriptor, 444.

**Braun**, P. Josephus: Scriptor, 450.

**Braunsberger** P. Otto: Scriptor, 451.

**Bresciani**, P. Antonius: Scriptor, 426.
**Brestum**: Patrum Missiones turbantur, 218.
**Breve *Dominus ac Redemptor***: Extorquetur, 28.
**Brigense**: Collegium et Convictus, 68.
**Briskorn**, Pater: Bibliothecam in Albam Russiam mittit, 32.
**Broeckaert**, Josephus: Moderatur *Précis Historiques*, 374.
**Broët**, P. Paschasius: Missus a S. Ignatio in Hiberniam, 81.
**Broglie**, Carolus de: Societatis Sanctissimi Cordis, 10.
**Broglie**, de, Episcopus Gandavensis: Accipit Nostros in suum palatium, 41 — Nostros in Neerlandia defendit, 216.
***Broteria***: Periodicum erigitur, 390 — Triplex series, 390, sq. — Scopus et indoles, 390, sq. — Successus, 391 — Post dispersionem pergit, 391.
**Brou**, P. Alexander: Scriptor, 473, 475.
**Brou**, P. Augustinus; Scriptor, 474.
**Browne**, P. Josephus: Scriptor, 447.
**Brucker**, P. Josephus: Scriptor, 461.
**Brugelette**: Coetus de Convictibus tractans, 329, sq.
**Bruin**, P. Paulus: Scriptor, 442.
**Brumauld**, R. P.: Orphanotrophia erigit, 314, sq.
**Brunengo**, P. Josephus: Scriptor, 425.
**Brutail**, Fr. Martinus: Martyr occumbit, 600.
**Bruxellense**, Collegium duplex: Numerus alumnorum, 357.
**Brzozowski**, P. Raymundus: Assistens P. Fortis pro Polonia, 65.
**Brzozowski**, R. P. Thaddaeus: Gratias agit Pio VII pro restituta Societate ac bis mille Missas offerendas curat, 34 — Providentiam erga Societatem miratur, 47 — Suos monet, ne alliciant Russos ad religionem Catholicam, 51 — Moritur, 51 — Ejus indoles, pietas et amabilitas, 51 — Bene meritus de Societate, 54 — Indoles, labor, 54.
**Buffalensis** Missio: Fundatio, 161 — Incrementum, 162 — A Provincia Germaniae dividitur et diversis Provinciis Americanis adjungitur, 161, sq. — Modus divisionis, 162, sq. — Epistola consolatoria A. R. P. N., 163, sq.
**Bulla *Apostolicum***: Societatem laudat, 24.
**Bulla *Plura inter***: Multa Nostris dantur privilegia, 182.
**Bulla *Sollicitudo***: Adumbratio prima, 23, sq. — Oppositio, 24 — Adumbratio secunda, 24, sq. — Tertia publici juris fit, 25, sqq. — Quando parata, 26 — Textus, 26, sqq. — Quando et quomodo publicatur, 28, sqq. — Quomodo ubique accipitur, 28, 32, sqq. — Quomodo accepta in Italia, 35 — In Germania, 35 — In America, 36 In Comitiis Vindobonensibus, 37 — In Austria, 38 — In Anglia, 39, sq. — In Belgio et Hollandia, 40, sq. — In Helvetia, 41 — In Gallia, 42 — In Lusitania, 43 — In Hispania, 43, sqq. — In ditione Mexicana, 48.
***Bulletin des Publications hagiographiques***: Aestimatio, 367.
**Buonaparte**, Josephus: Nostros Neapoli expellit, 220.
**Burnichon**, P. Josephus: Scriptor, 472.
**Bussi**, Joannes Baptista de: Archiepiscopus Neapolitanus Nostros instanter rogat, 72, sq.
**Butiña**, P. Franciscus: Scriptor, 482.
**Buxons**, Fr. Martinus: Trucidatur, 227.

**Cabral**, R. P.: Praepositus Provinciae Lusitanae, evadit, 268 — Epistola praeclara, 270.
**Cabré**, P. Antonius: Scriptor, 482.
**Cabrières**, Ill. de: Testimonium de R. P. Beckx, 133, sq.
**Cahier**, P. Carolus: Scriptor, 477.
**Cahour**, P. Arsenius: Scriptor, 476.
**Calcuttense**, Collegium: Numerus alumnorum, 357.
**Calcuttensis**, Missio: Erigitur, 305 — Incrementum, 305 — Erigitur in Archidioecesim, 306, sq. — Dioeceses suffraganeae non spectant ad Nostros, 307 — Describitur magnum incrementum, 308, sq. — Spectat ad Provinciam Belgicam, 305, sqq.
**Californiae**, Missio: Jungitur Missioni Montium Saxosorum, 161.
**Californiae**, Provincia: Erectio, 164, sq. — Incrementum, 165.
**Callaghan**, P. Missionis Hibernicae: Ejus amor erga Societatem, 81.
**Calocsense**, Collegium in Hungaria, 357.
**Calumniae**: Quod Jesuitae adversantur Pio IX, 186, sq.
**Campaniae**, Provincia: Numerus Sociorum et Domorum, 126 — Foedus suffragiorum cum Sociis Franciae, 126.
**Cana**, Fr. Laurentius: In vinculâ conjicitur, 226.
***Canada, Lettres des Nouvelles Missions du:*** 403.
**Canadensis**, Missio: Historia Missionis, 157 — Obnoxia Provinciae Franciae, 157 — Ad Provinciam Campaniae transit, 157 — Sui juris Missio Canadensis-Neo-Eboracensis, 157 — Ad Provinciam Angliae transit, 157 — Iterum sui juris, 157 — In Provinciam erigitur, 158 — Laudatur, 158, sq. — Novus Noviciatus, 171, sq.
**Candy**, Seminarium Xaverianum: Traditur Societati, 202.
**Canger**, P. Ferdinandus: Concionator, 429.
**Canoz**, Ill. D.: Vicarius Apostolicus Madurensis, 304.
**Cappa**, P. Ricardus: Scriptor, 486.
**Cappelletti**, P. Henricus, Scriptor, 485.
**Cappelloni**, P. Paulus: Venerabilis, 599.
**Caraffa**, P. Andreas: Scriptor, 424.
**Caraffa**, R. P. Vincentius: Ejus paupertas, 106 — Incipit Congregationem Bonae Mortis, 549.
**Caravita**, Oratorium, 11.
**Carayon**, P. Augustus: Scriptor, 474.
**Carbonnelle**, P. Ignatius: Scriptor, 442, sq.
**Cardinales Nigri**: Iis Bulla restitutionis probanda defertur, 26.
**Caritas**: Sodalium inter se tempore tribulationis, 245, sq., in nota.
**Caroli**, S.: Statio in Missione Missouriana, 90 — Collegium, 91.
**Carrez**, P. Ludovicus: Scriptor, 475.
**Carroll**: Episcopus Baltimorensis: Scribit de amore Catholicorum erga Societatem, 36.
**Casajuana**, P. Valentinus: Scriptor, 479.
**Casey**, P. Henricus: Scriptor, 492.
**Castanier**, P. Alexius: Magni zeli Missionarius, 319.
**Castelein**, P. Augustus: Scriptor, 442.
**Castellana**, Provincia: Dividitur, 128, sq. — Retinet nomen, 129 — Missiones dividuntur, 129 — Etiam Lusitania separatur, 129.
**Castellanum Consilium**: Causa cur restitutio in Hispania retardetur, 46.
**Catalogi**, Codicum hagiographicorum: Describuntur, 367, sq.
**Catharina II**, Imperatrix: ejus in Societatem favor, 6.

***Catholic Encyclopedia:*** 500.
***Catholicae fidei***, Breve: Editum 1801, 7 — Confirmatio Societatis in Alba Russia, 7.
**Cathrein**, P. Victor: Scriptor, 442.
**Catvicense**, Collegium: Utilitas, et numerus alumnorum, 358.
**Caukasum**, Ad: Missiones Nostrorum, 273.
**Cercià**, P. Raphaël: Scriptor, 417.
**Cervas**, P. Fridericus, Scriptor, 486.
**Chaignon**, P. Petrus: Scriptor, 463.
**Chanon**, P. Stephanus: Concionator, 476.
**Chapelle**, P. Joannes: Concionator, 476.
**Chastel**, P. Lucianus: Scriptor, 466.
**Cheiko**, P. Ludovicus, Scriptor, 460.
**Chérot**, P. Henricus: Scriptor, 471.
**Chevalier**, P. Stanislaus: Scriptor, 467, 469, 478, sq.
**Chicago**: Universitas, 353 — Numerus discipulorum, 353.
**Chilum**: Missio pertinet ad Provinciam Aragoniae, 281.
***Chine, Lettres des Nouvelles Missions de:*** 403.
***Chine, Ceylan, Madagascar***, Lettres, des Missionnaires, 403, sq.
***Chine et Ceylan***, Lettres des Missionnaires, 403.
**Chyrow**: Collegium et Gymnasium cum jure publico, 357, sq.
**Ciamberlani**, Internuntius, 41.
**Ciampi**, P. Felix: Scriptor, 482.
**Ciccolini**, P. Antonius: Scriptor, 419.
**Cincinnati**, Collegium: Gaudet juribus Universitariis, 353.
**Ciravegna**, R. P. Matthaeus: Assistens Italiae, 135.
**Cirera**, P. Ricardus: Scriptor, 484.
**Clair**, P. Carolus: Scriptor, 473.
**Clare**, P. Jacobus: Scriptor, 496.
**Clarke**, P. Gulielmus F.: Scriptor, 791, sq.
**Clarke**, P. Richardus: Moderator periodici *The Month*, 379, sq. — Scriptor, 490.
**Classes inferiores**: Observationes Commissionis 1830, 326 — P. Vasco, 328, sqq. — Nihil fixum determinari potest, 347, sq. — Provincialibus relinquitur, 348 — Nihil certum ratione persecutionum, 349.
***Claverbond, Berichten van den St.:*** Indoles et scopus, 399.
**Clemens XIV**: Ne vituperetur, 24 — moerens suppressionem concedit, 28.
**Clerc**, P. Alexius: Milites curat, 571 — Martyr occumbit, 599.
**Clorivière**, P. Petrus de: Novitiorum Magister, 42 — Superior Societatis in Gallia, 42 — Magnum videt incrementum, 42, sq. — Ejus mors, 43 — Et virtutes, 43.
**Clos**, P.: Scriptor, 484.
**Cluenense**: Collegium plaudente Hibernia erectum, 81, sq.
**Coleridge**, P. Henricus: Primus moderator periodici *The Month*, 379 — Scriptor, 489.
**Colin**, P. Elias: Scriptor, 468.
**Collegia**: In Provincia Galliae, 42 — Sufficientem fructum non ferunt ex defectu litterarum et scientiarum, 118 — Praesertim Nostrorum educationi destinata exigunt curam, 170 — Quot jam fecerunt progressus, 170, sqq. — Conspectus Collegiorum, 350, sqq. — Incrementum, 351 — Numerus, 351 — Petita non semper conceduntur, 360, sqq. et 361, in nota — Rationes negandi, 361, sq. — Congregationes Generales hac de re, 362, sq.
**Collegium**, Romanum: Nostris redditur cum templo St. Ignatii, 180, sq.
**Coloma**, P. Ludovicus: Scriptor, 487.

**Colombel**, P. Augustinus: Fundat Observatorium in Kiang-nan, 467 — Scriptor, 474.
**Colonna**, P. Joannes: Inserviens lue infectis occumbit, 559.
**Columbia**: Missio erigitur, 280.
**Comillense**: Seminarium novum, 174 — Specialiter laudatur, 360.
**Communio Generalis**: Propagatur, 518 — Indulgentiae, 518.
**Communio reparatrix**: Propagatur, 516, sq.
**Concilium Vaticanum**: Quot Vicarii Apostolici e Nostris praesentes, 133.
**Concordantia**: Biblica, 460, sq.
**Condamin**, P. Albertus: Scriptor, 461.
**Confluentiae**: Domus Provinciae Germaniae, 102.
**Congo**: Missionis erectio, 287, sq.
**Congregatio Generalis XX**: Indicta, 56 — Dilata interventione perturbatorum et deinde S. Sedis, 56, sq. — Quare, 56, sqq. — Libellus supplex, 60 — incipit Congregatio, 61, sq. — Electores, 62 — Sanatio defectuum, 62, sq. — Electio Praepositi Generalis, 63, sq. — Assistentium, 65 — Constitutiones, Decreta Congregationum Generalium, Regulas Communes et Officiorum, Rationem Studiorum, Ordinationes Generalium confirmat, 65, sq. — Commendat Studium Instituti, 66 — Solvitur, 60 — De instauranda Ratione Studiorum, 323, sq.
**Congregatio Generalis XXIII**: 134, sqq.
**Congregatio Jesuitarum**: Rogata a Francisco II, imperatore, 18 — negata a Pio VII, 18 — Quare? 18.
**Congregatio Mariana**: Erectio prima, 535 — Prima Primaria, 535, sq. — Nostri solum Moderatores, 536 — Alii Sacerdotes, 536, sq. — Prima regula, 537, sq. — Regula secunda, 537, sq. — Regula pro Prima Primaria, 538 — Regula tertia, 538, sq. — Jubilaeum tercentenarium, 539, sq. — Commendatur a Patre Anderledy, 540 — Laudatur a Leone XIII, 540, sq. — Favores, 541, sq. — Statuta Generalia, 542, sqq. — Promoventur Congregationes, 544, sqq. — Quantopere multiplicantur, 546, sqq. — Laudantur a Pio X, 549. Odio habentur et impetuntur, 218.
**Congregationes Procuratorum**: Sub regimine R. P. Roothaan, 103.
**Congregationum**: Periodica, 410 — Vindobonae, 410, sq. — Imitationes in diversis regionibus, 411 — Utilitas, 411.
**Congressus**, Congregationum: 411.
**Congressus**, Praesidum: Vindobonae, 545 — Anghii in Belgio, 545 Barcinone, 545 — Trajecti ad Mosam, 545 — Salisburgi, 545 — In Civitate Trevirensi, 546.
**Congressus**, Sodalium: Salisburgae, 545 — Vindobonae, 545 — Alt-Oetting, 545, sq. — Romae, 546.
**Consalvi**, Cardinalis: Ejus praeclarum judicium de Societate, 14, sq. — Timet aularum offensam et Comitias Vindobonenses, 22 — Tamen de restituenda Societate gavisus, 22 — In magno periculo Societati succurrit, 60, sq. — Vincit Della Genga cum suis apud Pium VII, 60, sq. — Ejus rationes, 61.
**Conspectus**: Totius Societatis (1910), 169.
**Conway**, P. Jacobus: Scriptor, 491.
**Coppens**, P. Carolus: Scriptor, 499.
**Coppens**, P. Prosper: Ex primis novis Sociis Bollandianis, 366.
**Corail**, P. Alphonsus: Concionator, 475.

**Cordara**, Julius: Scriptor historiae Societatis, 143.
**Cordis Jesu Societas**: Erectio, 10 — Incrementum, 10 — In Germania, 10 — In Austria, 10 — Adjunctio cum *Societate fidei Jesu*, 11.
**Corluy**, P. Josephus: Scriptor, 434.
**Cornely**, P. Rudolphus: Moderator periodici *Stimmen*, 382 — Incipit edere *Ergänzungshefte*, 382 — Erigit periodicum *Katholische Missionen*, 398 — Scriptor, 434.
**Cornoldi**, P. Joannes M.: Scriptor, 420.
**Cortie**, P. Aloysius: Scriptor, 485, 497.
**Conderc**, P. Joannes B.: Scriptor, 473.
**Cox Hippisley**, J.: Protestans Nostris infensus, 39.
**Cracoviense**, Collegium Maximum: Instruitur, 171.
**Cramer**, P. Gulielmus: Incipit in Neerlandia Secessus Opificum, 528.
**Creightoniana**: Universitas, 352 — Incrementum, 352.
**Crimont**, R. P. Raphael: Praefectus Apostolicus Missionis Alaskanae, 279.
**Cristaldi**, Belisarius: Recitat Bullam *Sollicitudo*, 30.
**Croatiae**, Missio: Erigitur, 167 — A Provincia Austriae dependet, 167 — Continet Croatiam, Slavoniam, 167 — Bosniam, 167 — Herzegovinam, 167 — Quae Domus et Collegia, 167 — Quot Socii, 167.
**Croatica**, *Glasnik Presvetaga*, 409.
**Cros**, P. Leonardus: Scriptor, 473 — Promovet Communionem quotidianam, 517.
**Cuchon**, P. Dionysius: Scriptor, 474.
**Culemburgum**: Residentia et Seminarium, 41 — Statio Missionis Hollandicae, 87 — Seminarium edicto regio supprimitur, 87.
**Cultus**, Sacratissimi Cordis Jesu: A Christo Societati commendatus, 506 — Quae persuasio in Alba Russia, 506 — Quid P. Roothaan, 506, sqq. — P. Beckx, 508 — Quomodo Societas cultum propagavit, 508, sq. — Qui Patres praecipui, 509 — Festum Sacratissimi Cordis, 509 — Quid hac in re Congregationes Generales, 509, sq. — Devotio mensis Junii, 510, sq.
**Curci**, P. Carolus: Ejus partes in erigendo periodico *La Civiltà Cattolica*, 368, sq. — Scriptor, 428.
**Curley**, P. Jacobus: Scriptor, 494, sq.
**Czerniewicz**, R. P. Stanislaus: Superior, 5 — Ejus obedientia, 5 — Partem Societatis servat, 5, sq. — Vicarius Generalis, 7 — Ejus devotio erga SS. Cor Jesu, 55.
**Czimmermann**, P. Stephanus: Martyr occumbit, 599.

**Dahlmann**: P. Josephus: Ex primis Missionariis in Missione Japonica, 302 — Scriptor, 459.
**D'Alès**, P. Adhémar: Scriptor, 462.
**Dalmatia**, Slavonia, Croatia: *Relazioni delle Missioni*, 396.
**Damberger**, P. Ferdinandus: Scriptor, 447.
**Daniel**, P. Carolus: Collaborat erectioni *Etudes Religieuses*, 374 — Scriptor, 470.
**De Augustinis**, P. Aemilius: Deputatus pro Studiis Theologicis, 343 — Scriptor, 418.
**De Backer**, P. Aloysius: Scriptor, 446.
**De Backer**, P. Augustinus: Scriptor, 446.
**De Batz**, P. Gasto: Martyr occumbit, 600.
**De Bengy**, P. Anatolius: Milites curat, 571 — Martyr occumbit, 599.

**De Bonniot**, P. Josephus: Scriptor, 466.
**Debrosse**, P. Robertus: Instituit *Horam Sanctam*, 516.
**Debuchy**, P. Paulus: Scriptor, 464.
**De Buck**, P. Victor: Scriptor, 447, sq.
**De Cara**, P. Caesar Antonius: Scriptor, 428.
**De Castañiza**, P. Jos. Maria: Primus Provinciae Mexicanae Praepositus, 48.
**Dechevrens**, P. Marcus: Scriptor, 467, 469.
**De Clippeleir**, P. Constantinus: Scriptor, 445.
**De Clorivière**, P. Petrus Jos.: Venerabilis, 599 — Scriptor, 459, sq.
**De Damas**, P. Amedeus: Infectis lue inservit, 567, sqq.
**De Doss**, P. Adulphus: Scriptor, 439.
**De Grandmaison**, P. Godefridus: Scriptor, 465.
**De Groot**, P. Joannes: Scriptor, 434.
**De Guilhermy**, P. Elesbanus: Scriptor, 473.
**Deharbe**, P. Josephus: Scriptor, 431.
**De Herrera**, Franciscus: Victima charitatis, 554.
**De la Broise**, P. Renatus: Scriptor, 465.
**De Lachaud**, P. Edmundus: Scriptor, 461.
**De la Croix**, P. Camillus: Scriptor, 477, sq.
**Delaporte**, P. Victor: Scriptor, 476.
**De la Servière**, P. Josephus: Scriptor, 463.
**De la Torre**, P. Josephus: Scriptor, 480, 486.
**Delattre**, P. Victor: Scriptor, 434.
**De la Vaissière**, P. Camillus: Scriptor, 473.
**Delehaye**, P. Hippolytus: Scriptor, 449.
**Della Genga**, Cardinalis: Caput coetus de dirigenda Congregatione Generali XX, 57 — Fraude deceptus, 56, sqq. — Litteras ad P. Petrucci mittit, 58, sq. — Durus erga Societatem, 61, nota — Benefactor egregius, 61, nota — Deceptus consiliis hominum turbulentorum, 180 — Electus Papa Societati amicus, 180.
**Della Somaglia**, Cardinalis: Voluntas in Societatem Fidei Jesu, 11.
**Delplace**, P. Ludovicus: Scriptor, 451.
**Delvaux**, P. Philippus: Patri Roothaan nuntiat de Missione Lusitaniae, 231, sq. — Scriptor, 475.
**De MacCarty**, P. Nicolaus: Scriptor, 475.
**Demante**, P. Henricus: Scriptor, 460.
**De Maria**, P. Michael: Scriptor, 417.
**De Moidrey**, P. Josephus: Scriptor, 467.
**Demont**, Fr. Petrus: Trucidatur, 227.
**Denis**, P. Antonius: Scriptor, 439.
**Denn**, P. Paulus: Martyr occumbit, 600.
**Depelchin**, R. P. Superior Missionis ad Zambesi, 285 — Fundator Missionis Nostrae Calcuttensis, 305, 307.
**De Ponlevoy**, P. Armandus: Scriptor, 464.
**De Ram**, Rector Magnificus Lovaniensis: *Acta Sanctorum* Belgis servat, 366.
**De Ravignan**, P. Xaverius: Scriptor, 475.
**De Raze**, P. Henricus: Scriptor, 460, sq.
**De Rochemonteix**, P. Camillus: Scriptor, 472, sq., 474 — Milites curat, 571.
**Dertusae**: Nostri aegros curant et exsulare coguntur, 219.
**De San**, P. Ludovicus: Scriptor, 432.

**De Smedt**, P. Carolus: Scriptor, 449.
**Destelbergen**, Noviciatus: Patri Fonteyne oblatus a Gobert, 40 — Ejectio, 40, sq.
**De Theux**, eques: *Acta Sanctorum*, 366.
**Detroit**, Collegium: Gaudet juribus Universitariis, 353.
**De Vico**, P. Franciscus: Scriptor, 423, 495.
**De Zayer**, 98.
**De Zeil**, P. Georgius: Concionator, 456.
**De Zuñiga**, P. Emmanuel: Provinciam Hispaniae ordinat, 47 — Magnum videt incrementum, 47 — Etiam destructionem, 48.
**Diel**, P. Joannes B.: Scriptor, 457.
**Diploma**, academicum: Laudantur Provinciales qui hoc curant, 336 — Quae Provinciae huic rei operam dederint, 336, sq. — Quae Provincia multos laureatos habet, 451.
**Diplomatica**: Approbatio Societatis, 15, sq.
**Divionensis**, Residentia: Detrahenda a Provincia Lugdunensi, 125, sq. — Difficultas, 125, sq.
***Dolemus Inter***: Breve in laudem Societatis, 140 — Quo omnia nostra privilegia restituuntur et confirmantur, 195, sq.
***Dominus ac Redemptor***: Breve, 5.
**Domus Professa**: Eriguntur tres, 168 — Qualis, 501 — Quot in antiqua Societate, 501 — In nova, 501, sq. — Quid de ea Congregationes Generales, 501, sq. — Quid Congregatio ultima (1906), 502, sq. — Quid Pius X de stipendiorum subsidiis, 503 — Quis finis Domus Professae, 503 — Domus Professa Valentina, 503, sq. — Domus Professa Vindobonensis, 504, sq. — Domus Professa Toletana, 505.
**Donat**, P. Josephus: Scriptor, 441.
**Drach**, Joannes Baptista: Praepositus Provinciae Germaniae Superioris, 69.
**Drehmans**, Mgr. Josephus: Promovet secessus opificum, 528.
**Dresda**: Statio Societatis, 41.
**Dressel**, P. Ludovicus: Scriptor, 445.
**Dreves**, P. Guido M.: Scriptor, 457.
**Drevon**, P. Victor: Propagat *Communionem reparatricem*, 516, sq.
**Drive**, P. Augustus: Scriptor, 465.
**Dublinensis**: Residentia erecta, 81.
**Dubourg**, Gulielmus: Episcopus Neo-Aurelianensis, 89 — Favet erectioni Missionis Missourianae, 89.
**Dubuisson**, P. Stephanus: Lue infectis inservit, 555.
**Ducoudray**, P. Leo: Milites curat, 571 — Martyr occumbit, 599.
**Ducreux**, P. Franciscus: Concionator, 476.
**Dudon**, P. Paulus: Scriptor, 471, sq.
**Dufau**, P. Tussanus: Scriptor, 438.
**Duhr**, P. Bernardus: Scriptor, 451.
**Dumouchel**, P. Stephanus: Scriptor, 423.
**Dunin-Borkowski**, P. Stanislaus: Scriptor, 452.
**Dupuits**, Ill. D.: Dat Nostris orphanotrophium, 314.
**Dupuy**, P. Isidorus: Leprosos curat, 578.
**Durand**, P. Alfredus: Scriptor, 461.
**Dusseldorpium**: Statio, 41 — Domus pertinens ad Provinciam Belgicam, 87.

**Ehrle**, P. Franciscus: Scriptor, 450, sq.
**Elegiae**: In Societatem extinctam, 6 et in nota 3.
**Elola**, Fr. Josephus; Trucidatur, 227 — Laudes, 229.
**Emery**: Rector Seminarii S. Sulpitii, 10.
**Episcopalis dignitas**: Pro viribus a Societate arcetur, 117, sq.

**Epistolae**, Encyclicae: R. P. Beckx, 110, sqq. — Ad Regem Sardiniae, 111, nota.
**Epping**, P. Josephus: Scriptor, 443.
**Ercolani**, Marchio: Aerarius, 31 — Decretum edit de restituendis Societati domibus ac bonis, 31.
***Espana, Cartas edificantes de la Assistencia***. 404, sq.
**Etheridge**, R. P. Joannes: Primus Assistens Angliae, 107.
**Etienne**, P. Ludovicus: Scriptor, 461.
***Etudes religieuses***: Erigitur, 374, sq. — Scopus, 375 — Suspenditur, 375 — Lugdunum migrat, 375 — Difficultates, 376 — Laus Pii IX, 377 — Iterum suspenditur, 377 — Bis in mense editur, 378.
**Executio**, Legum: Exigitur, non legislatio, 120, sq.
**Exercitia Spiritualia**: Laudata a Leone XIII, 147 — Propria Societatis, 520, sq. — Encyclica P. Roothaan, 521, sq. — Fructus, 521 — Editio P. Roothaan, 522, sq. — Bibliographia, 523.
**Exercitiorum**, Opus: Describitur et laudatur, 173.
**Eyzaguirre**, Josephus Ignatius: Fundator Collegii Pio-Latini Americani, 192.

**Facchini**, P. Titus: Concionator, 429.
**Faller**, R. P. Clemens: Dat regulam curantibus milites, 573, sqq.
**Falloux**, Lex: Libera institutionis procurandae facultas, 240, sq.
**Fargis**, P. Georgius: Scriptor, 495.
**Farina**, Fr. Antonius: Inserviens lue infectis occumbit, 559.
**Faura**, P.: Leprosos curat, 577.
**Faura**, P. Fridericus: Scriptor, 483, sq.
**Feldhaus**, P. Gulielmus: Milites curat, 572.
**Feldkirchiense**, Collegium: Incrementum, 358 — Numerus alumnorum, 358.
**Félix**, P. Josephus: Scriptor, 475.
**Fenwick**, P. Benedictus: Gaudet de restitutione, 28.
**Fenwick**, P. Henoch: Gaudet de Societate restituta, 33.
**Fenyi**, P. Julius: Scriptor, 444.
**Ferdinandus I**, Rex regni Neapolitani: Nostris benevolus, 71 — Petit centum Socios, 71, sq.
**Ferdinandus**, Dux Parmensis: Ejus erga Societatem voluntas, 13 — Rogat Jesuitas a Catherina II, 13 — A Pio VI permissum habendi Patres, 13 — Accipit, 13, sq.
**Ferdinandus VII**, Rex Hispaniae: Ejus Litterae amoris plenae erga Societatem. 44 — Gaudet de restitutione Societatis, 44 — Decreto restitutionis in Hispania subscribit, 46 — Exsecutionem curat, 46, sq. — Rogat Jesuitas ex Russia, 47.
**Fernandez**, P. Castus: Trucidatur, 227 — Laudes, 229.
**Fernandez**, P. Josephus: Trucidatur, 227 — Laudes, 229.
**Fernandez Cuevas**, P. Josephus: Scriptor, 481.
**Fernandez de Santanna**, P. Hannibal: Scriptor, 480.
**Fernandez Valladarez**, P. Bonifacius: Scriptor, 482.
**Ferrari**, R. P. Josephus: Assistens Italiae, 107.
**Ferreres**, P. Joannes B.: Scriptor, 480.
**Ferris**, P.: Leprosus curat, 577.
**Ferusola**, Scriptor, 481.
**Fidei Jesu**, Societas: Erectio, 11 — Conjunctio cum Societate Sacri Cordis, 11 — Incrementum in Germania, Hollandia, Moravia, Gallia, Anglia et Helvetia, 12 — Decrementum, 12.

***Filipinas, Cartas edificantes:*** 404.
**Fine**, R. P. Eduardus: Assistens Galliae, 149 — Scriptor, 463.
**Finetti**, P. Franciscus: Concionator, 429.
**Finlay**, P. Thomas: Scriptor, 489.
**Finn**, P. Franciscus: Scriptor, 499.
**Fischer**, P. Josephus: Scriptor, 452, sq.
**Fita**, P. Fidelis: Scriptor, 487.
**Flandrica**: *Bode van het H. Hart*, 408.
**Flandrin**, P. Joannes B.: Scriptor, 461.
**Florissant**: Prima Statio in Missione Missouriana, 90 — Dependet a Missione Marylandiae, 90 — Fit independens, 90 — Incrementum, 90, sq.
**Flunk**, P. Mathias: Scriptor, 436.
**Foglini**, P. Jacobus: Scriptor, 424.
**Foley**, Fr. Henricus: Scriptor, 492.
**Fonck**, P. Leopoldus: Primus rector Pontificii Instituti Biblici, 354 — Scriptor, 435.
**Fonteyne**, P. Henricus: Superior Missionis Neerlandicae et Belgicae, 40.
**Fordham**: Universitas 352 — Numerus discipulorum, 352.
**Fortis**, R. P. Aloysius: Eligitur, 63 — Gratus Pio VII, 63 — Omnibus, 63, sq. — Friderico, Principi Hassiae, 64, sq. — Ejus vita, 65, sqq. — Gratissimus Principi Saxoniae, 67 — Regimen, 67, sqq. — Provincias erigit, 67, sqq. — Mors, 73 — Provinciae tunc, 9 — Missiones, 2, 73 — Ejus Laus, 73 — Non cum perpetua pace Societatem gubernat, 221 — Juventus in Europa Missio nostra est, 273, sq. — Recognitio Rationis Studiorum, 324, sq.
**Fouqueray**, P. Henricus: Scriptor, 471.
***Fourvière Lettres de:*** 401 — Iterum, 402.
**Franciae**, Provincia: Provincia erigitur, 92 — Numerus Domorum et Sociorum, 92 — Missiones, 92 — Foedus suffragiorum, 92, sq. — Dividitur in Provincias Franciae et Campaniae, 124, sqq. — Numerus Sociorum et Domorum, 124 — In divisione non Domus, sed Dioeceses nominantur, 125 — Missiones, 125 — Numerus Domorum et Sociorum, 126 — Foedus suffragiorum cum Sociis Campaniae, 126.
**Franciosi**, P. Xaverius: Scriptor, 465.
**Franciscus I**, Imperator Austriae: Nostros benigne tractat, 70, sq. — Decretum in favorem edit, 71.
**Franciscus II**, Imperator: Ejus voluntas erga Societatem, 38.
**Franciscus Josephus**, Imperator: Sinit denuo aperiri Collegia, 241.
**Franco**, P. Joannes Jos.: Scriptor, 427.
**Franco**, P. Secundus: Scriptor, 429.
**Franco-muratores**, Dolent de restitutione Societatis, 36, sq. — Consilia ineunt contra Societatem, 37 — Praesertim in Polonia, 37.
**Franzelin**, Cardinalis S. J.: Laudatur a Leone XIII, 199, sq. — Scriptor, 431.
**Freddi**, R. P. Rogerius: Assistens Italiae, 141 — Narrat morbum et mortem R. P. Martin, 148 — Designatur Vicarius Generalis, 148, sq.
**Frequens Communio**: Quomodo propagatur, 517 — Etiam quotidiana, 517 — In Collegiis, 517 — Pius X, 517 — Decretum, 517, sq.
**Friburgense**: Tyrocinium, 68.
**Fridericus II**: Borussiae rex, 5 — Societatem aliquo tempore servat, 5 — Quare, 321.

**Fridericus**, Dux Hassiae: Familiari amicitia conjunctus cum Patre Fortis, 67.
**Frins**, P. Victor: Scriptor, 432.
**Froc**, P. Aloysius: Scriptor, 467.

**Gagarin**, P. Joannes: Collaborat erectioni *Etudes Religieuses*, 374.
**Gaillard**, P. Aloysius: Scriptor, 478.
**Galeffi**, Cardinalis: Membrum coetus ad Congregationem Generalem XX dirigendam instituti, 58.
**Galiciae**, Provincia formatur, 69, sqq. — Provincia Societatis, 96 — Laudatur propter reformationem Ordinis S. Basilii, 204 — Nostri calumniantur, 240 — Collegia dissolvuntur, 240 — *Nasce Wiadomosci*, 400 — *Missye katolickie*, 400.
**Galitzine**, Princeps: Paulatim Nostros adversatur, 49 — Ob conversionem nepotis sui, 50.
**Galle**, Missio: Ad Provinciam Belgicam pertinet, 309 — Erigitur in dioecesim, 309.
**Gallia**: Societas vexatur, 217, sq. — Missiones impediuntur, 218 — Congregationes supprimuntur, 218 — Persecutio 1828, 222 — Etiam 1830, 222, sq. — Nostri conjurationis insimulantur, 235 — Tentant inimici, ut Domus claudantur, 236 — Aliquae Domus clauduntur, 236 — Viri insignes Societatem defendunt, 235, sq. — Universitas, Collegia, 359 — Historia Collegiorum, 359 — Numerus alumnorum, 359.
**Galliae**: Provincia erecta, 43 — Dividitur, 92 — Provinciae tres: Crescunt, strenue laborant etiam in Missionibus, 115 — Laudantur, 172.
**Gallica**, Assistentia: *Chen Simpao*, Zi-ka-wei, 409 — *Messager*, Tananarive, 409 — Tamul, *Sesounaderudeva*, 409.
**Gallicae**, Provinciae (1880): Leges de instructione a Senatu rejiciuntur, 257 — Vindictam sumit Gubernium duobus decretis, 257 — Contra Jesuitas, 257, sq. — Defenditur Societas, 258 — Nostri partim ex Gallia recedunt, partim disperguntur, 259 — Caritas inter Nostros, 259 — Eos R. P. Beckx solatur et confortat, 259 sqq. — Paulatim vix non omnes in Galliam redeunt, 261, sq. — Persecutio recrudescit, 262 — Lex iniqua Waldeck-Rousseau, 262, sq. — Nostri potestatem non petunt, 263, sq. — Declaratio superiorum publicata, 264 — Quae laudatur, 264, sq. — Ex Gallia partim recedunt, partim disperguntur, 265 — Domus nonnullae conservatae, 265.
**Gallwey**, P. Petrus: Scriptor, 490.
**Gambetta**, Leo: Societatis inimicus, 257, sqq.
**Gandae**, in Belgio (1826): Initium habetur Domus Professae, 68.
**Gandulfo**, Josephus: Benefactor Societatis, 554.
**Gangolti**, P. Laurentius: Scriptor, 483.
**Gantois**, P. Leo: Scriptor, 461.
**Garcia**, P. Josephus: Scriptor, 482.
**Garcia Moreno**: Petit e Societate magistros, 139 — Missiones curat et Collegia condit, 280.
**Garcia**, P. Ramon: Scriptor, 480.
***Garde d'honneur du Sacré Cœur***: 515, sq. — Ubi condita, 516.
**Garnier**, Fr. Josephus: Trucidatur, 227.
**Garofalo**, P. Vincentius: Deputatus ad accommodandam Rationem Studiorum, 326.
**Garrucci**, P. Raphael: Scriptor, 421.

**Gatterer**, P. Michael: Scriptor, 455, sq.

**Gautrelet**, P. Franciscus Xav.: Scriptor, 462. — Erigit *Apostolatum Orationis*, 511.

***Gemert, Lettres de***: 402.

**Génicot**, P. Eduardus: Scriptor, 436.

**Georgipolitanum**, Collegium: Accipit facultatem dandi gradus academicos, 184 — Universitas, 351 — Fundatio, 351 — Incrementum et numerus discipulorum, 351 — Praesides Statuum Foederatorum, 351.

**Gerard**, P. Joannes: Moderator periodici *The Month*, 380 — Scriptor, 493.

**Germaniae**, Assistentia: Collegia et Convictus, 356, sqq.

**Germaniae**, Provincia: Nomen Germaniae accipit, 102 — Numerus Domorum, 102, sq. — Augetur, bene operatur, sed ab instructione juventutis excluditur, 115 — Prosperatur, 251 — Missiones populares, 251 — Minae contra Jesuitas, 251 — Leges contra Nostros, 251, sq. — Etiam ordines Jesuitis affines, 252 — In Neerlandiam, Angliam et Americam se recipiunt, 252 — Epistola encyclica R. P. Beckx, 252, sq. — *Gesammelte Nachrichten*, 397 — *Mittheilungen*, 397.

**Germaniae Superioris** Provincia: Erecta, 68 — Rationes, 68 — Praepositus nominatur, 69 — Provincia non prosperata, 101, sq. — Dispersa, 102 — Nulla jam Domus, 102 — Migrat tota in Germaniam, 102 — Insignis Missionum popularium successus, 102.

**Germaniae Superioris et Inferioris**: Provincia extitit per duos annos, 102.

**Germanica**: *Sendbote*, 408 — The *Messenger for India*, 409.

**Germanicum**, Collegium: Historia, 355 — Novae aedes, 355 — Quot et quales alumni, 355 — Studiis superioribus Scripturae S. et juris can. incumbere valent, 355, sq.

**Gietmann**, P. Gerardus: Scriptor, 435, 458.

**Gil**, R. P. Emmanuel: Assistens Hispaniae, 107 — Deputatus ad accommodandam Rationem Studiorum, 326.

**Ginebra**, P. Franciscus: Scriptor, 481.

**Ginhac**, P. Paulus: Venerabilis, 599.

**Gioberti**, Vincentius: Scriptis suis Societatem calumniatur, 94 — Vaticinatur alteram suppressionem, 237 — Scribit libellum: *Il Gesuita moderno*, 238 — Obstitit rabiei in Jesuitas, 239.

**Gioja**, R. P. Josephus: Primus Praepositus Provinciae Venetae, 94.

**Giorgi**, P. Vincentius: Procurator Generalis R. P. Th. Brzozowski, 54.

**Gloriot**, P. Carolus: Ex primis in Provincia Galliae, 42 — Concionator, 476.

**Gloriot**, P. Josephus: Infectis lue inservit, 567, sq.

**Glover**, R. P. Thomas: Substitutus-Assistens Hispaniae, 75.

**Godfroy**, P. Eusebius: Collaborat erectioni *Etudes Religieuses*, 374.

**Godinot**, P. Nicolaus: Primus Praepositus Vice-Provinciae Helveticae, 68 — Rationis Studiorum restauratio, 324, sq.

**Goetz**, P. Edmundus: Scriptor, 498.

**Gogorza**, Fr. Vincentius: Trucidatur, 228.

**Goldie**, P. Franciscus: Scriptor, 494.

**Gomez Rodeles**, P. Caecilius: Scriptor, 481, 486.

**Graecium**: Tyrocinium fundatur, 95 — Domus invaditur, 239.
**Granderath**, P. Theodorus: Scriptor, 448.
**Grandidier**, R. P. Franciscus: Assistens Galliae, 141.
**Granero**, P. Joannes: Scriptor, 485.
**Grassi**, P. Joannes: Rem Societatis in Anglia Romae defendit, 39 — Vice-Praepositus Provinciae Taurinensis, 84.
**Gratiarum Actio**, Pro restituta Societate: Deo oblata, 33 — Pio VII, 34.
**Gratulatoriae Litterae**: De restitutione innumerae oblatae Pio VII, 35.
**Gratus animus**: erga Pium VII, 34.
***Gravissime Nos***, Breve: A Pio X commendatur, 149 — Breve de studiis Superioribus, 201.
**Gregoriana**, Universitas: Habet cursum superiorem juris canonici, 170 — In Collegio Romano, 353, sq. — Historia, 353, sq. — Numerus discipulorum, 354.
**Gregorius XIII**: Approbat Congregationem B. M. V., 535.
**Gregorius XVI**: Collegio Georgiopolitano dat facultatem conferendi gradus academicos, 184 — Inaugurat Collegium Illyricum Laureti, 184 — Collegium Urbanum Nostris tradit gubernandum, 185 — Collegio Romano conceditur erectio cathedrae juris canonici, 185 — Collegium Firmanum, 196 — Collegium Camertinum, 186 — Imaginem S. Mariae Majoris ad templum Salvatoris Jesu deferendam curat, 186, 562, sq.
**Grévy**, Julius: Societatis inimicus, 257, sqq.
**Grisar**, P. Hartmannus: Scriptor, 451.
**Grivel**, de, Fidelis: Visitator in Hiberniam missus, 82.
**Grossi**, P. Hercules: Concionator, 429.
**Grossi Gondi**, P. Felix: Scriptor, 422.
**Gruber**, P. Gabriel: Praepositus Generalis, 16 — Curat restaurationem extra Russiam, 16 — P. Angiolini mittit Romam, 16 — Neapolim, 16, sq. — Accipit Breve *Per alias*, 17 — Gratias agit Pio VII, 17 — Ejus prudentia in admittendis Gallis, 42.
**Guatemala**: Missio erigitur, 282.
**Guggenberger**, P. Antonius: Scriptor, 453.
**Guibert**, Cardinalis: Accipit Breve de effreni libertate scribendi, 193, sq.
**Guidée**, P. Achilleus: Ex primis in Provincia Galliae, 42 — Primus Praepositus Provinciae Franciae, 92 — Orat tempore invasionis Collegii S. Acholei, 222 — Scriptor, 470.
**Guizot**, minister: Nostris inimicus, 236 — *Acta Sanctorum* in Galliam transferre cupit, 366.
**Gulielmus I**, Hollandiae Rex: Nostris infensus, 40, sq. — Nostros expellit e Novitiatu et ex aedibus Episcopi, 216.
**Gurhemium**: Tirocinium, 102.
**Gury**, P. Petrus: Scriptor, 463.
**Guyana Brittanica**: Missio erigitur, 280 — Pertinet ad Provinciam Angliae, 280.
**Guyon**, P. Claudius: Concionator, 476.

**Habeisch**, P. Alphonsus: Martyr occumbit, 599.
**Habib Maksoud**, Fr.: Martyr occumbit, 599.
**Hagen**, P. Joannes: Scriptor, 443, 495.
**Hagen**, P. Martinus: Scriptor, 435.
**Hammerstein**, P. Ludovicus von: Scriptor, 433.

**Hamon**, P. Aemilius: Scriptor, 472.
**Hamy**, P. Alfredus: Scriptor, 478 — Milites curat, 571.
**Harper**, P. Thomas: Scriptor, 489, sq.
**Hasslacher**, P. Petrus: Concionator, 456.
**Hattler**, P. Franciscus: Scriptor, 438.
**Hauer**, de, Franciscus, Gubernator Galiciae et Sadomiriae: Nostris valde benevolus, 67, sq.
**Havret**, P. Henricus: Scriptor, 478.
**Hayes**, R. P. Jacobus: Assistens Angliae, 149.
**Haynald**, Cardinalis: Benefactor, 444.
**Hedrick**, P. Joannes T.: Scriptor, 495.
**Helvetia**: Missionis incrementum, 41 — Vice-Provincia erigitur, 67 — Decretum erectionis, 67, sq. — Rationes, 68 — Incrementum, 68 — Persecutio contra Societatem, 217 — Nostri expelluntur, 233 — Vexantur in Civitate Sionensi, 233, sq. — Lucernam vocantur, 234 — Expelluntur, 234 — Collegium expilatur, 234.
**Heralt**, Fr. Ferdinandus: Peste infectis inservit, 555.
**Heynes**, Ill. Dom.: Condit Missionem Guyanae Brittanicae, 280.
**Hibernia**, Missionarii mittuntur a Patribus Laynez, Borgia et Aquaviva, 81 — Missio 81 — Erectio et interitus, 81 — Nova erectio, 81 — Formatio Missionariorum 81 — Incrementum, 81, sqq. — Vice-Provincia, 83 — In Provinciam erigitur, 121, sq. — Numerus Sociorum et Domorum, 121, sq. — Novitiatus et Junioratus, formandi Magistri, 171.
**Hildeshemia**: Statio Societatis, 41.
**Hilgers**, P. Josephus: Scriptor, 434.
**Hillegeer**, P. Jodocus: Scriptor, 438.
**Hispania**, Erigitur prima Provincia, 47 — Persecutio 1820, 48 — Dividitur in Provincias Aragonensem et Castellanam, 122, sqq. — Numerus Domorum et Sociorum, 122, sq. — Missiones, 123, sq. — Primo Societas cum gaudio recipitur, 218 — Mox expellitur, 219 — Redeunt Nostri 1824, 219 — Collegia erigunt, 219 — Societas crescit, laborat, sed ab instructione arcetur, 115 — Nostri dire impetuntur, 226 — Novae vexationes, 242 — Incipit persecutio, 247 — Domus invadundur, 247 — Decretum in Nostros, 247, sq. — Expelluntur, 248 — In Galliam se recipiunt, 248 — Consolatio ex multitudine candidatorum, 248.
**Hispaniae**, Assistentia: Lycaea, Collegia et Convictus, 359, sq. — Numerus disciplinorum, 360.
**Hispanica**: *Mensagero*, Bilbao, 409 — *Mensagero*, Bogotà, 409 — *Mensagero*, Mexico, 409.
**Historia**, Societatis: Ut continuetur postulat Congregatio XXI, 414 — Incepta jubente Patre Martin, 143, sq. — Progreditur, 173.
**Hoang**, P. Petrus: Scriptor, 478.
**Hoevel**, R. P. Gaspar: Assistens Germaniae, 135.
**Hogan**, P. Edmundus: Scriptor, 494.
**Honduras**, 280, sq. — Pertinet ad Provinciam Missourianam, 280.
**Hontheim**, P. Josephus: Scriptor, 441.
**Hora Sancta**, Qualis sit, 516 — Ubi et quando orta, 516 — Privilegia, 516.
**Howell**, P. Josephus: Scriptor, 495.
**Hughes**, P. Thomas: Scriptor, 499.
**Hummelauer**, P. Franciscus von: Scriptor, 434, sq.
**Humphrey**, P. Gulielmus: Scriptor, 490, sq.

**Hungarica**, Provincia: Erectio, 167, sq. — Qui fines, 167 — Numerus Sociorum, 167 — Decretum, 167, sq. — *Jesus Szenteges*, 408.
**Hunter**, P. Sylvester: Scriptor, 488.
**Huonder**, P. Antonius: Scriptor, 452.
**Hurter**, P. Hugo: Scriptor, 433.
**Huyghe**, P. Carolus: Scriptor, 436.

**Ignatius**, S.: Ejus regula servetur in Hispania, 44 — Patres Salmeron et Broët in Hiberniam mittit, 81.
**India**: Clades Missionum, 302, sq. — Damna a Lusitanis illata, 303 — Nostri expelluntur, 303. — Iterum Sodales mittit Gregorius XVI, 303.
**India Orientalis**, Neerlandica: Missio erigitur, 291 — Pertinet ad clerum saecularem, 291, sq. — Invitantur Nostri, 292 — Gubernium satis benevolum, 292 — Progressus, 292 — Scholae, 292 — Conversio Mahometanorum, 292, sq. — Missionarii dirigunt periodicum *Java Post*, 292 — Pertinet Missio ad Provinciam Neerlandicam, 292, sq.
**Institutum P. Biblicum** (vide Biblicum): Collocari poterunt biennistae, 170 — Satisfacit Romano Pontifici, 174.
**Institutum**, Societatis Jesu: Denuo editum, 195, sqq. — Prodit, 197.
**Instructores**, Tertiae Probationis: Promoveant studium Instituti nostri, 66.
***Irish Province Memorials***, 405.
**Irvine**, P. Carolus: Erigit Observatorium Stonyhurstense, 495.
**Isorè**, P. Remigius: Martyr occumbit, 600.
**Italia**: Ante restitutionem et post vexata Societas, 220 — Persecutio in Nostros, 223, sq. — Nostri vexantur, 236, sq. — Sustentantur a P. Roothaan, 237, sq. — Omnes disperguntur, et expelluntur, 238, sq. — Pater Roothaan exulat, 239. — Nova persecutio, 242, sq. — In Tuscia, 242, sq. — In Septentrione, 242 — In Sicilia et Napoli, 243 — Collegia fere omnia dispersa et bona erepta, 243.
**Italiae**, Assistentia: Universitas, Institutum P. Biblicum, Collegia et Convictus; 350, 353, sqq.
**Italica**: *L'Apostolato della preghiera*, 408.

**Jackowski**, R. P. Henricus: Cui multum Leo XIII fidit, 202 — Scriptor, 439.
**Jamaica**: Missio Nostrorum, 279.
**Japonia**: Missio et Institutum Studiorum Superiorum a Pio X commendatur, 149 — A Sancta Sede commissa, 169 — Nulli certae Provinciae adscripta, 169 — Lente procedit, 169 — Domus, 169 — Initia modesta dant spem, 169 — Fundatur Institutum Studiorum Superiorum, 302 — Primi Patres, 302.
**Jaume**, Fr. Damianus: Leprosos curat, 577.
***Java Post***: Periodicum hebdomadarium, 412.
**Jean**, P. Augustus: Scriptor, 474.
**Jeanjacquot**, P. Petrus: Scriptor, 461, 465.
***Jersey, Lettres de***: 401.
**Jocas**, R. P. Josephus de: Praepositus Provinciae Lugdunensis, 101.
**Jonckbloet**, P. Godefridus: Scriptor, 459.
**Jones**, P. Arturus E.: Scriptor, 499.
**Jones**, R. P. Jacobus: Assistens Angliae, 141.
**Jordan**, Fr. Franciscus: Peste infectis inservit, 555.

**Josephinismus**: In Tuscia, 38 — in Austria, 38.
**Josephus II**, Imperator: Supprimit *Acta Sanctorum*, 365.
**Jounès**, P. Elias: Martyr occumbuit, 599.
**Jubilaeum**, Tercentenarium Congregationis: Favores, 539.
**Judge**, P.: Missionarius in Klondyke, 279.
**Jullien**, P. Michael: Scriptor, 474.
**Jungmann**, P. Josephus: Scriptor, 455.

**Kandy**: Seminarium regionale, 309 — Erectum a Leone XIII, 309 — Gubernatur a Sociis Provinciae Belgicae, 309, sq. — Incrementum et fructus, 310.
**Kane**, P. Robertus: Concionator, 492.
**Kareu**, R. P. Franciscus Xaverius: Vicarius Generalis, 16 — Accipit Breve *Catholicae Fidei*, 16 — Praepositus Generalis, 16 — moritur, 16.
***Katholieke Missiën***: Ad alios devenerunt, 399.
**Keller**, R. P. Josephus: Assistens Angliae, 135.
**Kelly**, Ill. Dominus: Testimonium de Leone XIII, 206.
**Kenney**, P. Petrus: Romae erectionem Vice-Provinciae Hiberniae tractat, 83 — Primus Praepositus Vice-Provinciae, 83, sq. nota — Visitator in Missione Statuum Foederatorum, 88 — Destinatur Sedi Drummoranae, 183.
**Ketterer**, P. Laurentius: Concionator, 456.
**Kirch**, P. Conradus: Scriptor, 448.
**Kleutgen**, P. Josephus: Scriptor, 431.
**Klondyke**: Missio erigitur, 279.
**Knabenbauer**, P. Josephus: Scriptor, 434.
**Kneller**, P. Carolus: Scriptor, 452.
**Kohlmann**, P. Antonius: Destinatur Sedi Neo-Eboracensi, 183.
**Koolhaas**, Aegidus: Parochus, 42.
**Korgar**: Pauperrimi Indorum, 307.
**Kramers**, P. Joannes: Scriptor, 445, 485.
**Kreiten**, P. Gulielmus: Scriptor, 457.
**Krytberg**: Residentia Provinciae Neerlandiae, 97, sqq. — Ubi P. Roothaan adolescens Missae inserviebat, 97.
**Kugler**, P. Franciscus Xav.: Scriptor, 443.
**Kwango**: Nostris tribuitur, 287 — Orphanotrophia, 287, sq. — Difficultates, 288 — Calumniae inimicorum, 288 — Pertinet ad Provinciam Belgicam, 288.

***La Civiltà Cattolica***: Erigitur, 368, sq. — Primus moderator, 369 — Primi scriptores, 369 — Celerrima propagatio, 369, sq. — Difficultates, 369 — Laudes Pii IX, 370, sq. — Leonis XIII, 372, sq. — Immaculata Conceptio, 370 — Syllabus, 370 — Infallibilitas Romani Pontificis, 371, sq. — Collegium Scriptorum, 370, sq.
**Lafont**, P. Eugenius: Fundat Observatorium Calcuttense, 445.
**Lahousse**, P. Gustavus: Scriptor, 433.
**Lammens**, P. Henricus: Scriptor, 460.
**Landes**, R. P. Aloysius: Agit cum Imperatore Austriae, 70 — Assistens Germaniae, 74.
**Landuni**, P. Julius A.: In officio Capellani militaris obit, 569, sq.
**Languillat** P. Adrianus: Vicarius Apostolicus Tcheu-li, 299.
**Lapôtre**, P. Arthurus: Scriptor, 472.
**Laurentius**, P. Josephus: Scriptor, 437.
***Laval, Lettres de***: 400, sq.

**Lavantinus**, Novitiatus: Transfertur Vindobonam, 171.
**Lavigerie**, Cardinalis: Scholas curat in Syria, 312.
**Lavigne**, Ill. D.: Episcopus Trincomali, 309.
**Lawrence**, P.: Scriptor, 479.
**Laynez**, R. P. Jacobus: Ejus sapientia, 106.
**Le Bachelet**, P. Xaverius M.: Scriptor, 463.
**Leblanc**, P. Petrus Carolus: De Societate Sacri Cordis, 19.
**Lebreton**, P. Julius: Scriptor, 462.
**Leccense**: Seminarium regionale, 174.
**Lechien**, P. Julius: Incipit in Belgio secessus opificum, 526, 529.
**Lecina**, P. Marianus: Scriptor, 486.
**Ledóchowski**, R. P. Wlodimirus: Praepositus Provinciae Galicianae, 202, sq. — Assistens Germaniae, 149.
**Lehmen**, P. Alphonsus: Scriptor, 441.
**Lehmkuhl**, P. Augustinus: Scriptor, 436.
**Lenkiewicz**, R. P. Gabriel: Vicarius Generalis, 10.
**Lentaigne**; R. P. Josephus: Praepositus Vice-Provinciae Hiberniae, 121.
**Leo XII**: Reddit Societati Collegium Romanum, 180, sq. — Templum S. Ignatii, 181 — Oratorium *Caravita*, 131 — Aedes Tiburtinas pro Collegio Nobilium, 181 — Palatium Borromaeum, 181 — Collegium Umbrum dat Germanicis, 181 — Non erat accomodatum, 181, sq. — Collegium Spoletinum, 182 — Celebrem Bullam *Plura inter*, 182 — Auxit reditus Collegii Beneventini, 182 — Declarat Bullam *Sollicitudo* in favorem Provinciae Angliae, 182, sq. — Nepotes instruendos tradit Nostris, 183 — Nostros magni aestimat, 183.
**Leo XIII**: Consolatur R. P. Martin, 145 — Affectus erga Societatem, 193 — Laudat Praepositos Generales saeculi XIX, 193 — Universitati Berythi favet, 193 — R. P. Anderledy omnem habet fidem, 193 — Dat Breve *Dolemus inter*, 195, sqq. — Tres Sodales ad honores Sanctorum evehit, 198 — Ad Patrem Anderledy egregium habet sermonem, 198, sqq. — Tutatur Lycaeum Quebecense, 200, sq. — Dat Constitutionem *Gravissime Nos*, 201 — Nostris tradit Institutum Leoninum, 201, sq. — Confidit Nostris familiam Basilianorum, 202, sqq. — Peramanter accipit R. P. Martin, 204, sq. — Societatem laudat coram Moderatrice Sororum a Sacro Corde, 205 — Solatur R. P. Martin, 205, sq. — Petit a Deo vocationem ad Societatem Jesu, 206 — Seminarium Copticum erigit, 315 — Nominat Missionem Armeniae suam, 315, sq. — Laudat *Secessum opificum*, 527.
**Leodiense**, Collegium: Numerus alumnorum, 357.
**Leodium**: Convictus D. de Stas Societatis curae committitur, 8, sq.
**Leonardi**, P. Sigismundus: Concionator, 429.
**Leopoldus II**, Belgarum Rex: Nostros rogat pro Missione Congolensi, 287.
**Leopolis**: Convictus, 70.
**Leroy**, P. Hippolytus: Scriptor, 461.
**Lesurre**, Vicarius Generalis: Nostros Gandae defendit, 41.
***Letters and Notices***: 405.
**Libellus** obsequii: Erga Pium IX, 187.
**Libellus supplex**: Eo rogatur restauratio Societatis, 20 — Nomine

Praepositi Generalis Pontifici porrigitur, 20, sq. — Responsio Pii VII, 21.

**Liberatore**, P. Matthaeus; Scriptor, 420.

**Lievens**, P. Constantinus: Celeber Missionarius, 308, sq.

**Lintelo**, P. Julius: Promovet Communionem quotidianam, 517.

**Lithuania**: Societas servatur, 5.

**Litta**: Legatus in Russia, 15, sq. — Bullam restitutionis primam adumbrat, 23 — Rejectam videt, 24, sq. — Rem Societatis contra Anglos defendit, 39, sq.

**Litterae aedificantes**: Historia, 392, sqq. — Indoles, 393, sqq. — Longa series, 395, sqq. — Describuntur, 393, sqq. — Instructio, 393, sqq.

**Litterae annuae**: Historia, 393, sq. — Primum *quadrimestres*, 393 — *semestres*, 393.

**Lizarzarburu**, Ill. D. Josephus: Martyr occumbit, 600.

**Lo Bengula**, Matabelarum Rex: Missioni non favet, 285 — Postea Nostros magistros petit, 286.

**Lohmann**, P. Joannes B.: Scriptor, 439.

**Lomüller**, P. Victor: Martyr occumbit, 600.

**Longhaye**, P. Georgius: Scriptor, 476.

**Longhitano**, P. Franc. Salesius: Scriptor, 424.

**Loriquet**, P. Joannes: Deputatus ad accommodandam Rationem Studiorum, 326 — Scriptor, 470.

**Loyolae**: Habetur Congregatio Provincialis, 123 — Postulatur divisio Provinciae Hispaniae, 123 — Congregatio Generalis, 141.

**Lucas**, P. Herbertus: Scriptor, 493.

**Lucernensis Senatus**: Societatis Collegia restituere recusat, 37.

**Ludovicus XVIII**, Galliae Rex: Nostris indifferens, 42.

**Lugdunensis**: Provincia erigitur, 92 — Numerus Domorum et Sociorum, 92 — Foedus suffragiorum, 92, sq. — Missiones, 92 — Provincia dividitur, 100 — Numerus Sociorum et Domorum, 100 — Missiones, 100, sq.

**Lupiae** (Lecce): Collegium (1828) refectum, 73.

**Lusitania**: Initium restituendae Societatis, 115, sq. — Patres Collegium Macaocense dirigunt, 116 — Provincia erigitur, 129, sqq. — Decretum, 130 — Saeculo durante non extitit, 130 — Numerus Sociorum et Domorum, 131, sq. — Incrementum, 132 — Nostri expelluntur, 220, sq. — Sepulturae honores tribuunt Marchioni Pombal, 231, sq. — Fugiunt in Angliam et Italiam, 232 — Alii in carceres S. Sebastiani conjiciuntur, 232 — Demum in Italiam profecti sunt, 232 — Provincia Lusitana floret, 266 — Missiones, 266 — In Brasilia petuntur operarii, 266 — Associatio *Fides et Patria*, 267 — Campolidense Collegium, 267, sq. — Praedium Val de Rosal, 268 — Residentia Catobrigensis, 268 — Collegium Barrense, 268 — Collegium Sancti Fidelis, 268 — Nostrorum animus, 269 — In carceribus, 267, 269 — Missiones operariis auctae, 270 — Nostri in persecutione beati, 270, sq. — *Mensageiro*, 408.

**Luxemburgensis**, Domus Scriptorum: Unitur cum Collegio Maximo Valkenburgensi, 171.

**Lyonnard**, P. Joannes: Instituit sodalitium Cordis Jesu in agonia facti, 517.

**Maas**, P. Antonius: Scriptor, 492.

**MacCann**, P. Henricus: Scriptor, 495.

**Mach**, P. Josephus: Scriptor, 480.
**Machado**, P. Franciscus: Scriptor, 482.
**Madagascar**: Missio erigitur, 288, sq. — Difficultates, 289 — Protestantes, 289 — Progressus Missionis, 289, sq. — Divisio, 290 — Intermedia pars pertinet ad Provinciam Tolosanam, et ad Provinciam Campaniae, 290 — Meridionalis ad Lazaristas, 280 — Septentrionalis ad Patres S. Spiritus, 290 — *Lettres sur la Mission*, 401.
**Madagascar-Bourbon**: Missio Provinciae Tolosanae, 101.
**Madurensis**, Missio: Erigitur, 303 — Difficultates, 304 — Mors Missionariorum, 304 — Pertinet ad Provinciam Tolosanam, 304 — Complectitur Dioecesim Trichinopolitanam, 307 — Magnum incrementum, 307.
**Maher**, P. Michael: Scriptor, 489.
**Mai**, Angelus, Cardinalis: Scriptor, 424.
**Maillard**, R. P. Ludovicus: Praepositus Provinciae Tolosanae, 101.
**Maistre**, de, Josephus: Nostrorum ejectionem e Petropoli dolet, 50 — Laudat Societatem, 50.
**Mancini**, P. Stanislaus: Scriptor, 424.
**Manera**, P. Franciscus: Deputatus ad accommodandam Rationem Studiorum, 326.
**Manfredini**, P. Josephus: Sub P. Roothaan Societatis Secretarius, 76 — Indolem P. Roothaan describit, 76, sqq. — Scriptor, 419.
**Mangalorensis**, Missio: Erectio, 305 — Ad Provinciam Venetam spectat, 305, sq. — Erigitur in Dioecesim, 306, sq. — Magnum incrementum, 307 — Missio apud Korgar, 307.
**Mangin**, P. Ignatius: Martyr occumbit, 600.
**Manilense**, Collegium: Societati restituitur, 213 — Athenaeum: Numerus discipulorum, 360.
**Marathi**: *Niropya*, 409.
**Marca**, Franciscus X.: Benefactor Societatis, 554.
**Marchi**, P. Josephus: Scriptor, 421, sq.
**Maria Carolina**, Regina: Ejus erga Societatem voluntas, 16, sq.
***Maria-Laach*, *Stimmen aus***, 103 — Collegium Provinciae Germaniae, 103.
**Maria Ludovica Borbonica**: Neptis Caroli III, Regis Hispaniae, 30 — Assistit publicationi Bullae *Sollicitudo*, 30.
**Maria Theresia**: Imperatrix, 365 — In tutum ponit *Acta Sanctorum*, 365.
**Mariae Majoris**, S. Imago: Portatur in Templum Farnesianum, 186.
**Mariae Purissimum Cor**: Cultus, 518 — *Messager*, 518 — Epistola Patris Roothaan, 518, sq. — Festum, 519 — Congregatio Generalis XXIII, 519, sq.
**Mariamettae**: Congregatio Sororum, 312.
**Marinowicz**, P. Josephus: S. Poenitentiariae theologus, 32 — Testamento Societatem juvat, 32.
**Marotti**, Josephus: Pii VI et VII Secretarius, 7 — Antea Jesuita, 7 — Ejus epistola ad legatum Litta, 15, sq.
**Marquette**: Universitas, 352 — Incrementum, 352, sq.
**Marquez**, P. Petrus Josephus: Insigni nomine vir, 48.
**Martin**, P. Arthurus: Scriptor, 477.
**Martin**, P. Félix: Scriptor, 474.

**Martin**, R. P. Ludovicus: Vicarius Generalis, 140 — Fortitudo, 140 — Convocat Congregationem Generalem, 140 — Eligitur, 141 — Rogatur, ut si fieri potest, Romam remigret, 141 — Vita et Virtutes, 142, sq. — Visitat Galliam, Angliam, Hiberniam, Belgium, Neerlandiam, Germaniam, Italiam, 143 — Primo Faesulis, deinde Romae residet, 143 — Promovet scriptionem Historiae Societatis, 143, sq. — Dolor de vexationibus Societatis, 144, sq. — Consolationem accipit a Leone XIII, 145 — Epistolae encyclicae, 145, sqq. — Morbus, 148 — Mors, 148 — Laudes, 148 — Leoni XIII carus, 204, sq. — Ab eo solationem accipit, 205, sq. — Peramanter a Pio X tractatur, 207, sq. — Instructio de *Litteris aedificantibus*, 393, sqq.

**Martindale**, P. Cyrillus C.: Scriptor, 494.

**Martinov**, P. Joannes: Scriptor, 470.

**Marylandia**: Missio a Missouriana separata, 88 — Provinciae erectio praeparatur, 88 — R. P. Roothaan erectionem decernit, 88, sq. — Incrementum, 89 — Bellis intestinis exponitur, sed utriusque partis admirationem et favorem sibi procurat, 116 — Eximitur a privilegiis de Procuratoribus non mittendis, 141.

**Marylandiae**, Provincia: Praeparatur Collegium Maximum in Civitate Neo-Eboracensi, 172.

**Masella**, Cardinalis: Vocatione ad Societatem se indignum reputat, 205.

**Massa**, P. Ludovicus: Martyr occumbit, 599.

**Massimo**, Collegium: Alumni, 356.

**Matagne**, P. Julius: Scriptor, 448.

**Matritum** (1834): Strages Nostrorum in Collegio Imperiali, 226, sqq. — Sacrilegia et flagitia, 228, sq. — Judicium de trucidatis, 229.

**Mattei**, Alexander, Cardinalis: Societatem fortiter defendit, 26.

**Matthijs**, P. Angelus: Testimonium de R. P. Beckx, 109.

**Mauritius**, Insula: Missio Nostrorum, 290.

**Maximilianus**, ab Este: Archidux Austriae, 96 — Ordinis Teutonici Supremus Magister, 96 — Fundat Collegium Linciense, 96, 239.

**Mazzella**, Cardinalis Camillus: Laudatur a Leone XIII, 199 — Deputatus pro Studiis Theologicis, 343 — Scriptor, 417.

**McSwiney**, P. Jacobus: Scriptor, 488.

**Méchineau**, P. Lucianus: Scriptor, 461.

**Mella**, P. Camillus Arborius: Scriptor, 420.

**Mendive**, P. Josephus: Deputatus pro Studiis Theologicis, 343 — Scriptor, 479, 481.

**Mercier**, P. Victor: Scriptor, 471.

**Mercurianus**, R. P. Everardus: Ejus prudentia, 106.

**Merino**, P. Balthasar: Scriptor, 482.

**Meschler**, R. P. Mauritius: Assistens Germaniae, 141 — Scriptor, 439, sq.

***Messager Canadien***: Montreal, 409.

***Messager du Cœur de Jésus***: Erectio, 407, sq. — Scopus, 407, sq.

**Messerati**, P. Antonius: Tendit Parmam, 13.

**Messerati**: P. Franciscus: Parmae familiariter usus est Patre Fortis, 66.

**Metternich**, Princeps de: Ejus epitola gratulatoria ad R. P. Beckx, 110.

**Meurin**, Ill. D.: Vicarius Apostolicus Bombayensis, 305.

**Mexicana** Provincia: Erigitur, 48 —

Dispersa, 48 — Parva et multis omnino agitatur difficultatibus, 117 — Difficultates, 155 — Numerus Sociorum, 155 — Incrementum, 156 — Jure Provinciarum regitur, 156.

**Meyer**, P. Theodorus: Scriptor, 441.

**Michael**, Lusitaniae Princeps: Nostris favet et Societatem restituit, 230, sq.

**Michael**, P. Aemilius: Scriptor, 451, sq.

**Michel**, P. Ludovicus: Scriptor, 473.

**Migazzi**, Cardinalis: Testatur de Societate, 553.

**Milites**: Curarunt Nostri Gallipoli, 567, sqq. — Ambiani, 569 — In civitate Argentinensi, 569 — Metis, 569 — In civitate Acheolana, 570 — Parisiis, 570, sq. — Münchengrätz, 572 — Königgrätz, 573 — Saarbrücken, 574 — Sedan et Metis, 575, et in toto bello, 1870-1871, 573, sqq.

**Milleriot**, P. Ludovicus: Concionator, 475.

**Millet**, P. Jacobus: Scriptor, 463, sq.

**Milltown Park**: Domus Exercitiorum et Tirocinium, 121 — Novitios Italos recipit, 121.

**Milner**, Vicarius Apostolicus: Nostrorum in Anglia amicus, 39.

***Mindanao, Cartas de los Padres***: 404.

**Minini**, P. Ferdinandus: Ejus testimonium de Patre Roothaan, 74 — Concionator, 429.

**Minteguiaga**, P.: Scriptor, 481.

**Mislei**, P. Geminianus: Scriptor, 420.

**Missae inservire**: Quantum est officium, 97.

***Missionen, Die katholischen***: Erigitur, 398 — Fundator, 398 — Moderator, 398.

**Missiones**, exterae: Ingentes ferunt fructus, 118 — Spiritu bono gaudent, 118, sq. — Laudatur spiritus apostolicus et zelus, 172, sq.

**Missiones**, internae: Laudantur, 173.

**Missiones**, populares: in Germania, 456.

***Missions Belges***: Erigitur, 399 — Indoles, 399.

**Missouri**: Missio erigitur, 89 — Dilatatur, 89, sq. — Incrementum, 90 — Collegium et Novitiatus, 90, sq. — Missio a Marylandiana separata, 88 — Vice-Provincia praeparatur, 91 — Erectio petitur, 91 — Erigitur, 91, sq. — Decretum, 91, sq. — Primus Praepositus nominatur, 91 — Numerus Sociorum, 91 — Provincia erigitur, 91 Decretum, 91 — Incrementum, 91, sq. — Eximitur a privilegiis de Procuratoribus non mittendis, 141.

***Mittheilungen aus der Deutschen Provinz***: Erigitur, 397 — Indoles, 397.

**Moentilan**: Collegium inchoatum, 358.

**Moguntia**: Domus Provinciae Germaniae, 102.

**Mohileviense Collegium**: Primum e Russia ejicitur, 51.

***Mold, Lettres de***, 401.

**Monasterii**, Domus Probationis et Residentia: Erigitur, 102.

**Montalembert**, Comes: Strenue Nostros defendit, 235, sq.

**Montauto**, P. Albertus de: Fabula de longaevitate, 30, nota — Non assistit publicationi Bullae, 30, nota — Jam diu ante mortuus est, ibidem.

**Montes Saxosi**, Missio: Fundatio, 160 — Historia, 160 — Pertinet ad Provinciam Taurinensem, 160 — Jungitur Missioni Californiae, 161 — Incrementum, 161.

***Month, The:*** Erectio, 379 — Mutationes, 379, sq. — Propagatio, 379, sq. — Celebres auctores, 380. Moderatores, 379, sq.

***Monthly, The Irish:*** Erigitur, 386 — Indoles, 386.

***Monti Sassosi, Varie Lettere,*** 395.

***Monumenta Historica S. J.:*** Ut edi pergerent, voluit R. P. Martin, 144.

**Monzon**, P. Augustinus: Vice-Praepositus Domus Professae, Assistens P. Fortis, 65.

**Moravia**: Stationes quatuor ad Provinciam Galiciae pertinent, 311.

**Morawski**, P. Stanislaus: Primus moderator periodici *Przeglad*, 388 — Professor in Universitate Jagellonica Cravoviae, 388, sq. — Scriptor, 432.

**Morbus pestilens**: Assisterunt Nostri: Dertusae, 555 — In America, 555, sq. — In Lusitania, 556 — Panormi, 557, sqq. — Romae, 561, sqq. — Veronae, 564 — Brixiae, 564 — Regii Lepidi, 564 — Mutinae, 564 — In Gallia, 564, sqq. — Aquis Sextiis, 566 — Massiliae, 566 — Neo-Aureliae, 566, sq. — Gallipoli, 567, sqq. — In Philippinis, 578 — In Brasilia, 578 — In Armenia, 578 — In Syria, 578 — Berythi, 578 — Caesareae, 578 — Aleppi, 578 — Homs, 578 — Tokat, 578.

**Morcelli**, P. Antonius: Scriptor, 426.

**Morel**, P. Andreas L.: Victima charitatis, 554.

**Morris**, P. Joannes: Scriptor, 490.

**Moscoso**, P. Aemilius: Martyr occumbit, 599.

**Mozzi**, P. Ludovicus: Procurator Generalis R. P. Thaddaei Brzozowski, 54.

**Muckermann**, P. Hermanus: Scriptor, 494.

**Mulder**, P. Henricus: Scriptor, 439.

**Mullan**, P. Elder: Scriptor, 499.

**Müller**, P. Adulphus: Scriptor, 423, 444.

**Müller**, P. Augustus: Fundator instituti leprosorum, 307 — Leprosos curat, 578.

**Muncunill**, P. Joannes: Scriptor, 479.

**Munoz**, Fr.: Ejus fortitudo, 228.

**Murciense**: Collegium pro theologis, 172.

**Murillo**, P. Linus: Scriptor, 480.

**Murphy**, P. Dionysius: Scriptor, 492.

**Mury**, P. Paulus: Scriptor, 474.

**Museum Bollandianum**: Bibliotheca, 368 — Aula studiorum, 368.

**Myarte**, P. Cosmas: Scriptor, 482.

**Mycielski**, P. Michael: Reformat Ordinem S. Basilii, 203.

***Nachrichten aus der Oesterreichisch-Hung. Provinz***, 398.

**Namurcum**: Collegium erigitur, 87.

**Napoleon**, Imperator: Ex Ilva insula redux Societati inimicus, 218.

**Narbone**, P. Alexius: Scriptor, 426.

**Narychkine**: Concubina Imperatoris ad bonam frugem convertitur, 50 — Causa, quare Imperator Nostros abhorrere incipiat, 50.

**Neale**, P. Carolus: Superior Missionis Americanae septentrionalis, 89 — Cogitat de dimittendis Novitiis, 89 — Quare, 89 — Sinit eos proficisci ad Indos, 89, sq.

**Neapolitana**: Provincia reviviscit, 71, sq. — Convictus Nobilium restauratur, 73 — *Lettere edificanti,* 396.

**Neerlandia**: Vice-Provincia erigitur, 97, sq. — Incrementum, 98 — Decretum, 98, sq. — Ad gradum Provinciae erigitur, 99 — Incrementum, 99 — Strenue laborat, 115 — Multos habet Magistros lau-

reatos, 171 — Collegium Maximum in votis, 171 — Vexatur Societas et expellitur, 216.
**Neerlandica**: *Maandrozen*, 408.
**Neo-Aurelianensis**, Missio: Fundatio, 159 — Historia, 159 — Incrementum, 159 — Erectio, 159, sq. — Novus Praepositus Provinciae, 160 — Collegium, 172 — Gaudet juribus Universitariis, 353.
**Neo-Eboracensis**, Missio: Valde laudatur, 116.
**Neo-Eboracum**: Nostri omnigena caritatis opera in nosocomiis praestant, 577.
**Neomagense**, Collegium: Numerus alumnorum, 358.
**Nicaragua**: Missio, 282.
**Nicot**, P. Victor: Scriptor, 498.
**Nilles**, P. Nicolaus: Scriptor, 437.
**Nisius**, P. Joannes: Scriptor, 436.
**Nivigella**: Tyrocinium erigitur, 87.
**Noldin**, P. Hieronymus: Scriptor, 436.
**Nonell**, P. Jacobus: Scriptor, 487.
**Numerus Sociorum**: Ad mortem R. P. Roothaan, 103 — Incrementum sub regimine R. P. Martin, 177.

**Observatoria**: In Collegio Romano, 423 — In monte Janicolo, 423 — Melitae, 423, sq. — Kalocsense, 444 — Valkenbergense, 444, sq. — Calcuttense, 445 — Zi-ka-wei, 467 — Zo-se, 467 — La-ka-pang, 467 Tananarive, 468 — Jersey, 469 — Belen (Cubae), 482 — Manilense, 483 — Dertusanum, 484 — Cartuja, 485 — Saltillo, 485 — Georgiolitanum, 494 — Stonyhurstense, 495 — Clevelandiae, 497 — Creightonianum, 497 — Sanctae Clarae, 498 — Buluwayo, 498.
**Odenbach**, P. Fridericus: Scriptor, 497.
**Odescalchi**, Cardinalis Vicarius: Societatem ingreditur, 31.
**Odessa** (1804): Missiones, 272.
**Odium Societatis**: Adhuc vivebat, ubique, praesertim Romae, 23.
**Oenipontum**: Collegium Theresianum Nobilium, 96 — Collegium et Convictus, 96 — Collegium Maximum: Laudatur, 170 — Convictus: Trecentis theologis destinatur, 170 — Numerus Convictorum Theologorum, 356.
**Ojetti**, P. Benedictus: Scriptor, 419.
**Oliveira**, Comitissa de: Filios Nostris instituendos tradit, 230.
***Ona, Cartas de***: 404.
**Opera Caritatis**: Erga milites, 151, sq. — Pertinent ad Societatem, 553 — Semper exercita, 553 — Etiam post restitutionem, 553, sqq. — Quod historia probat, 554, sqq.
**O'Reilly**, P. Edmundus: Scriptor, 488.
**Ostaloza**, Fr. Emmanuel: Trucidatur, 227, sq.
**Oswald**, P. Augustinus: Scriptor, 437.
**Otten**, P. Bernardus: Scriptor, 492.
**Oxoniensis**: Aula Beati Edmundi, 171 — Collegium Maximum praeparatur, 171.

**Pacca**, Cardinalis: Testimonium de Societate, 9 — Restaurationem Societatis desiderat, 21, sq. — Bullam parandam curat, 22, sq. — Et domos instruendas, 23 — Ejus retractatio de Societate, 32, nota.
**Paccanari**, Nicolaus: Fundator Societatis Fidei Jesu, 11 — Successus, 11, sq. — Venit in Hagenbrunn, 11 — Superior conjunctae Congregationis, 11, sq. — Non bona fama, 12.
**Paccanarismus**: Metus inanis in populo, in Aula Pontificia, 57, sq.
**Paccanaristae**: Apud aliquos aversati, 58.

**Pachtler**, P. Michael: Primus moderator periodici *Stimmen*, 382 — Scriptor, 448.
**Paderbornae**: Domus Tertiae Probationis, 102.
**Pailloux**, P. Franciscus Xav.: Scriptor, 477.
**Palatium**, Borromaeum: Nostris traditur, 181.
**Palladino**, P. Laurentius: Scriptor, 499.
**Palmieri**, P. Dominicus: Scriptor, 417.
**Pancaldi**, Diaconus: In perturbanda Societate socius ipsius Rezzi, 57, sqq. — Ejicitur e Societate, 61, nota.
**Panizzoni**, P. Aloysius: Tendit Parmam, 13 — Scribit Libellum supplicem, 20, sq. — Porrigit Pio VII, 20, sq. — Ejus vita, 20, nota — Loco R. Patris Brzozowki accipit Bullam *Sollicitudo*, 29, sq. — Romae Superior, 31 — Parmae familiariter usus est Patre Fortis, 66.
**Panormus**: Collegium Maximum, 350.
**Pantel**, Josephus: Scriptor, 469.
**Parabère**, P. Ludovicus: Infectis lue inservit, 567, sqq.
**Paraguaria**: Missio Nostrorum, 281.
**Paria**, P. Josephus: Scriptor, 427.
**Parma**: Societas in ditione Parmensi, 13, sq.
**Paroeciae**: Iis Nostri in Galicia inserviunt, 71.
**Passaglia**, P. Carolus: Scriptor, 416.
**Pastells**, P. Paulus: Scriptor, 487.
**Pastore**, P. Januarius: Martyr occumbit, 599.
**Patavinus**, Convictus: Universitatis Patavinae, 174, 356.
**Patiss**, P. Georgius: Scriptor, 455.
**Patouillard**, P. Philippus: Admittitur ante 1814, 42.
**Patrizi**, P. Fr. Xaverius: Scriptor, 419.
**Paulus I**, Imperator Russiae: Petit confirmationem Societatis in Alba Russia, 16.
**Pavani**, R. P. Vincentius: Assistens Italiae, 74 — Vicarius Generalis, 73, sq. — Praepositus Provinciae Italiae, 77.
**Peeters**, Joannes Baptista: Magister R. P. Beckx, 108.
**Peeters**, P. Paulus: Scriptor, 449.
**Pellico**, R. P. Franciscus: A sacris ad Aulam Sardiniae, 77 — Assistens Italiae, 77 — Ejus reverentia erga R. P. Roothaan, 77.
**Perez**, P. Raphael: Scriptor, 487.
**Perger**, P. Augustus: Scriptor, 455.
**Periodica**, Congregationum: 544.
**Periodica**, Praesidum Congregationum: 544.
**Perkowski**, P. Confessarius Narychkine, 50.
**Perrone**, P. Joannes: Scriptor, 416.
**Perry**, P. Stephanus: Scriptor, 496, sq.
**Persecutiones**: Missionarios augent, 276, sq.
**Peruana**, Missio: Pertinet ad Provinciam Toletanam, 280.
**Perugu**, P. Raymundus: Leprosos curat, 577.
**Pesch**, P. Christianus: Scriptor, 433.
**Pesch**, P. Henricus: Scriptor, 442.
**Pesch**, P. Tilmannus: Scriptor, 440.
**Pessato**, P. Aloysius: Concionator, 429.
**Peters**, P. Theodorus: Leprosos curat, 578.
**Pétillon**, P. Corentinus: Scriptor, 478.
**Petit**, P. Adulphus: Scriptor, 440 — Promovet *Secessus clausos*, 525.
***Petite correspondance***: Periodicum Apostolatus Orationis, 407.
**Petropolis**: Nostri (1815) ejiciuntur, 50 — Abducuntur Polocum,

50 — Societas expellitur, 215 — Quae rationes, 215.

**Petrucci**, R. P. Marianus: Vicarius Generalis, 54 sqq. — Ejus vita, 54, sq. — Non perspicax, 54, sq. — Pietas, 55 — Devotio erga SS. Cor, 55 — Mirus agendi modus quoad Congregationem Generalem, 57, sqq. — Deponitur, 63 — Mors, 63 nota.

**Petrus**, Lusitaniae Princeps: Nostros expellit, 232.

**Peultier**, P. Eugenius: Scriptor, 461.

**Pey**, Joannes: Canonicus Parisiensis, 10.

**Pfister**, P. Aloysius: Scriptor, 474.

**Pfülf**, P. Otto: Scriptor, 452.

**Philippinae**, Insulae: Missio erigitur, 293 — Magna libertas, 293 — Difficultates a piratis, 293 — Specula meteorologica, 293 — Reductiones, 293 — Clades ex bello infausto, 293, sq. — Missio pertinet ad Provinciam Aragonensem, 294.

**Philosophia**: Observationes Commissionis 1830, 326 — Biennium vel triennium pro Nostris, 338, sq. — Quae propositiones tradendae non sint, 340 — Ordinatio P. Beckx, 339, sq. — Scientiae naturales, 339, sq. — Adm. R. P. Noster, 347.

**Pianciani**, P. Joannes Baptista: Scriptor, 424.

**Piccirillo**, P. Josephus M.: Scriptor, 491.

**Piérart**, P. Aemilius: Architecta, 477.

**Pierik**, P. Rudolphus: Scriptor, 438.

**Pierling**, R. P. Jacobus; Vice-Provincialis pro Galicia, 96 — Vicarius Generalis, 105 — Allocutio ad Congregatos Patres, 105, sq. — Assistens Germaniae, 107.

**Pierling**, P. Paulus: Scriptor, 472.

**Pietro**, Michael di, Cardinalis: Adumbrat secundo Bullam Restitutionis, 25, sq. — Vult restitutionem juxta modum, 25, sq.

**Pietroboni**, P. Ignatius: Praepositus Provinciae Italiae, 61 — Deceptus, 57 — Pertinax, 61 — Deponitur, 63 — Restituitur, 63 nota.

**Pignatelli**, Ven. P. Josephus: Tractat restaurationem Neapoli, 16 — Procurator Generalis R. P. Th. Brzozowski, 54 — Amicitia intime conjunctus Patri Fortis, 66 — Societatem amat et fortiter defendit, 220, sq. — Mors, 221.

**Pio-Latinum**, Collegium Americanum: Quot Alumni, 355.

**Piolet**, P. Joannes B.: Scriptor, 474.

**Pius VI**: Ejus in Societatem voluntas, 7 — Vivae vocis oraculum, 7 — Suadet Ferdinando, duci Parmensi, ut instaurationem in Hispania obtineat, 14 — Sub hac conditione vult restaurare Societatem in Patrimonio Petri, 14.

**Pio VII**: Electio, 15 — Erga Societatem voluntas, 15 — Approbatio diplomatica Societatis, 15 — Confirmatio Societatis in Alba Russia, 16 — In regno Neapolitano, 16, sq. — Breve *Per alias* propria manu exarat, 17 — Parisios proficiscitur, 17 — Romam revertitur, 18 — Proprio motu Societatem restituit, 21 — Indicat diem, 21 — Dicit esse eamdem Societatem, quae erat ante suppressionem, 21 — In juventute Societati adversus, 22 — Ejus indoles, 25 — Prudentia in restituenda Societate, 25, sq. — Ejus consolatio de restituta Societate, 36 — Scribit ad Consalvi de odio malorum erga restitutam Socie-

tatem, 36 — Ejus epistola amoris plena erga Societatem, 44, sqq. — Decretum Congregationis XX incipiendae, 61 — Erga Societatem amor, 177, sq. — Laudat Societatem, 178 — Et R. P. Thaddaeum Brzozowski, 178, sq. — Franciscum de Hieronymo ad Beatorum honores evehit, 179 — Non solum restituit Societatem, sed eam semper sustentat, 179, sq. — Societatem ad Collegia erigenda hortatur, 322.

**Pius VIII**: Ejus erga Nostros benevolentia, 183 — Allocutio, 183 — Visitat templum Farnesianum, 184 — Collegiis Nobilium et Germanico-Hungarico multum favet, 184.

**Pius IX**: Quot Sanctos et Beatos Societatis ad altarium honores evexerit, 133 — Vicissitudines gaudii et doloris Societati cum Ecclesia communes esse dicit, 241 — Relatio cum R. P. Roothaan; 186 — Mendacia et calumniae, 186, sq. — Libellus obsequii Pio IX a Provinciarum Procuratoribus oblatus, 187, sq. — Laudat R. P. Roothaan, 188 — Benigne recipit Nostros e Sicilia ejectos, 189 — Ejus jubilaeum Sacerdotale, 190 — Factis suum amorem ostendit, 190 — Sodales 77 ad Beatorum et Sanctorum honores evehit, 190 — Dat Collegium et Convictum Tiphernatem, 190 — Collegium Veliternum, 190 — Collegium Senogallicae situm, 190, sq. — Collegium erigit Ephemeridis *La Civiltà Cattolica*, 191, sq. — Collegium Pio-Latinum Americanum, 192.

**Pius X**: Ejus postulata duo in Congregatione Generali XXV, 149 — Patres Congregationis Generalis XXV recipit, 150 — R. P. Wernz gratulatur de Opere *De jure Decretalium*, 152, sq. — Jam ante electionem Nostris valde affectus, 206 — De eo judicium Fratris Coadjutoris, 206 — Cum speciali affectu Nostris Venetiis degentibus scribit, 206, sq. — R. P. Martin benignissime recipit, 207 — Aegrotanti P. Generali compatitur, 207, sq. — Convalescentem peramanter tractat, 208 — Mortuum laudat, 208 — A. R. P. Wernz cum Patribus Congregatis amanter recipit ac confortat, 208, sq. — P. Generali amicissimo modo gratulatur, 210 — Munificentissimus Pontifex Societati Pontificium Institutum Biblicum committit, 210, sqq. — Villam in civitate Sublacensi sitam, 212 — Institutum subsidiarium Biblicum in urbe Jerosolymitana, 212 — Collegium Manilense Societati restituit, 213 — P. Ludovicum Billot ad Cardinalatum promovet, 213 — Promovet Communionem quotidianam, 517, sq. — Praescribit Sacerdotibus Urbis Exercitia, 524 — Laudat secessus opificum 531, sq. 532 — Congregationes, 548, sq.

**Planchet**, R. P. Delegatus Apostolicus, 311 — Episcopus Mossoul, 312 — Martyr occumbit, 599.

**Plater**, P. Carolus D.: Scriptor, 499, sq.

**Platzer**, P. Josephus: Martyr occumbit, 599.

**Poland**, P. Gulielmus: Scriptor, 492.

**Polidori**, P. Julius Caesar: Primus Praepositus Provinciae Taurinensis, 85 — Non favet nomini: Provincia Subalpina, 85.

**Pollen**, P. Joannes: Scriptor, 492, sq.

**Polonica**: *Poslaniec Serca*, 408.

**Pombal**, Marchio: Ejus leges contra Societatem, 43 — Sepulchro caret, 231 — A Nostris anniversarium pro anima ejus agitur, 231, sq.
**Poncelet**, P. Albertus: Scriptor, 449.
**Poniatowski**, Josephus, Sacerdos: Nostris benevolus, 70.
**Pons**, P. Franciscus: Scriptor, 482.
**Populus Romanus**: Gaudet de restitutione, 29 — Luget de suppressione, 31, sq.
**Portalié**, P. Eugenius: Scriptor, 462.
***Poyanne, Cartas de***, 404
**Pradas**, Fr.: Leprosos curat, 577.
**Pradier**, P. Hippolytus: Scriptor, 465.
**Praepositus Generalis**: Qualis esse debeat, 153, sq.
***Praesides-Correspondenz***: Erigitur, 411.
**Prat**, P. Ferdinandus: Scriptor, 462, sq.
**Prat**, P. Joannes M.: Scriptor, 470, sq.
***Précis historiques***: Erectio, 373 — Primus Moderator, 373 — Propagatio, 373, sq. — Convertitur in *Missions Belges*, 374.
**Previti**, P. Aloysius: Concionator, 429.
**Prima primaria**, Congregatio: Erectio, 535 — Qualis sit, 535, sq. — Ad nostros redit, 536.
**Prinzen** Gulielmus: Promovet secessus opificum, 528.
**Privilegia**, Societatis Jesu: Denuo confirmata, 196.
**Professio**: Dubium de validitate in Russia et Sicilia, 58.
**Propylaeum**: Novembris ad *Acta Sanctorum*, 368.
**Protestantes**: Contra Societatem in Anglia, 39, sq. — In Hollandia, 40, sq.
**Provenzali**, P. Franc. Xaverius: Scriptor, 424.
***Przeglad Powszechny***: Periodicum erigitur, 388 — Primi scriptores, 388 — Difficultates, 388 — Propagatio, 388, sq.
**Puerto-Montt**: Laborant Patres Germani, 281.
**Purissimum Mariae Cor**: Nostros servat, 563 — Officium et Missam Nostri accipiunt, 563.

**Quebecense**, Lycaeum: a Leone XIII honoratur, 200, sq.

**Raczynski**, Pater: Libros 8000 mittit, quibus bibliotheca Polocensis ditatur, 32.
**Rademaker**, P. Carolus: Fundator Provinciae Lusitanae, 130, sq. — Ejus vita et merita, 130, sq. et nota 3.
**Ragazzini**, P. Petrus: Scriptor, 427.
**Rambuteau**, Comes de: Nostros ex Helvetia pellere conatur, 217 — Qui obstiterunt, 217.
**Ramière**, P. Henricus: Scriptor, 461, sq., 464 — Propagat *Apostolatum Orationis*, 511 — Libris, 511, sq. — *Nuntio Cordis Jesu*, 512, sqq. — Petit summum gradum liturgiae pro festo Cordis Jesu, 514 — Consecrationem Cordi Jesu, 514 — Fit consecratio, 514, sq. — Accipit gratulationes, 515 — Laborat pro Templo Montmartre, 515.
**Ranke**, Leopoldus: Testimonium de Societate, 9.
***Ratio Studiorum***: Laudata, 321, sq. — Temperata pro Russia, 322, sq. — Congregatio XX, 323, sq. — Recognitio incepta a Patre Fortis, 324, sq. — Denuo a Patre Roothaan, 325, sqq. — Congregatio XXI, 326 — Deputatio instituta, 326 — Commentarii, 327, sq. —

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Commentarius Patris Vasco, 328, sqq. — Coetus habitus Brugellette, 329, sq. — In Italia, 331, — Studia theologica, 332, sq. — R. P. Beckx, 333, sqq. — Epistola ad comitem Thun, 334, sq. — Congregatio XXII, 333, sqq. — Humaniora, 335 sqq. — Congregatio XXV, 335, sqq. — Congregatio XXII: De Philosophia et Theologia, 338, sqq. — Congregatio XXIII, 341, sqq. — Epistola P. Beckx. 342, sq. — Deputatio couvocata, 343, sqq. — Congregatio XXIV, 345, sq. — Congregatio XXV, 346, sqq. — Quare Provincialibus commissum, ut approbante Generali, pro sua quisque Provincia providerent, 348.

**Ravignan**, P. Xaverius de: Orator in Congregatione Generali, XXII, 107 — Tentat Collegium S. Acholei defendere, 222, sq. — Vulgat libellum: *De l'existence* etc., 235.

***Razon y Fe***: Erectio, 389 — Offertur Leoni XIII, 389 — Responsio Pontificis, 389 — Laudatur, 390 — Propagatio, 390.

**Reales**, Scholae: Judicium Congregationis XXII, 337 — Judicium Congregationis XXV, 337, sq.

***Recherches de Science Religieuse***: Erigitur, 379.

**Recollectiones**, Opificum: 529, sq.

**Regnault**, P. Aemilius: Scriptor, 465, 471.

**Régnon**, P. Theodorus: Scriptor, 462.

**Regout**, Robertus: Promovet secessus opificum, 528.

**Regula**: Primigenia S. Ignatii, 26 — Appellatio non admittitur, 26.

**Regula**, Provincialis: De tempore pestis, 554 — Magistri Novitiorum, 554.

***Relations d'Orient***: Series triplex, 402.

**Remiges**: Experti et validi Sodales Societatis, 27 — Ideo remis incumbere debent, 78.

**Renault**, P. Franciscus: Primus Praepositus Provinciae Lugdunensis, 92 — Scriptor, 464.

**Residentiae**, independentes: 504 sq., — Quid sint, 505 — Dependentes, 505 — quid sint, 505, sq.

**Restitutio Societatis**: A Principibus debet proficisci, 18, sq. — Praeparatur via in fere omnibus regionibus, 19 — Praesertim in Hispania, 19, sq.

**Réunion**, Insula: Missio Nostrorum, 290.

**Reynal**, P. Josephus: Scriptor, 482.

**Rezzi**, P. Ludovicus: Congregationum Indicis et Rituum consultor, 57 — Perturbator, 57, sq. — Decipit Della Genga, Cardinalem, R. P. Petrucci, P. Pietroboni, S. Sedem, 57, sqq. — Ejicitur e Societate, 61, nota.

**Ricards**, Illustr. D.: Nostros ad Zambesi Superiorem vocat, 285.

**Ricasoli**, Comes: Florentiae hospitio recipit R. P. Beckx, 255.

**Ricci**, R. P. Laurentius: Devotio ejus erga SS. Corda Jesu et Mariae, 55.

**Ricci**, P. Ludovicus: Inserviens lue infectis occumbit, 559.

**Richard**, P. Ludovicus: Scriptor, 479.

**Rickaby**, P. Joannes: Scriptor, 489.

**Rickaby**, P. Josephus: Scriptor, 488, sq.

**Riess**, P. Florianus: Praeparat erectionem periodici *Stimmen*, 381 — Dat periodico nomen, 381.

**Rigge**, P. Gulielmus: Scriptor, 495, 497.

**Rigge**, P. Josephus: Scriptor, 497.

**Rinieri**, P. Hilarius: Scriptor, 425.

**Riswick**, P. Petrus: Concionator, 456.

**Rivière**, P. Hernestus: Scriptor, 474.

**Roblet**, P. Desideratus: Scriptor, 468.

**Rockliff**, P. Jacobus: Ex primis Missionariis in Missione Japonica, 302.

**Roder**, C. S. Cl. Vir: In ejus domo Novitiatus Canadensis instruitur, 157.

**Roder**, P. Georgius: Concionator, 454.

**Roh**, P. Petrus: Praeclarus Orator, 138, 453, sq.

**Roma**: Laetitia de futura restitutione, 25.

**Romana**: Provincia nimis extensa, 93 — Pedemontani intrant in urbem, 248 — Applicantur leges antea latae, 249 — Solatur suos R. P. Beckx, 249 — Eripiuntur templa et ipsum Collegium Romanum, 253 — Ne una quidem Domus, sicut aliis Ordinibus, Nostris relinquitur, 254 — R. P. Beckx proficiscitur Faesulas, 254 — Refert filiis in universa orbe spoliationem in Urbe factam, 254, sq.

**Romana**, Provincia: *Lettere edificanti*, 395.

**Romano**, P. Josephus: Scriptor, 421.

**Romanum**, Collegium: Cathedra juris canonici, 185.

**Roothaan**, R. P. Joannes: Epistola *De amore Societatis*, 8, 221 — Testimonium de amore Societatis, 33 — Ejus iter e Russia in Italiam, 52, sq. — Electio, 74 — Secundus Societatis fundator, 74 — Ejus Assistentes, 74, sq. — Vita et virtutes, 75, sqq. — Doctor Theologiae, 76 — Rector Collegii Taurinensis, 77 — Vice-Provincialis Italiae, 77 — Epistolae, 79, sq. — Erectae Provinciae, 80, sqq. — Exsul, 104, sq. — Mors, 105 — Erigit Vice-Provinciam Hiberniae, 81, sqq. — Provinciam Taurinensem, 84, sqq. — Provinciam Belgicam, 85, sqq. — Provinciam Marylandiae, 87, sqq. — Vice-Provinciam Missourianam, 89, sqq. — Provinciam Lugdunensem, 92 — Provinciam Franciae, 92 — Provinciam Venetam, 93, sqq. — Austriacam, 95, sqq. — Neerlandicam, 97, sqq. — Tolosanam, 100, sq. — Germanicam, 100, sqq. — Alter Job, 104 — Exsul per Europam, 104, sq. — Relatio ad Pium IX, a quo post mortem laudatur, 105 — Convocat Congregationem Generalem, 105 — Quare, 105 — Mors, 105 — Ejus fidelitas, 106 — Relationes ad Pium IX, 186 — Secrete mittit Visitatorem ad Nostros in Italia vexatos, 224 — Mittit epistolam encyclicam *De Tribulationibus*, 224, sq. — Auctore Pontifice consulit, ut aliquae Domus claudantur, 236 — Epistola *De Missionum exterarum desiderio*, 274, sq. — Quomodo respondit Societas, 276 — Quot Missiones tempore ejus electionis, 277 — Quot hodie, 277 — *Ratio Studiorum*, 325, sqq. — Promovet usum Exercitiorum Spiritualium 521, sqq. — Lue infectos curat, 561, sqq. — Imaginem S. Mariae Majoris cum honore recipit, 562 — Orphanos recipit ad S. Stefano Rotondo, 563, sq.

**Rosa**, P. Henricus: Scriptor, 421.

**Rosas**, Dictator: Permittit fidem praedicari, 281 — Prohibet Reductiones, 281 — Moritur, 281.

**Rossi**, Peregrinus: Fraudes erga Societatem, 236.

**Roure**, P. Lucianus: Scriptor, 466.

**Rozaven**, P. Joannes Ludovicus: Societatis Sacri Cordis et Fidei Jesu, 11, sq. — Nomen dat Socie-

tati Jesu, 12 — Ejus judicium de Paccanari, 12 — Scribit libellum supplicem ad Cardinalem Consalvi, 60, sq. — Miratur Providentiam divinam, 61 — Vice-Praepositus Provinciae Galliae, Assistens P. Fortis, 65, 74 — De electione Leonis XII, 180 — Scriptor, 466.

**Rubillon**, R. P. Ambrosius: Assistens Galliae, 107.

**Ruedas**, Fr. Joannes: Trucidatur, 227.

**Ruffo Scilla**, Ill. Ludovicus: Laudat R. P. Beckx, 137.

**Ruiz**, Fr. Raymundus: Peste infectis inservit, 555.

**Ruiz Amado**, P. Raymundus: Scriptor, 487, sq.

**Rumbeke**: Novitiatus (1815) in Belgio, 40.

**Russell**, P. Matthaeus: Moderator periodici *The Irish Monthly*, 386 — Scriptor, 490.

**Russia**: Societatem ejicit, 49 — Quare, 49, sq., 51, sq. — Quo facto Providentia Societati renascenti favet, 216.

**Russo**, P. Nicolaus: Scriptor, 491.

**Rutheni**, Episcopi: Gratias agunt Societati, 202, sq.

**Ryllo**, R. P. Maximilianus: Intrepidus Missionarius, 317, sq. — Vita, 317, sq. — Deceptus, 317, sq. — Iter in Kartoum, 318 — Inde ad tribus Nigritarum, 318 — Moritur, 318.

**Sabetti**, P. Aloysius: Scriptor, 418.

**Sacrum Collegium**: Ejus sententia de restitutione Societatis non rogata, 22.

**Sagrini**, P. Tiberius: Scriptor, 428.

**Saint Arnaud**, Mareschalcus: Lue occumbit, 568.

**Salgari**, P. Ignatius: Patriarchae confessarius, 206.

**Salis Seevis**, P. Franciscus: Scriptor, 421.

**Salmanticense**, Collegium: Numerus alumnorum, 360.

**Salmeron**, P. Jacobus Mittitur a S. Ignatio in Hiberniam, 81.

**Sancho**, Fr. Josephus: Trucidatur, 227.

**Sancho**, P. Sebastianus: In vincula conjicitur, 226.

**Sancta Sedes**: De Missionibus exteris satisfacta, 117.

**Sancti et Beati**: Societatis sub regimine R. P. Martin ad altarium honores evecti, 145.

**San Francisco**, Universitas: Terraemotu destruitur, 353 nota.

**Sanguineti**, P. Sebastianus: Scriptor, 419.

**Santa Clara**, Collegium: Gaudet juribus Universitariis, 353.

**Saratow**: Missiones decem, 272.

**Sauri**, P. Franciscus: Trucidatur, 227.

**Savio**, P. Fidelis: Scriptor, 425.

**Schiffini**, P. Sanctus: Scriptor, 417.

**Schleiniger**, P. Nicolaus: Scriptor, 455.

**Schneemann**, P. Gerardus: Scriptor, 449.

**Schneider**, P. Josephus: Scriptor, 439.

**Schrader**, P. Clemens: Scriptor, 416, sq.

**Schreiber**, P. Joannes: Scriptor, 444.

**Scoraille**, P. Rudolphus de: Deputatus pro studiis Theologicis, 343.

**Scordialo**, P. Bernardus: Tendit Parmam, 13.

**Scriptores**: Historiae Societatis Jesu, 144.

**Secchi**, P. Angelus: Scriptor, 422, sq., 495.

**Secessus**: Pro omni genere hominum, 524 — Sacerdotum, 524 — Religiosorum, 524, sq. — Laico-

rum, 525, sq. — Romae, 525 — Truncinii in Belgio, 525 — In multis Collegiis et Scholis, 525 — Opificum et aliorum: Origo, 526 — In Gallia, 526 — In Belgio, 526, sq. — Laudantur a Leone XIII, 527, sq. — In Neerlandia, 528, sqq. — Recollectiones, 529, sq. — Associatio Perseverantiae, 530 — Expensa, 530 — Quomodo agantur, 530, sq. — Laudantur a Pio X, 531, sq. — Quantopere promoveantur: in Italia, 532, sq. — In Austria, 533 — In Germania, 533 — In Gallia, 533, sq. — In Anglia, 534 — In America, 534 — In Canada, 534 — Privilegia a Pio X data, 534 — Agendae gratiae, 534, sq.

**Sedunum**: Collegium erigitur, 68.

**Seghers**, Illustr. D.: Vocat Nostros ad Alaskam, 278, sq.

**Sellier**, P. Ludovicus: Ex primis in Provincia Galliae, 42.

**Sestini**, P. Benedictus: Scriptor, 495.

**Severoli**, Allegatus Vindobonensis: Hostes Societatis indicat, 23.

**Sicula**, Provincia: Exsules benigne a Pio IX recipiuntur, 189 — *Lettere edificanti*, 395.

**Sidgreaves**, P. Gualterus: Scriptor, 496, sq.

**Siestrzencewicz**, Metropolita: Societatem aversatur, 49, sq. — Ut ejiciatur suadet, 51.

**Simpson**, P. Aloysius: Primus Praepositus Provinciae Galliae, 43.

**Sinarum**, Missiones: Missio antiqua, 294 — Socii Russi intrare tentant, 294 — Rogantur pro provincia Kiangnan Missionarii, 294, sq. — Missio erigitur, 295 — Vexationes, 295, sq. — Praevalent Occidentales, 296 — Missionariorum durus labor, 296, sqq. — De his gaudet P. Roothaan, 298 — Incrementum, 299 — Missionis divisio, 299 — Provincia Tcheu-li ad Campaniae, Kiang-nan ad Franciae Provinciam pertinet, 299 — Progressus, 300 — Bokser, 300, sq. — Patres caesi, 300 — Redintegratio Missionum, 301, sq. — Periodicum, 302 — Specula meteorologica, 302.

**Sineo della Torre**, P. Josephus: Societatis Sacri Cordis et fidei Jesu, 11, sq. — In Helvetia Superior, 12 — Nomen dat Societati Jesu, 12.

**Sionense**, Collegium: Tertio a Gallis occupatum, 217.

**Siracusa**, Fr. Cajetanus: Inserviens lue infectis occumbit, 559.

**S. Joseph**: Ei universa Societas dedicatur, 149.

**Slater**, P. Thomas: Scriptor, 488.

**Slovaco**: *Posol Boskeho*, 409.

**S. Ludovici** (St. Louis): Collegium, 90 — Ad gradum Universitatis evehitur, 90, sq. — Universitas, 352 — Incrementum, 352 — Numerus discipulorum, 352 — Roosevelt visitat, 352 — Jubilaeum, 352.

**Smedts**, P. Joannes Baptista: Petit erectionem *Provinciae* Missourianae, 91.

**Smit**, P. Franciscus, Scriptor, 434.

**Smith**, P. Sydney: Scriptor, 494.

**Smits van Oyen**, Theodorus: Promovet secessus opificum, 528.

**Societas Jesu**: Extincta, 5 — In Alba Russia conservata, 5 — Restaurationis momenta, 8 — Petitiones, 8 — Vita laudabilis Exjesuitarum, 8 — Devotio in SS. Cor Jesu in Alba Russia, 9 — Quare non ante 1814 restaurata, 18, sq. — Non Congregatio quaedam a Pio VII fundata, 21 — Sed eadem quae ante suppressionem, 21, sq. — Exspectatio de ejus re-

stitutione, 32 — Amor et liberalitas sodalium, 32 — Incrementum (1815) in ditione Pontificia, 38 — Ejus descriptio in Congregatione Procuratorum, 114 — Numerus Sociorum et incrementum, 132, 140 — A Leone XIII laudatur, 199, sqq. — Ordo Missionariorum, 272.

***Sodalen-Correspondenz:*** Erigitur, 410, sq. — Mutatio tituli, 411 — Formae, 411.

**Sodalitium Cordis Jesu** in agonia facti: Instituitur, 517 — Multum propagatur, 517 — Sedes Jerosolymis, 517 — Altera Lugduni, 517.

**Sodiro**, P. Aloysius: Scriptor, 424.

**Solari**, P. Aloysius: Venerabilis, 599.

**Somaglia**, Cardinalis della: Res Societatis in Anglia defendit ac confirmat, 39, sq.

**Sommervogel**, P. Carolus: Scriptor, 446, 474 — Milites curat, 571.

**Sopranis**, P. Felix: Visitator Americae septentrionalis et postea Assistens, 126 — Favet erectioni Provinciae Missourianae, 126, sq.

**Sörensen**, P. Joannes: Scriptor, 458.

**Sorores**, A SS. Corde: Missioni Missourianae beneficia multa conferunt, 90.

**Spillmann**, P. Josephus: Scriptor, 457.

**Spina**, P. Petrus: Scriptor, 485.

**Spiritus Societatis**: Eximius in Provincia Russiaca, 53 — Causa cur Societas tam prospere effloruerit, 53 — Ab A. R. P. Beckx laudatur, 119, sq. — Societatis antiquae: Ex formula Instituti et ex Prooemio Constitutionum, 580, sq. — Ex epistola P. Claudii, 581 — Ex epistola S. Francisci Borgiae, 582 — Ex epistola P. Centurioni, 582, sq. — Societatis Novae, 583, sqq. — In Alba Russia, 584, sq. — Ex epistolis P. Roothaan, 585, sqq. — Ex epistolis P. Beckx, 588, sq. — Ex persecutionibus, 588, sq. — Ex Missionibus, 589, sq. — Ex laboribus caeteris, 590, sqq. — Ex zelo animarum, 593, sqq. — Ex cura virorum, 594 — Ex spiritu amoris, 597, sqq. — Ex iis, quorum causa introducta, 599 — Ex iis, qui vitam ut martyres dederunt, 599, sq.

**Spokane**, Collegium: Gaudet juribus universitariis, 353.

**Spring Hill**, Collegium: Festum occasione novae Provinciae Neo-Aurelianensis, 160.

**Starowies**: Tyrocinium, 71.

**Status Foederati**: Nostri in bello civili multa caritatis opera praestiterunt, 577.

**St. Cyr**, P. Ludovicus: Scriptor, 474.

**Stefanowicz**, Samuel, Sacerdos: Nostris benevolus, 70.

**Stein**, P. Joannes: Scriptor, 443, sq., 485.

**Steinhuber**, Andreas Cardinalis: Scriptor, 448.

**Steins-Bisschop**, Ill. D. Walterus: Vicarius Apostolicus Bombayensis, 304, sq. — Proficiscitur Calcuttam, 305.

**Stentrup**, P. Ferdinandus: Deputatus pro Studiis Theologicis, 343 — Scriptor, 432.

**Stevenson**, P. Josephus: Scriptor, 492.

***Stimmen aus Maria-Laach:*** Erectio, 380, sq. — Primi Scriptores, 381 — Migrat in Belgium, 382 — — In Hollandiam, 382 — Egregii Scriptores, 382 — ***Ergänzungshefte,*** 382 — Migrat periodicum Luxemburgum et denique in Hollandiam, 383.

**Stocchi**, P. Vincentius: Scriptor, 428.

**Stoeger**, P. Joannes Nep.: Scriptor, 454, 523.
**Stone**, P. Marmadukus: Primus Praepositus Provinciae Angliae, 83.
**Stonyhurst**: Collegium erigitur, 350 — Fundatores, 350 — Incrementum, 350, sq.
**Strassmaier**, P. Joannes Nep.: Scriptor, 450.
**Stratman**, P. Joannes B.: Milites curat, 572.
**Straub**, P. Antonius: Scriptor, 433.
**Studia Superiora**: Ordinantur, 168, sq.
***Studiën***: Erigitur, 383 — Titulus, 384, sq. — Mutationes, 384, sq. — Laudantur, 384, sq.
***Studiës***: Erigitur, 391 — Indoles, 391.
**Suau**, P. Petrus: Scriptor, 473.
**Swart**, R. P. Gerardus: Promovet secessus opificum, 529.
**Swietochowski**, R. P. Stanislaus: Praepositus Provinciae in Alba Russia, 70 — Iter faciens ad Congregationem Generalem gratias agit Imperatori Austriae, 70 — Praepositus Provinciae Galicianae, 70.
**Syllabus**: Declaratur et defenditur, 380, sq.
**Syria**: Missio erigitur, 311 — Immediate Generali subjecta, 311, sq. — Provinciae Lugdunensi committitur, 312 — Scholae et Seminarium, 312 — *Œuvre des Ecoles d'Orient*, 312 — Berythi Universitas, 313 — Fructus, 313.
**Szezepkowski**, P. Gabriel: Reformat ordinem S. Basilii, 203.

**Tacchini**, Coadjutor: Testimonium de Ill. Josepho Sarto, 206.
**Tacchi Venturi**, P. Petrus: Scriptor, 425.
**Talleyrand**, Minister: Societati favet et paulo post eam vindicta in inimicos ductus persequitur, 217, sq.
**Taparelli**, P. Aloysius: Scriptor, 418.
**Tarnopolis**: Collegium, 70.
**Tarquini**, Camillus, Card.: Scriptor, 419.
**Tarragò**, P. Josephus: Leprosos curat, 577.
**Taurinensis**, Provincia: Erigitur, 84 — Nomen, 84, sq. — Incrementum, 84, sq. — Vice-Praepositus, 84 — Primus Praepositus, 85 — *Lettere edificanti*, 396.
**Tempis**, R. P. Minister Generalis Franciscalium, 11.
**Templum Canisianum**: Vindobonae, 504.
**Tepe**, P. Bernardus: Scriptor, 432.
**Terörde**, P. Antonius: Martyr occumbit, 599.
**Terrien**, P. Jacobus: Scriptor, 473.
**Terrien**, P. Joannes Baptista: Scriptor, 462, 465.
**Terwecoren**, Eduardus: Erigit et moderatur *Précis Historiques*, 373, sq.
**Thébaud**, P. Augustus J.: Scriptor, 491.
**Theologia**: Observationes Commissionis 1830, 326 — Ordinatio P. Roothaan, 332, sq. — Ordinatio P. Beckx promulgata, 341 — Congregatio XXIII, 341, sq. — Epistola P. Beckx ex mente Congregationis, 342 — Commissio pro studiis Theologicis, 343, sqq. — P. Martin: De studiis Theologicis ordinandis, 345 — Quinquennium excludit, 345 — Congregatio XXIV, 345, sq. — Congregatio XXV, 346, sq. — A. R. P. Franciscus Xaverius Wernz, 347.
**Thiulen**, P. Laurentius: Scriptor, 427.
**Thun**, Comes: Epistola ad P. Beckx de studiis humanioribus, 334 — Responsio P. Beckx, 334, sq.

**Thurston**, P. Herbertus: Scriptor, 493.
**Tinnebroek**, P. Antonius: Scriptor, 447.
**Toletana**, Provincia: Erigitur, 128, sq. — Numerus Sociorum et Domorum, 128 — Decretum, 128, sq. — Collegium: Gaudet facultate juris, 353.
**Tolosana**: Provincia erigitur, 100 — Decretum, 100 — Incrementum, 100 — Missiones, 101.
**Tongerlo**, Abbatia: Emit *Acta Sanctorum*, 365, sq.
**Tongiorgi**, P. Franciscus: Scriptor, 422.
**Tongiorgi**, P. Salvator: Scriptor, 420.
**Torre**, R. P. Joannes Josephus de la: Assistens Hispaniae, 135 — Iterum eligitur, 141.
**Tournely**, Eleonorus de: Fundator Societatis Sacri Cordis Jesu, 10 — Mors, 10.
**Tournely**, Xaverius de: Societatis SS. Cordis, 10.
**Tournesac**, P. Maglorius: Architecta, 477.
**Trajectense ad Mosam**: Collegium Provinciae Neerlandiae, 98.
**Tranquart**, P. Firminus: Lue infectis inserviens occumbit, 557.
***Trévoux, Mémoires de***, 364.
**Trichinopolytanum**, Collegium: Numerus discipulorum, 359.
**Trigos**, Fr. Cyprianus: Patris Roothaan comes in exilio, 239.
**Trincomali**, Missio: Pertinet ad Provinciam Campaniae, 309 — Erigitur in Diocesim, 309.
**Tschepe**, P. Albertus: Scriptor, 478.
**Tserniscev**: Minister, 5 — Ejus in Patres benevolentia, 5, sq.
**Tullabeg**: In Hibernia Novitiatus erectus, 82 — Adjectus modicus Convictus, 82.
**Turchi**, R. P. Octavius: Concionator, 429.
**Tyrolenses**: Nostros protegunt, 239.
**Ulysipponense**, Collegium: Vexatur, 267 — Numerus alumnorum, 360.
**Urbanum**, Collegium: Nostris traditur regendum, 185.
**Uriarte**, P. Josephus: Scriptor, 486, sq.
**Urigoitia**, P. Joannes: Prope Manresam trucidatur, 219.
**Urraburu**, P. Josephus, Scriptor, 481.
**Urreta**, Fr. Joannes: Trucidatur, 227 — Laudes, 229.
**Uruguaria**: Missio pertinet ad Provinciam Aragoniae, 281.

**Vagnoni**, P.: Scriptor, 479.
**Valenti Gonzaga**, Cardinalis: Bibliothecam ad Societatem defert, 16.
**Valle**, P. Henricus: Scriptor, 426.
***Vals, Lettres de***: Series triplex, 402.
**Van de Kerkhove**, P. Isidorus: Concionator, 456.
**Van den Anker**, P. Sybrandus: Primus moderator periodici *Studiën*, 385.
**Van den Cruyce**, Senator: Testimonium de *Actis Sanctorum*, 365.
**Van den Gheyn**, P. Josephus: Scriptor, 452.
**Van der Moere**, P. Josephus: Ex primis novis Sociis Bollandianis, 366 — Scriptor, 448.
**Van der Vrecken**, Carolus: Fortissimus vir, Pio VII devotus, 179.
**Van Gestel**, P. Hadrianus: Scriptor, 438.
**Van Hecke**, P. Josephus: Deputatus ad accommodandam *Rationem Studiorum*, 326 — Ex primis novis Sociis Bollandianis, 367 — Scriptor, 448.
**Van Heule**, Ill. D. Augustus: Vicarius Apostolicus Calcuttensis, 305.
**Van Heyst**, P. Gosuinus: Moderator periodici *Studiën*, 385.

**Van Kasteren**, P. Joannes: Scriptor, 435.
**Van Lennep**, David Jacobus: Magister P. Roothaan Amstelodami, 75 — Epistola, qua discipulum Patribus Albae Russiae commendat, 75, sq.
**Van Lil**, Petrus: Praepositus Prov. Belgicae constituit novum Sodalitium Bollandianum, 366, sq.
**Van Meurs**, P. Bernardus: Scriptor, 458, sq.
**Van Nieuwenhoff**, P. Gulielmus: Scriptor, 453.
**Van Ortroy**, P. Franciscus: Scriptor, 449.
**Van Quickenborne**, P. Carolus: Magister Novitiorum in White Marsh, 89, sq. — Fundator Missionis apud Indos, 90.
**Van Reeth**, Ill. D.: Episcopus Galle et administrator Trincomali, 309.
**Van Santen**, P. Petrus: Scriptor, 432.
**Van Tricht**, P. Victor: Scriptor, 458.
**Varin**, P. Josephus: Societatis Sacri Cordis Superior, 10 — Electio, 11 — Ejus judicium de Paccanari, 12 — Ex primis in Provincia Galliae, 42.
**Vasco**, P. Henricus: Adnotationes ad *Rationem studiorum*, 328, sqq. — Proficiscitur Romam, 330 — Sua cogitata coram coetu Patrum graviorum explicat, 330, sqq. — Pro applicatione Provinciam quaerit, 331, sq. — Res non progreditur, 332.
**Vaughan**, P. Bernardus: Scriptor, 491.
**Velez**, P. Josephus M.: Scriptor, 482, 486.
**Veneta**: Provincia erigitur, 93 — Decretum, 93, sq. — Numerus Sociorum et Domorum, 94 — Bellis dispersa, 94, sq. — Inde diminuta, 95 — *Lettere edificanti*, 396 — *La Missione di Mangalore*, 396.
**Verbeke**, P. Carolus: Scriptor, 438, sq.
**Verhaegen**, P. Petrus: Superior Missionis Missourianae, 92 — Primus Praepositus Vice-Provinciae, 91, sq.
**Vermeersch**, P. Arthurus: Scriptor, 437.
**Vicarii Apostolici**, in Anglia: Societati opponuntur, 39, sq.
**Vicarii** A. R. P. N. Romae: PP. Ludovicus Panizzoni, Joannes Perelli, Aloysius Fortis, 54.
**Victoria**, P. Eduardus: Scriptor, 482.
**Vigitello**, P. Josephus M.: Scriptor, 419.
**Villada**, P. Paulus: Scriptor, 479, sq.
**Villefort**, P. Philippus de: Patri Roothaan comes in exilio, 239.
**Viñes**, P. Benedictus: Scriptor, 482, sq.
**Vitelleschi**, R. P. Mutius: Ejus patientia, 106.
**Vivae Vocis Oraculum**: Editum 1783 de confirmatione Societatis in Russia, 7.
**Vogels**, P. Isidorus: Scriptor, 441.
**Volga**: Ad ripas Missionarii nostri, 272.
**Von Ketteler**, Fridericus: Nostros laudat, 572.
**Vulliet**, R. P. Josephus: Praepositus Provinciae Siculae, 72.

**Walsh**, P. Odoardus: Rem Societatis Romae gerit, 39.
**Wassmann**, P. Ericus: Scriptor, 445.
**Waterworth**, P. Gulielmus: Scriptor, 492.
**Watrigant**, P. Henricus: Scriptor, 464, 523 — Incipit in Gallia *Secessus opificum*, 526.
**Weld**, R. P. Alfredus: Fundat Missionem Zambesi, 285 — Scriptor, 495, sq.

**Weninger**, P. Franciscus Xav.: Missionarius et Scriptor, 454, sq.
**Wernz**, A. R. P. Franciscus Xaverius: Orator electus, 149 — Eligitur Praepositus Generalis, 149 — Accipit potestatem ordinandi studia, 150 — Vita, 151, sqq. — Scriptor egregius, 152 — A Pio X laudatur, 152, sq. — Diversarum Congregationum Consultor, 153 — Virtutes et dotes, 153, sq. — A Pio X confirmatur, 154 — Celebrat quinquagenos ab inita Societate annos, 154 — Multas erigit Provincias et Domos Professas, 155, sqq. — Oratio habita in Congregatione Procuratorum (1910), 169, sqq. — Recipitur cum Patribus congregatis a Pio X, 208, sq. — A Summo Pontefice gratulationes accipit, 209, sq. — Laudatur, 210 — Scriptor, 436 — Laudat secessus opificum, 533 — Dat directionem, 533 — Approbat tertiam regulam Congregationis, 538, sq.
**Widmann**, Comes: Restitutionem inexspectatam miratur, 34.
**Wieger**, P. Leo: Scriptor, 479.
**Wieser**, P. Joannes: Scribit primum articulum periodici *Zeitschrift*, 387, 431.
**Wigger**, Fr. Clemens: Martyr occumbit, 599.
**Wilde**, P. Carolus: Scriptor, 451.
**Wilde**, P. Gulielmus, Scriptor, 451.
**Wilmers**, P. Gulielmus: Scriptor, 432.
***Woodstock Letters:*** Erigitur, 406 — Exemplum aliis, 406 — Laudantur, 406, sq. — Epistola R. P. Martin, 406, sq.
**Wüsten**, P. Henricus: Scribit de affectu Catholicorum erga Societatem, 35.
**Wynne**, P. Joannes: Scriptor, 500.
**Zafferana**, P. Sebastianus: Inserviens lue infectis occumbit, 559.
**Zalenski**, P. Stanislaus: Scriptor, 449.
**Zambesi**, Inferior: Missio erigitur, 285, sq. — Pertinebat ad Provinciam Lusitaniae, 286 — Stationes, 285, sqq. — Nostri Lusitani dispersi, 287 — Superior: Missio fundatur, 285 — Difficultates, 285 — Pertinet ad Provinciam Angliae, 286 — *The Mission Record*. 405.
**Zängerle**, Princeps Episcopus Secoviensis: Nostros Graecium vocat, 95.
**Zarandona**, P. Antonius: Scriptor, 486.
**Zauli**, P. Vincentius: Assistens P. Fortis, pro Italia, 65.
***Zeitschrift für katholische Theologie:*** Erigitur, 386 — Indoles et scopus, 386, sq. — Propagatio, 387 — Augetur, 387.
**Zepeda**, P. Philippus: Victima charitatis, 554.
**Zi**, P. Stephanus: Scriptor, 478.
**Ziegler**, Pater: Societati mille florenos legat, 32.
**Zi-ka-wei**, Collegium: Quot et quales alumni, 302, 359.
**Zimmermann**, P. Athanasius: Scriptor, 452.
**Zocchi**, P. Cajetanus: Scriptor, 429.
**Zorell**, P. Franciscus: Scriptor, 435.
**Zottoli**, P. Angelus: Scriptor, 427.
**Zulueta**, P. Franciscus: Scriptor, 488.
**Zuñiga**, P. Emmanuel de: Praepositus Provinciae Siculae, 21 — Cum Pio VII de conditione Societatis colloquitur, 21, sq. — Commissarius generalis in Hispania, 46, sq.

13,124 271.5
L31

13,124 271.5
L31

AUTHOR
Liber Saecularis Historiae Jesu Ab.

TITLE Anno 1814 Ad Annum 1914.

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | DATE RETURNED |
|---|---|---|
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY